DE

VITA ET SCRIPTIS

SIGIBERTI GEMBLACENSIS.

DE
VITA ET SCRIPTIS
SIGIBERTI
MONACHI GEMBLACENSIS

COMMENTATIO HISTORICO-LITTERARIA.

SCRIPSIT

SIGFRIDVS HIRSCH

PHIL. DR.

BEROLINI

TYPIS ET IMPENSIS REIMERIANIS.

MDCCCXLI.

VIRO CLARISSIMO ATQVE ILLVSTRISSIMO

LEOPOLDO RANKE

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

HAS QVALESCVNQVE STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS
INTIMAE PIETATIS ET GRATISSIMI ANIMI

TESTES ESSE VOLVIT

AVCTOR.

PRAEFATIO.

Cum ante aliquot annos historicis litteris vires addicere firme apud animum statuissem, prospera fortuna mihi, quod ei, quo incertiora tum adhuc studiorum meorum conamina erant, eo sincerius acceptum refero, contigit, ut tali mihi disciplina frui inque rectam viam duci liceret, quae ante omnia intentissimam et nunquam non deficientem ipsorum fontium perscrutationem exquireret, et laboriosa hac via ad generalem rerum et comprehensionem et dijudicationem progrederetur. quae sane historiam tractandi ratio, ut lentiores quidem initio minusque splendidos profectus offerat, dubium non est, quin constanter eam tenentes postea eo maturioribus et salubrioribus fructibus remuneret atque compenset.

Hac igitur via semel inita et indolis meae natura et prospero quodam rerum mearum concursu factum est, ut historia populorum Germanicorum et imperii Romano-Germanici, quale medio aevo floruit, maxime delectarer, atque hanc e fontibus accuratius cognoscere in animum inducerem. — Quod post nonnulla studiorum illorum tirocinia in magna fontium, quos adire licuit, varietate Sigiberti potissimum Gemblacensis Chronicon elegi, cui singularem impenderem operam, causa haec fuit quod hoc scriptore critica ratione perlustrando opportuna mihi antiquos gentium Germanicarum scriptores, et Carolo-

rum aetatis Annales, et egregios Imperii Saxonicae et Franconicae stirpis historicos nec paucos praeterea hagiographos aliosque vetustatis testes cognoscendi occasio praeberi videretur, simulque spes erat fore ut, quum Sigibertus et in explicandis rebus enarratis et in recto suo singulis his rebus tempore assignando multa adhuc cura indigeret, ipse singula quaeque excutiens et ad historiam literariam et ad obscuros quosdam ac dubios historiae politicae et ecclesiasticae locos explanandos quaedam non prorsus inutilia afferre possim. — Opus illud aggresso mox manifestum erat, de Sigiberti studiis non nisi omnibus ejus operibus perlectis ac cognitis judicari posse; eadem igitur mihi in his cognoscendis studiorum ratio ineunda erat. porro cum Chronici Sigibertani textus continuatorum additamentis et interpolationibus depravatus esset, historia ejus, quantum e subsidiis nostris licuit, enucleanda atque magno continuatorum et descriptorum numero recensito, quantum scriptori nostro apud posteros fuerit auctoritatis, explicandum, denique quid ex iis, quae in editionibus legerentur, ipsi jure adscriberetur, distinguendum esse videbatur. — Inter opera, quae Sigibertus praeter Chronicon illud reliquit, sive orationis colorem sive rei de qua ibidem ageretur gravitatem spectabam, maxime arrisit Epistola illa pro Leodiensibus contra Paschalem Papam edita. Juvabat enim Sigibertum, quem ante inter librorum thesauros abditum videramus, in ipsa vitae luce conspicere. Sic cupido animum incessit, in rerum conjunctiones et causas inquirendi, quibus epistola illa ortum suum deberet, eamque cum iis, quae de politico ejus animo ex aliis scriptis statui possent, connectendi. —

Cui incepto atque consilio cum commentatiuncula quam ad summos in philosophia honores rite obtinendos edere in animo erat, satisfacere studerem,

magis in dies mihi fines ab initio ei constitutos proferendos esse intellexi. Sic e paucarum pagellarum libello succrevit opus nisi grave certe ponderosum.

Id cum Ordinis philosophorum in Universitate Berolinensi Amplissimi, quem non solum praeceptores juventutis meae praestantissimos, sed etiam humanissimos atque aequissimos studiorum meorum judices continere longo usu doctus eram, judicio subjecissem, pluribus Viris Illustrissimis, quorum nomina splendidissima, ne lectorum favorem captare velle videar, silentio praetereo, non indignum visum est, quod in publicum emitteretur. — Itaque secundis id curis quantum licuit emendatum et in posteriori imprimis parte retractatum publico judicio nunc propono. — Cogitent velim lectores benevoli qui illorum saeculorum historiam litterariam perfecte enarratam legere cupiunt, vel totum politicae doctrinae, qualis in saevis illis imperii pontificatusque discordiis litteris tradi solebat, ambitum plane illustratum proponi sibi volunt, me eorum desideriis quamvis justissimis necdum, quod sciam, a quoquam expletis non satisfacere sed tantum stipem quandam ad multiplicem atque fructuosam illorum temporum vitam et litterariam et politicam cognoscendam conferre voluisse. Vtinam mox prodeat, qui me doctior atque tali incepto dignior litterarum aetate Caroli M. ejusque successorum apud Gallos Germanosque adultarum post turbas interiores et externas sub Ottonum gloriosissimo imperio renatarum ad Henrici III. obitum usque aurea quasi aetate gaudentium post etiam crisi illa quae sub Henrico IV. exorta est maturatarum historiam accommodato tali rei narrationis tenore atque florida vigentique oratione exponat; equidem satis habebo inter eos fuisse, qui hujus operi haud dubie non minus difficili multisque adhuc multorum curis et illustrationibus egenti, quam fructuoso quasi praeluserint, id est, ut plenius intelligeretur, effecerint, quan-

tum et operae et utilitatis sit haec omnia posteritati quamvis multum cultiori proponere. — Viros autem, qui in his studiis perfectiora tenent, et singula quaeque ad obrussam, ut dicitur, exigere consueverunt rogatos velim, ut si facile habeant quae vel addant vel emendent humane reputent me varietate rerum disquirendarum distractum neque omnia exhaurire neque omnes difficultates solvere potuisse atque confessione mea persuaderi sibi patiantur, neminem me certius perspectum habere, quantum desit, ut quae hac in commentatione perscrutari mihi proposuerim, omnibus numeris absoluta esse dicam.

Restat denique, ut pietatis officio fungar. Hoc enim libro jam ad finem perducto atque maximam partem jam typographo mandato unus e praeceptoribus, qui et ipse ut ederetur suasit morte nobis subtractus est, Fridericum Wilkenium dico, quem etsi est cur ipsi Dei benignitate morbi molestissimi cruciatibus tandem liberato gratulemur, tamen non possumus, quin justissimo luctu prosequamur. — Huic quum vivo gratias pro tot et tantis prolixae benevolentiae documentis liberalissime praebitis hoc loco agere non liceret, defuncti certe gratus animus jussit memoriam recolere. — Quam vero mihi bibliothecae Regiae thesauris e re mea fruendi veniam humanissime concesserat, cum ii quoque, quibus post eum peculiaris instituti illius cura commissa est, non solum inviolatam mihi servarint, sed etiam pro humanitate sua auxerint, hos rogo omnes gratias hoc loco a me oblatas ne dedignentur benevole accipere atque probare.

Scr. Berolini die XXV. m. Apr. an. MDCCCXLI.

INDEX RERVM.

VITA
SIGIBERTI GEMBLACENSIS.

Quae vetus opinio multorum gravissimorumque virorum auctoritate innixa invaluit et ipsas historicorum mentes ita obsessas tenebat, ut ad unum fere omnes collapso Carolorum regno litteras quoque, quarum potissimum Carolus M. tutelam ac procurationem in se suscepisset, in turpem indignamque apud Gallos Germanosque contemtionem atque oblivionem adductas neque ante saecul. XII. quo scholasticorum disciplinam provenisse constat, renovatum aliquem pristini splendoris sui atque vigoris florem nactas esse persuasum haberent — ea quam falsa et a sola verae, quae saec. X. et XI. fuit, litterarum condicionis ignoratione profecta sit, nostra demum aetate certius et intellectum et demonstratum est.[1])

Nam ut cum labefactato Carolorum imperio permulta simul instituta et civilia et ecclesiastica corruerent ipsaeque litterarum sedes non solum discordiis internis, sed etiam saevis Normannorum et Hungarorum irruptionibus devastatae essent, fundamenta tamen culturae meliorisque institutionis semel jacta non diruta prorsus et eversa sed maximam partem licet ruinis obtecta conservata sunt.

1) cf. quae Jac. Grimm, vir summus disputavit in praef. ad Carmina lat. saec. X. et XI.

Litterarum enim studia illis saeculis neque uberiori laetiorique flore gaudebant neque omnium populorum regionumque erant, sed intra monasteriorum parietes reclusa tenebantur aditusque ad ea non nisi iis patebat qui aut loca illa frequentarunt aut praesentes a praesentibus didicerunt aut libros manuscriptos, satis illos quidem raros perlegere non recusarunt. —

Nihilominus tamen saecula X. et XI. viros vidisse, qui doctrinae ambitu et litterarum ardore excelluerint, documento nobis sunt Widukindus, primus atque praecipuus rerum Saxonicarum testis, qui Corbejae vitam egit, scriptores Sangallenses, Hermannus Contractus Chronographus et multiplici eruditione insignis, Lambertus Aschafnaburgensis rerum suae aetatis turbulentissimae testis, cui nescio an nullus ex medii aevi scriptoribus latinis par sit censendus.

Neque vero praestantes tantum historiarum scriptores sed insignes etiam theologi ac disciplinae morum emendatores ex illo tempore afferendi sunt, quorum praecipuus Ratherius; memoria majorum rebus ab Henrico et Ottonibus egregie gestis redintegrata et a populo pie culta carminibus heroicis celebrabatur, et poetas quoque regnorum vitaeque publicae et privatae mala acerrime perstringere calluisse docet carmen, quod inscribitur „Ecbasis." Litteras denique Graecas et Latinas in summo honore fuisse testis est Gerbertus Remensis vir et doctrinae ambitu et mentis acumine insignis. In hoc enim maxime, quale litterarum studium intra monasteriorum claustra coleretur, conspicuum est, in hoc, qua ratione eruditionis sub Carolorum regno comparatae hereditas custodiretur et servaretur, manifesto patet, quippe qui ipse abditis et vix jam gliscentibus doctrinae scintillis rursus ubique excitatis et discipulis undique collectis artes liberales posteris commendaverit, atque ne unquam litterae despicerentur religiose quasi prospexerit.

Accedit, quod jam aetate illa vita monastica per Odilonem Cluniacensem reformabatur, et reges imperatoresque sa-

luberrimo cum clericis concordiae vinculo conjuncti horum consilia approbabant, quin etiam praemiis adjuvabant.

Jam vero ubique renasci studia sedesque litterarum inter Christianos quasi Sanctorum quaedam reliquiae appeti. Maximam famam tunc adeptus est Fulbertus Carnotensis Gerberti discipulus ad quem undique convolabant discipuli, tantaque eum colebant reverentia, ut unus eorum eum nominaret Socratem Francorum. [1])

Inter sedes literarum inclytas jam tunc Leodiensis ecclesia eminebat; jam Èvraclus episcopus scholis claustralibus stabiliendis operam dedit, quas ipse non raro frequentavit quorumque magistros et absens publicisque negotiis occupatus per epistolas animare aut dulci carminum lusu sibi conciliare non destitit. [2]) Majorem florem nacta est ecclesia, cum Notgerus ad episcopalem sedem evectus maximam educandis pueris curam impenderet, cum quo, ut veteris scriptoris dicto utar, disciplinae scholares et litterae „et peregrinatae et rusticatae" fuisse videntur. Porro cum literarum doctrinam comitaretur morum disciplina gravissima, non mirum quod ex hac schola viri in ecclesia et litteris longe clarissimi prodierunt, sicut Gunterus, archiepiscopus Salisburgensis, Haimo Virdunensis, Hezelo Tullensis, Adelboldus Trajectensis, Hubaldus ille, ad quem Parisios magna scholarium multitudo affluebat, Durandus, qui cum jam Babenbergensem ecclesiam religionis et artium liberalium disciplina illustrasset, ipse episcopus Leodiensis est factus, et Wazo, summa omnium aequalium reverentia insignis, qui cum primum in Notgeri capella librorum et abaci gerulus coaluerit, solis virtutibus non externae dignitatis specie commendatus, per ipsum Notgerum scholis ecclesiae majoris praefectus postea episcopatum ipsum

---

1) cf. Histoire littéraire de la France Tom. VII. pag. 13. 14. 262. Hock Pabst Sylvester pag. 151.

2) cf. Anselmi gesta epp. Leod. Cap. XXI. ap. Mart. et Durand. Coll. ampliss. IV. col. 860.

meruit (an. 1042—1048).[1]) En rerum divinarum magistri episcopi facti ea aetate qua plurimi non nisi libidines foedas in episcopatibus sedem habuisse opinantur. —

Notgerus, si non ipse rebus episcopatus sui scribendis manum admovit Harigerum certe (ab anno 990.) Abbatem Lobiensem atque maxima ejus familiaritate omnibus in rebus usum ad hoc spectatum munus accinxisse videtur.[2]) — Inter Harigeri discipulos erat Olbertus qui, quantum ex studiorum ratione conjicere licet, raro litterarum ardore erat incensus. Nam Lobiensi disciplinae subnexuit S. Germani Parisiensem, triennium Trecis litteris operam dedit, neque ipsius Fulberti cathedram neglexit.[3]) — Lobias reverso summum id a Baldrico episcopo Leodiensi, qui Notgero successerat, spectati nominis documentum datum est, quod ad Burchardum juvenili aetate ad episcopatum Wormatiensem evectum rogantemque, ut sibi aliquis daretur „cujus ope et doctrina ipse in eruditione scripturarum proficere valeret" mittebatur. — Is Episcopi cum magister tum amicus familiaris factus eum etiam in magno illo canonum volumine etiamnunc celebri compilando quam maxime adjuvisse perhibetur. — Ad matrem ecclesiam sponte regressum secuta est Burchardi commendatio, atque quum an. 1012. Gemblacense monasterium Abbate careret, Baldrico aliisque nemo dignior Olberto videbatur, qui in hunc locum ascenderet. Cujus res cum prorsus turbatas invenisset, bona restituit, multis etiam auxit, parta optimo usui delegavit disciplinam egregio suo exemplo correxit, litterisque quam maxime favit, non solum scriptis in laudes quorundam Sanctorum editis, sed multos clericos, nonnullos etiam curiales doctrinae suae fama allectos erudiendo, monachis magnam copiam librorum subministrando, libris de-

1) cf. Anselm. l. c. Cap. XXV—XXVII. Cap. XXXVII.

2) de quo vide infr.

3) cf. (Sigib.) libell. de gestis Abb. Gembl. ap. d'Acherii Spicil. ed. nov. II. pag. 763. Discrepant gesta Abb. Lob. l. c. pag. 744. paululum in ennarranda Olberti Vita; minus tamen accurate singula retulisse nobis videntur.

scribendis ut otium impenderent suadendo, denique quod haud exiguum illa aetate meritum erat „*quasi quidam Philadelphus* divinae scripturae plusquam centum volumina, saecularis vero disciplinae librorum quinquaginta volumina" in monasterii bibliothecam congerendo.[1]) — Nec deerat illi episcoporum suorum voluntas. Siquidem a Wolbodone Baldrici successore ipso antea scholarum magistro Ultrajectensi[2]) monasterium S. Jacobi in insula Leodiensi a Baldrico institutum regendum suscepit, quod quantum postea ad litterarum florem contulerit satis notum est. Idem apud Reginardum alterum illius successorem, qui ipse monasterio S. Laurentii erecto novum litteris refugium praebuit[3]) summum amicitiae obtinuit locum. Cum Wazone, ut primam disciplinam puerorum contubernium amicitiam inconcussam virilis senilisque aetatis, paria vitae studiorumque consilia, ita etiam mortem ipsam partitus est. Nam morituro Episcopo adstans Deum, ne se ultra septem dies supervivere sineret precatus hoc donum impetrasse perhibetur.[4]) — Quis vero omnium aequalium aequiparavit Wazonem gravitate morum et religionis fervore. Quis omnibus episcopalis muneris negotiis tam prorsus satisfecit, quam ille, qui jurum ecclesiae strenuus defensor etiam coram imperatore constantiam et libertatem animi non amitteret,[5]) saecularia negotia pace et justitia administraret, haereticos clementia vere Christiana tractare doceret[6]) denique summis muneribus districtus scholares adolescentulos Donati et Prisciani regulas non dedignaretur interrogare.[7]) —

1) cf. libell. de gestis Abb. Gembl. l. c. pag. 763—767.

2) cf. Anselm. Cap. XXIX.

3) cf. Anselm. Cap. XXXIV. cf. Sig. Chron. 1025.

4) cf. Anselm. Cap. LXVII—VIII. l. c. col. 989. et infr. ap. libell. de Abb. Gembl. Obiit Olbertus II. Id. Jul. 1048. septimo post Wazonem die.

5) cf. Anselm. Cap. 63.

6) cf. Cap. 58. 59—61.

7) Cap. 48.

Talium virorum auctoritate adjutus, exemplo confirmatus disciplina instructus ejusque condicionis laeta opportunitate nutritus adolevit Sigibertus dignissimus sane cujus hoc libro memoriam data opera deque integro recolamus. Vita quidem hujus viri tam ignota est, ut cum ipse modestior esset quam qui ex consueto caeterorum illius aetatis scriptorum more se et ortum suum in Chronicon inferret — nec de loco nec de anno, quo natus sit, certi quidquam constet. Gallum se ipse nominat; [1]) cum vero in episcopatu Leodiensi et Mettensi vitam ageret multo magis Germaniae quam Galliae se ipse adscripsit, atque in libris suis etsi regno Francorum omnino operam daret specialem, rebus imperatorum Saxoniae et Franconiae stirpibus prognatorum majorem impendit curam quod etiam Continuator quidam ejus tam bene sensisse videtur, ut eum amplius et diligentius „his quae ad suos Teutones pertinere noscantur," immorari studuisse dicat. [2]) quin etiam imperii Germanici cum Pontificatu discordiis se implicavit. Eum circa an. 1030 natum esse recentiores conjecerunt [3]) quod a veritate non magnopere recedere videtur. Nam cum an. 1112. longa confectus senectute multis discipulis jam ante eum fato functis obiisse perhibeatur [4]) vix post an. 1040. natus esse potest; cum Mascelini Abbatis Gembl. aetate (1048 — 1072 sive 1076) jam in Mettensium notitiam venisse dicatur [5]) atque ipse se prima

---

1) Sic in proemio „Originem gentis *nostrae* regni scil. Francorum notificemus aliis:" libr. de script. Cap. eccles. 84. de Einardo: abbreviavit et ipse Gallicanum Psalterium, quo *nos* Galli utimur. Et Cap. 156. quasi illos a se distinguens: Et talem jejunandi ritum auctorizant multi et maxime *Teutones*. Nihilominus etiam nomen *Galliae* pro Germania ipsa usurpat. cf. Chron. ad an. 1020. 1094.

2) cf. Sinneri Catalog. bibl. Bern. II. pag. 614.

3) cf. Hist. litt. IX. 535. Hamberger zuverlässige Nachrichten IV. 47.

4) cf. libell. l. c. pag. 768.

5) In excerpto in Miraei praefatione edito legitur post Maschelini: *sive Tietmari*, quod haud dubie insertum est. Eum tamen et Mas-

aetate apud eos vitam egisse confiteatur, eum vix ante an. 1030. natum esse verisimile est. — Porro cum priusquam Mettas vocatus esset Gemblaci viveret, ibi Olberti disciplina fructus est; atque cum libelli de gestis Abbatum Gemblacensium qui superest primae partis auctorem eum fuisse infra probaturi simus, vitam praeceptoris illius gratissimo animo ibi posteris tradidisse videtur. „Ego — inquit — sane dum studiorum ingenii et laboris tanti viri recordor, omnino demiror, quod in eo geminae scientiae tam egregie claruerit vigor," atque laudibus ejus explicatis pium illud addit votum: „Credo, nos modo illic sua tutabitur gratia, quos hic tam paterna nutrivit misericordia." — Viva memoria luctum, qui omnibus incubuit, cum tristis obitus Olberti nuncius ad Gemblacenses afferretur, depingere atque — quod hoc significantius etiam est — ultimam orationem quam antequam Leodium ad Wazonem moriturum profectus esset, die Petri et Pauli (1048) in monasterio Gemblacensi coram filiis suis habuit, ultimumque quod eis non sine lacrymis imprecatus est Vale repraesentare videtur.[1])

Successit Olberto consanguineus ejus Mysac cognomento Mascelinus Abbas, cujus frater Fulcvinus prius cum ipso in Olberti disciplina educatus, Popponi Abbati Stabulensi, inter aequales celeberrimo ad regendas puerorum scholas traditus atque per plures annos morum honestate huic satis probatus interveniente eo ad regimen Abbatiae S. Vincentii Mettensis est promotus.[2]) Non mirum igitur, quod Sigibertus qui haud dubie cum Fulcvino primam partitus est disciplinam, Mettensibus innotuit atque in monasterio, cui ille praeerat instruendorum puerorum negotium accepit. Jam vero hac in urbe quae vetus litterarum sedes firma scholarum

---

celini Abbatis aetate Gemblaci vitam egisse probare videtur dicens l. c. pag. 767. „quod vidi, scripsi." vid. infr.

1) l. c. pag. 766. 767.

2) libell. l. c. pag. 767.

suarum gloria inde a Caroli M. aetate nitebatur, in Abbatia quae tunc singulari auctoritate florens a Leone IX. Papa privilegium acceperat „ut abbates ipsius primum post Mettensem episcopum obtinerent locum"[1]) consuetudine et familiaritate cum Fulcvino conjunctus[2]) optimis studiorum opportunitatibus usus, plures libros scripsit. Quam primam ut videtur, Vitam Theoderici, edidit Levitae i. e. Diaconi S. Vincentii ordine usus, ei Epistolam haud dubie ad Abbatem Fulcvinum datam praemisit. Discipulus ejus merito de eo gloriari videtur, quod non solum monachis, sed etiam clericis ad se undique confluentibus sapientiae fons patens fuit, neque mirum, quod etiam prima saeculi duodecimi parte qua is breve suum magistri elogium scripsit multis Mettensium dulcis ejus fuit memoria, apud eosque tunc supererant ejus doctrinae vestigia. — Memoratu porro dignum est, quod ille ibidem addit, Sigibertum scil. non solum Christianis sed etiam Judaeis in eadem urbe commorantibus carissimum fuisse eo, quod Hebraicae veritatis a caeteris editionibus secernendae peritus esset et in his, quae illi secundum Hebraicam veritatem dicerent, Judaeorum adsentiretur opinionibus. Inde plures Sigibertum litterarum Hebraicarum gnarum fuisse conjecerunt,[3]) quod tamen cum illa aetate hujus linguae nullus fere usus esset pro certo non potest affirmari. Verum quinam his verbis *Hebraicae veritatis* insit sensus, docere poterit cum modus quo dictum medio aevo saepius adhibebatur, tum Sigiberti ipsius testimonium, qui in Chron. ad an. 395 „ex quo Hieronymus scripturas sacras veteris testamenti *de Hebraica veritate* in Latinam linguam verterit editionem LXX. interpretum in secundis coepisse haberi:

1) Gall. Christ. XIII. col. 918.

2) Miraeus in scholio vitiose eum Fulcvino Abbati Lobiensi familiarem fuisse enarrat. Ex hoc solo explicare possum, quod Calmetius (Bibliothèque Lorraine pag. 892.) eum versus an. 980. Mettas vocatum esse contendit. —

3) cf. Hist. litt. IX. 536. Hamb. l. c.

atque auctoritatem *Hebraicae veritatis* praevaluisse, postquam patuerit quantum ab ea discrepent LXX. interpretes" enarrat. Vix dubito, quin cum doctioribus inter Judaeos Mettenses de singulis veteris testamenti locis disputarit, atque num eadem cum Hieronymi versione in illis legerint inquisierit. —

Post multum temporis Thietmaro demum Abbate Mascelini successore — ut videri possit — regnante ad Gemblacense monasterium rediit, vix a Mettensibus, qui aegre insigni magistro caruisse videntur, impetrata licentia. Pium animum eo probavit quod multa quibus voluntaria eorum quos instruxerat liberalitate cumulatus est, non in rem suam, sed in usum et ornatum ecclesiae Gemblacensis contulit. Ibi etiam juniores erudiens haud dubie inter praecipuos celebritatis illius qua tunc schola et Abbatia floruerunt auctores ducendus est; illa vero tanta erat, ut multi ejus monachi in sacris et profanis litteris exercitati in multis cum Franciae tum aliarum provinciarum coenobiis magistri et quasi secundi Abbates existerent.[1])

Fama ejus angustos claustri parietes transgressa; Leodiensis ecclesiae, quam tam multifaria doctrina insignem vidimus, quae eadem aetate propria gloria ita eminuit, ut Gozechinus scholasticus eam „florem Galliae tripartitae et alteras Athenas nobiliter liberalium disciplinarum florere studiis et (quod his praestantius) egregie pollere observantia divinae religionis" diceret, eandem, quantum ad litterarum studia non Platonis academiae, quantum vero ad cultum religionis minime Leonis Romae cedere proclamaret[2]) — hujus

1) l. c. pag. 764.

2) cf. Mabillon Analecta IV. pag. 365. Auctor antea scholasticus Leodiensis tunc Moguntinus epistolam ad Walcherum suum quondam discipulum dat, quae cum laudum Leodiensis ecclesiae plena sit eruditionem in literis antiquis et sacris haud mediocrem prodit. Similia studiorum antiquitatis documenta non desunt in ecclesia Leodiensi

Leodiensis ecclesiae dico — „majores natu, excellentiores gradu acutiores sensu eum frequentabant, si quid quaestionis occurreret eis, ad hunc deferre et cum eo conferre soliti." Et hoc quidem non vanum discipuli elogium esse, sed re ipsa confirmari inde facile colligitur, quod Henricus Decanus et Archidiaconus Leodiensis — quem loco illustri natum esse probabimus — non solum opusculo illi, quod de Vita S. Lantberti ecclesiae patroni scripserat, curam impendit atque quomodo id denuo edendum esset suasit, sed etiam in negotiis gravissimis, quae cum ad auctoritatem tum ad ipsam integritatem salutemque ecclesiae Leodiensis quam maxime pertinerent, *quater* socium eum advocavit. —

Sigibertum etiam extra terminos ecclesiarum Mettensis et Leodiensis amicos sibi parasse nonnulli conjecerunt ex epistola quadam a Rainaldo Archiepiscopo Remensi ad Baldericum historiae eccles. Cameracensis et Atrebatensis auctorem Idibus Januariis an. 1094. data[1]) qua is de suo super illud opus judicio rogatus, se rescribere quae a F. *Sigeberto* acceperit, fatetur. — Hunc vero nostrum Sigibertum esse magis quam dubium est, quod et Baldericum per Archiepiscopum Remensem Sigiberti Gemblacensis judicium percipere debuisse et Rainaldum Sigibertum, quem cum hoc ulla consuetudine usum esse nullum exstat vestigium, consuluisse pariter caret verisimilitudine.[2]) —

saec. XI. cf. de Stephano abbate primo S. Laurentii Leod. ap. Reneri libell. de script. monast. sui ap. Pez. Thesaur. IV. 3. col. 21. Historiam monasterii Huberti Andaginensis ap. Mart. et Dur. Coll. ampl. IV. col. 969—970.

1) edit. in praefat. Colvenerii ad editionem Balderici Duaci 1615. cf. Hist. litter. IX. 536. VIII. 401. cujus auctores hoc initio anni 1095. evenisse existimant, atque tunc eum (haud dubie perperam) Mettis adhuc vixisse conjicere videntur.

2) Majori fortasse fide demonstraretur, Hillinum quendam qui Gesta miraculorum sancti Foillani (Fossensis, dioeceseos igitur Leodiensis) „ad magistrum Sigibertum" scripsisse traditur (cf. Usuardi Martyro-

Certius aliud est testimonium vitae Sigiberti et quidem Gemblacense, quod exstat in sermone quodam de elevatione S. Guiberti monasterii fundatoris.[1]) Ibi enim laudatur, quod ipse Guiberti biographus, atque ejus sanctitatis certior factus eorum monachorum et extraneorum, qui eum nullo venerationis cultu honoratum esse indignabantur, quasi ducem se gessit, atque cum „ex *evidenti miraculorum* ostensione explendi sui desiderii occasionem" cepisset apud hos, quorum hoc erat auauctoritatis de elevatione corporis sancti viri agere coepit. — Denique Liethardi Abbatis, qui post Thietmarum Gemblacensi praefuit monasterio, voluntate consulta et benedictione percepta ipse ad consensum Otberti Episcopi Leodiensis impetrandum suscepit legationem, eumque re vera impetravit. — Porro res synodo generali pluribusque internuntiis tractata demum tam prospere cessit, ut quod Sigiberto officium sanctissimum atque adeo pietate jussum visum esset ejus praestiti atque peracti fructum ipse adhuc viderit gratissimum. Nam omnibus quae necessaria erant paratis IX. Cal. Octobr. an. 1110. elevatio rite celebrata est.

Neque mirum quod morum probitate animos commilitonum perinde sibi devinciret atque eruditione eos ad summam admirationem proriperet. Hinc est quod Gemblacenses eum venerabilem atque in omni scientia literarum incomparabilem ingenii nominat[2]) atque eum „quamvis multae gravitatis minime tamen indiscretae austeritatis, sed ad omnes, ut res poscebat, discretae mediocritatis[3])" fuisse laudant, eum „antiquae scientiae et reverentiae monachum, hujus Ecclesiae nostrae Gemblacensis oculum qui pie invigilaret vita ac

---

logium cum notis Molani 1573. 8. pag. 183. Chapeaville Gesta epp. II. pag. 80.) nostrum Sigibertum magistrum habuisse. —

1) Acta Sanct. Mens. Maji V. pag. 266.

2) cf. Chron. ad an. 1112.

3) cf. libell. l. c. pag. 768.

religionis fervore"[1]) praedicant. Nam cum eum scripturarum divinarum lectio et meditatio maxime occuparet, quotidianam tamen Missarum celebrationem et devotam orationem minime neglexit.[2]) Quid quod extrema aegritudine fessus atque morti proximus manifestissimum pietatis atque modestiae documentum reliquit? Nam cum Fratrum voluntas esset, ut si obiisset infra ipsum monasterium sepulturae locus ei pateret, hunc honorem abnuens, enixe rogavit, ut in coemeterio cum fratribus omnibus sepeliretur. Obiit III. Nonas Octobres an. 1112. tempore Liethardi Abbatis, qui jam ipse II. Non. Febr. 1113. fato functus est.[3]) — Quantum ex ejus morte dolorem omnes fratrum animi conceperint, non ambiguum testimonium habemus — epitaphium haud dubie non longe post ejus obitum compositum.[4]) Flebili voce in eo mortem nulli vitae humanae condicioni parcentem, omnia amoris atque amicitiae vincula crudele rumpentem conqueruntur, atque spem in Christo solum ponendam esse fratres confitentur, qui ipse Christus una totius vitae Sigiberti norma ac regula fuisset.

Alia vitae testimonia non exstant; mera est Goldasti conjectura, eum ad Abbatiam Gemblacensem ab Otberto destinatum esse[5]) atque nimia audacia, quod eum Abbatem nominat, cujus etiam adversarius Gretserus nullum idoneum argumentum affert Sigibertum schismaticis Imperatoribus cognitum vel magno loco apud Henricum V. fuisse contendens.[6])

1) cf. Sermon. de elevat. S. Guib. l. c.

2) libell. l. c. pag. 768.

3) libell. pag. 768—769. Auct. Anselmi ad Sigib. Chron. ad an. 1113. Falso igitur cum Roberto de Monte plures Sigib. anno 1113. mortuum esse annotarunt.

4) Exstat in Codice antea Bibl. Uffenbachianae, nunc Senat. Lipsiensis, in quo plura opera Sigiberti vel ad monasteria Gemblac. pertinentia — fortasse olim Gemblac. — edit. ap. Uffenbach Bibl. msptor. IV. pag. 131. 41. versibus hexametris.

5) cf. Praefat. ad Apologias pro Henrico IV. Hanovii. 1611. 4.

6) cf. Gretseri Opera VI. pag. 371. 368.

More virorum eruditione atque diligentia insignium intra parietes vixit atque scriptis tantum apud posteros gloriam sibi paravit. — Aequum igitur est discipulo assentiri nullis illum, cum opera disertissimam contineant laudationem, nostris egere laudibus praeclare judicanti.

Et in ultimo libri de viris illustribus capite ipse Sigibertus opera sua recensuit, paucis uniuscujusque libri commemorationi de indole ejus et consilio annotationibus additis, quem Catalogum et hic ducem sequimur.

Itaque in monasterio S. Vincentii Metensi scripsit:

1. Vitam Theoderici episcopi.
2. Passionem, epistolam de prophetia, et translationem S. Luciae.
3. Vitam S. Sigiberti Regis.

regressus vero Gemblacum

4. Passionem Thebaeorum.
5. Vitam S. Guiberti.
   (Antiphonas et Responsoria de S. Maclovio et Guiberto)
6. Gesta Abbatum Gemblacensium.
7. Vitam S. Maclovii.
8. Vitam S. Theodardi.
9. Vitam S. Lantberti, bis editam.
10. Librum adversus Epistolam Hildebrandi Papae.
11. Apologiam contra eos, qui calumniantur Missas conjugatorum sacerdotum.
12. Librum contra Epistolam Paschalis Papae.
13. Epistolas de jejunio quatuor temporum.
14. Ecclesiasten *heroico metro*.
15. Chronicon.
16. Librum Decennalem, de computo.
17. Librum de viris illustribus sive de scriptoribus ecclesiasticis.[1])

---

1) Trithemius de script. eccles. Nro. 358. (Miraei Praef. ad Chron. Fabric. Bibl. eccles. pag. 90—91) et Annalibus Hirsaugiensibus (ed. San Gallensi 1690. I. 355.) loco trium illorum de S. Lucia librorum

Cum libros Mettis compositos primum afferat, omnes eodem ordine, quo ediderat recensuisse videtur. Si in singulari libello de aetate certius quid vel statuere vel conjicere nobis licuit, id infra afferemus. — Ipsa vero horum operum natura demonstrat, eum Chronico et Libro de viris illustribus per multos annos continuam operam dedisse eaque e fontibus repetito subinde labore complevisse.

Cum porro Chronicon si doctrinam et rem ipsam spectamus, praecipuum ejus et gravissimum opus fuisse censendum sit, quo maxime ejus apud posteros celebritas inniteretur, facile nos legentium veniam impetraturos esse speramus, si primo loco de hoc exponamus, deinde, hoc usque ad Sigiberti tempora perlustrato, de scriptis ejus politicis supra Nro. 10. 11. 12. 13. nominatis agamus, tum ad libros de rebus Mettensibus supra Nro. 1. 2. 3. commemoratis nos convertamus, post quae ad Gemblacensium Leodiensiumque res illustrandas litteris mandavit supra Nro. 4. 5. 6. 8. 9. (7) indicata examinemus, postremo poemate in Ecclesiasten memorato (14) in fragmenta libri Decennalis et in librum de Viris illustribus, (16. 17.) accuratius inquiramus.

I. CHRONICON.

Sigiberto consilium fuisse, Chronicon Eusebii ab Hieronymo in Latinam linguam translatum atque continuatum ab an. 381. ad sua usque tempora „secundum omnem consequentiam temporum et rerum gestarum, quanta posset styli temperantia" perducere, ipse confitetur.[1]) — Porro e Roberti de Monte continuatoris testimonio[2]) atque e codicum multo-

duos tantum (Passionem et translationem) recenset, Vitam S. Lantberti vero et epistolas de jejunio IV. temporum omisit. —

1) libr. de s. e. Cap. 171.

2) cf. Roberti de Monte prologum in Append. ad Guiberti de Novigento Opp. 1651. fol. pag. 734. 735.

rum habitu[1]) clarum esse videtur, eum etiam Chronici Prosperi (Imperialis) a primo anno Gratiani usque ad annum quintum Valentiniani et Marciani continuati textum operi suo praemisisse, quamvis in Cod. Gemblacensi hunc extitisse Miraeus non observet. Eum tamen non a fine demum Prosperi, sed ab an. 381. Chronicon suum incepisse, Robertus, nescio num aliquo ipsius dicto usus[2]) inde explicat, quod quum de his temporibus plura quae Prosperum adhuc latebant, jam comperta haberet ea addere voluisset. — Ipse Sigibertus nomen operis sui non distincte attulit nisi quod Eusebii „*Chronica*" se continuasse confessus eundem titulum adamare, isque Codici Gemblacensi quoque praescriptus esse videtur. — In aliis vero textus generibus, ut in Codice Divionensi, in ipso Roberti de Monte prooemio *Chronographia* appellatur, unde hic titulus editionis principis textui praescriptus a plerisque receptus est. — Nos sequimur codicem Gemblacensem.

Synchronisticam quam dicimus methodum secuturus, in prooemio quaedam de gentium, quarum fata in Chronico persequi studebat, vel origine vel circa saeculi quarti finem statu vel etiam fine et exitio praemittere ratum habuit; scil. de rebus Romanorum, Persarum, Francorum, Britonum, Vandalorum, Vinulorum sive Langobardorum, Gothorum eorumque partium Visigotharum et Ostrogotharum atque Hunnorum. — Ut in Chronico cum rebus eodem tempore gestis fata etiam singulorum regnorum iis, qui primum librum evolverent, faciliora ad distinguendum notaret, in fronte paginae libri sui nomina octo regnorum quae modo enumeravi (exceptis scil. Longobardis) posuit iisque nomina propria regum subscripsit „porro unicuique anno Chr. Romanis numerorum signis per mediam paginam addidit, quotus in regno quoque regis annus esset; si vero novus rex vel imperator memorandus esset, ejus nomen ea rubrica, qua regni illius annos percensuit, annotavit „annos Pontificum in margine, et respondentes Domini annos

1) cf. Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde. VII. pag. 235. et infr.
2) cf. notit. Cod. Divionensis ap. Archiv. VII. pag. 533—34.

recta fronte annis regum" collocavit.[1]) — Ab anno 479 loco quarto inter Francos et Britones addit Longobardorum, regnum, ab an. 492 locum Britonum occupant Angli; ab anno 521 Hunni omittuntur, ab anno 534 Vandalorum ab anno 549 Ostrogotharum disparent nomina, loco Persarum, ab anno 632 annotantur Saraceni; anno 680 accedunt loco ultimo Bulgarorum reges, ab anno 721 praetereuntur Visigothae ab anno 775 Longobardi, ab an. 736 propter fontium inopiam desunt Anglorum, ab anno 821 ob eandem causam Saracenorum et Bulgarorum reges, ab anno 802—844 Romanorum et Francorum regna conjunctim tractantur; Constantinopolitanum vero ab an. 802. usque ad an. 977. separatim spectatur; Angli iterum memorantur an. 1066. postremo an. 1100, Hierosolymitanum regnum accedit.

Se Chronicon usque ad an. 1111. continuasse ipse in libro de script. eccles. ait; constat tamen, eum haud dubie post illum librum absolutum nonnulla ad an. 1112 addidisse. Robertus quidem de Monte finem an. 1100. statuit atque in eo nonnullos codicum scribas atque quosdam, qui Sigibertum ex ejus recensione descripserunt, sicut Radulfum de Diceto et Matthaeum Paris sequaces habuit; eum tamen Chronicon Sigiberti usque ad an. 1112 productum cognovisse infra probabimus. — Porro si textus duos Sigiberti fuisse argumenta quaedam docere possint, eos ante an. 1112. non emissos esse probabile videtur.[2]) — Sigiberti Chronicon continuatorum studiis corruptum, usque ad hodiernum diem nunquam integrum purumque editum est. Nam cum primum anno 1513. Parisiis in Henrici Stephani officina ab Antonio Rufo, (le Roux) cui Guilelmus et Joannes Parvi (le Petit) codicem aliquem subministraverunt, cum continuatione usque ad an. 1210. quae sub nomine Roberti de Monte ferebatur, atque — quod editor ipse animadvertit — multis locis e Galfrido Monumetensi insertis editum

1) cf. descriptionem apud Robertum de Monte in prologo et habitum editionis principis, qui cum illa fere congruit.

2) De una quae me offendit exceptione infra pluribus agam.

est [1]), plures eandem editionem cum nullo codice manuscripto collatam iterum typis vulgarunt. Sic Schardius inter Chronographos quatuor Sigibertum edidit Francofurti [2]) anno 1566, quam editionem alii Basileis [3]), alii Lugduni [4]) eodem anno typis impressam volunt. Eodem modo Pistorius tomo I [5]) scriptorum rerum Germanicarum. Francof. 1583. Sigibertum usque ad an. 1210 continuatum recepit, atque item anno 1613 [6]) altera scriptorum illorum editione prodiit. — Simul Laurentius de la Barre in Historia Christiana veterum patrum Paris. 1583 [7]), atque Margarini de la Bigne in

---

1) Titulus integer est:

Sigeberti, Gemblacensis coenobitae, Chronicon ab anno 381 ad an. 1113. cum insertionibus ex historia Galfridi et additionibus Roberti abbatis Montis, centum et tres sequentes annos complectentibus, promovente egregio Patre, D. G. Parvo, Doctore Theologo, confessore regio: nunc primum in lucem emissum cum privilegio: Venale habetur in Officina Henrici Stephani (ubi impressum est) e regione scholae Decretorum sita; et in vico sancti Jacobi in officina Johannis Parvi, sub lilio aureo.

In fine habetur:

Absolutum est Parisiis hoc Sigeberti Chronicon cum non paucis additionibus per Henricum Stephanum, artis litterariae excusoriae industrium opificem, in sua officina, e regione scholae Decretorum, expensis ejusdem et Johannis Parvi, Bibliopolae insignis. Anno Domini cuncta deponentis. 1513. Calendas Junii. 4.

cf. Maittaire: Ann. typogr. II. 245. Pistorium ed. Struv. I. 683. Hist. litt. IX. 541. Hamberger: Zuverl. Nachr. IV. pag. 54.

2) In fine: Impressum Francofurti ad Moenum apud Georgium Corvinum, Sigismundum Feyrabend, et Haeredes Wigandi Galli.

3) cf. Hist. litt. IX. 541. Foppens: Bibl. Belg. II.

4) cf. Pistorium. ed. Struv. I. 683. Hamb. l. c. pag. 55. Ceillier. XXI. 573. Ipse tamen hujusmodi editiones non vidi.

5) pag. 476.

6) Hamberger l. c. Archiv. IV. 114.

7) fol. pag. 401. Hamb. IV. 54. Hist. litt. IX. 541. Hanc equidem non vidi.

Bibliotheca S. S. Patrum tomo VII ibid. 1589 illud secundum idem exemplar ediderunt [1]). —

Aubertus Miraeus vir doctissimus atque aetate sua celebratissimus, rectiori via inita, Chronicon Sigiberti anno 1608 secundum exemplar Gemblacense vetustissimum edidit [2]), lectionesque et accessiones trium aliorum codicum [3]), litteris minusculis exscriptas addidit, denique insuper, quae in hoc exemplari non vetustissima manu exarata legebantur, eodem modo adjecit [4]). — Lectiones secundum connexum internum et fontium Sigiberti auctoritatem in hac editione correctiores, quam in aliis editionibus inveniuntur. Miraeus quidem insertiones e Galfrido caeterasque interpolationes omisit, sed ex auctoritate Anselmi Gemblacensis nonnulla rejecit, quae Sigiberti sunt et plura alia, quae non eidem auctori tribuenda sunt, recepit, ut ne hic quidem textus integer et purus vocari possit. Quod vero sunt, qui de industria

---

1) Sacrae Bibliothecae SS. Patrum seu script. ecclesiasticorum Tomus VII per Margarinum de la Bigne ex almae Sorbonae Scholae, Theolog. |Doct. Paris. Ed. II. Paris. 1589. pag. 1339 — 1510. — cf. Catalogum impr. librorum Biblioth. Bodleyanae in Academia Oxoniensi Cura et Opera Thomae Hyde. Oxonii. 1674. II. p. 162.

2) Hoc titulo: Chronicon Sigeberti Gemblacensis Monachi. Ad autographum veteresque codices msptos. comparatum. Accessit Anselmi Gemblac. Abbatis Chronicon cum auctariis Gemblacensi Affligemensi, Valcellensi et Aquicinctino primum typis nunc editum. Studio Auberti Miraei Bruxell. Canonici et Bibliothecarii Antverp. — Antverpiae apud Hieronymum Verdussen. Anno MDCVIII. 4. p. 1 - 218. Inveniri solet sub uno titulo cum: Rerum toto orbe gestarum Chronicis a Christo nato ad nostra usque tempora (auctoribus Eusebio, Hieronymo, Sigiberto, Anselmo, Auberto Miraeo, ibid. eod.) Editionem Miraei iterum in omnium ejus operum collectione (ed. Foppens. Bruxell. 1725) exstare, perperam Struvius annotavit.

3) de quibus vide infra Append.

4) cf. praefat.

eum locos omisisse criminentur, calumnia est, non justa accusatio [1]).

Struvius denique, Pistorianis scriptoribus tertia editione vulgatis [2]), textui veteri integro recuso accessiones omnes e Miraei editione litteris minutis addidit, atque post continuationem ad an. 1210. praeter Miraei continuationes etiam aliam Samsonis Remensis, a Labbeo primum editam, subjunxit. — Ita editio ejus, collectiva quidem, multo tamen magis turbata videtur.

Ceterum uterque textus mendis repletus [3]); in disponendis rebus sub singulis annis vario modo editores saepius discrepant [4]), ex quo intelligitur novam accuratioremque

---

1) cf. Struv. I. 681 — 683. Schröckh. XXIV. 485. locosque ibidem citatos.

2) Ratisbonae. sumptibus Conradi Pezii. 1726. fol. Tom. I. p. 679. — 1006. Post illud tempus nulla prodiit editio. — In Bouquetii Collectione tom. III. pag. 332—348 exstant excerpta e Sigiberto ab initio usque ad an. 751; V. pag. 375—81. inde usque ad an. 814; tom. VI. pag. 233—38. a. 814—838; VII. pag. 249—253. a. 841—877; VIII. pag. 308—16. a. 877—987. ex utraque, praesertim e Miraei editione; tom. X. p. 216—219 a. 987—1031. et pag. 267—70. Accessiones Roberti de Monte ad eosdem annos; XI. pag. 162—165 ad a. 1032—72. et Acc. Rob. ad eosd. ann.; XIII. pag. 256—66. ab anno 1077 — usque ad finem et inde usque ad pag. 334 continuationes ex editione Miraei et Struvii. — Apud Honthemii: Historiae Trevirensis Prodromum I. pag. 676. loci Sigiberti, qui ad res Trevirenses spectant ad an. 386. 413. 448. 476. 746. 871. 1016. 1067. 1074. editi sunt.

3) In quibusdam numeris regnorum errat Miraeus ad an. 429. 454. 60. 76. 77; 516. 45. 46; 620. 25. 28. 31. 86; 725. 62; 817. 35. 57. 80; 908. 89; 1089. Struvius a. 397. 414. 17. 18. 19. 65; 630. 31. 32; 746. 74; 802. 9; 1031; 1111. 1112. — Apud Struvium deest notitia anni 715 cum omnibus signis; apud Miraeum annus 1043 cujus loco 1048 bis positus.

4) cf. ad an. 381. 83. 86. 95; 408. 17. 30. 35. 51. 53. 57. 63. 73. 80. 81. 88. 89. 92; 520. 23. 33. 35. 37. 42. 49. 61. 83. 84. 86. 93. 95; 613. 18. 29. 30. 32. 37. 38. 40. 46. 47. 51. 53. 57. 62. 63.

editionem maxime necessariam esse. — Quae ratio sit, ut textui, quatenus id quidem sine codicum manuscriptorum ope fieri potest, integritas sua et genuina forma restituatur, in singulari appendice pluribus monstrabimus. — Interdum in perlustrandis annalibus tantum ea Sigiberto tribuenda esse statuimus, quae tam in veteri, quam in Miraei textu

---

64. 69. 80. 82. 86. 87. 90. 98; 706. 13. 14. 24. 31. 37. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 51. 63. 74. 98; 800. 1. 7. 9. 11. 46. 56. 86; 910. 28. 37. 54. 55. 61. 65. 75. 76. 77. 88. 89; 1003. 46. 47. 48. 50. 92. 1100. 1106. Uter rectius disposuerit res eodem anno subscriptas, parum liquet; Miraeus ea lege usus esse videtur, ut singulis annis regum nomina et regnorum annos praeponeret.

Saepissime differunt textus uno vel pluribus annis in recensendis iisdem rebus. cf. easdem res annotatas

ap. M. 405.	ap. S. 406.	ap. M. 972.	ap. S. 971.
449.	448.	973.	972.
569.	570.	974.	973.
608.	609.	989.	988.
633.	635.	995.	998.
664.	663.	1025.	1024.
677.	676.	1044.	1043.
708.	709.	1045.	1044.
726.	727.	1046.	1045.
729.	728.	1047.	1046.
730.	729.	1055.	1054.
741.	742.	1059.	1058.
802.	803.	1064.	1063.
959.	958.	1065.	1064.
970.	969.	1066.	1067.
971.	970.	1099.	1098.

Neque minus in singulis lectionibus discrepant: (cf. ad a. 691. 874. 945. 964. 1077.). Apud Struvium locus an. 463. (Theudemer — proterit) bis editus est e textu veteri atque litteris minutis e Miraeo; anno 464 omisit locum textus veteris (Theudemer — gratatur) ad an. 998. Agapetum Papam, qui in textu Miraei annotatur, an. 1084. locum his qui pro Imperatore — et cetera id genus. Pluribus locis textui Struvii particulae: *vero: autem: igitur: etiam* insertae sunt. cf. ad a. 514. 544. 909. 963. 1039.

legantur, a qua regula, ubi discessum est, lectores semper ad Appendicem, in qua hoc nobis propositum est, ut plures locos ab alterutro omissos Sigiberto vindicemus, relegabimus. Jam ad singula transeamus. —

In quibus cum non sit, qui dubitet, quin summa scriptoris rerum virtus hoc contineatur, ut in earum rerum enarratione, quas ipse oculis non viderit, ad optimorum probatissimorumque testium fidem confugiens horum et verba recte interpretetur et effatis religiose utatur, sequitur, ut si quis et qualis Sigibertus Chronographus fuerit et quibus maxime rebus cum aequalibus tum posteris profuerit, recte dijudicare velit, ante omnia annales ejus cum fontibus, e quibus confluxerint, diligenter conferat, et quae universa sit hujus scriptoris cum iis, qui in eodem opere eum antecesserunt, comparati ratio et proprietas, accurate perpendat atque perspectum habeat. Itaque mihi fabricam quasi et textrinam hujus operis inspecturo hoc primum praescriptum esse intellexi, ut eandem atque aequam omnibus partibus curam adhiberem; nunc vero, cum jam in eo sim, ut quae inde ad ipsam historiam eamque rationem, qua ea medio aevo tractaretur, cognoscendam sequantur planum faciam, pro singularum rerum majore minoreve gravitate alia uberius alia strictius mihi persequenda videntur. —

Itaque annalibus in tres partes divisis, primum de illis ab initio Chronici anno 381 usque ad regnum Carolorum collapsum (900) — quos fere omnes ex diversis fontibus consarcinavit — summatim agamus, tum de illis ab anno 900 — 1077, quos, quamvis maximam partem descriptos, tamen haud raro propriis notitiis auctos, et arte quadam compositos esse constat, accuratius disseramus, denique in annalibus (1077 — 1112), quorum rebus ipse suppar erat auctor et quae solus tradiderit et quomodo ex aliis scriptoribus corrigi vel debeat vel possit quaeramus, atque quid ex his de animo ejus religioso et politico statuendum sit, videamus.

§. 1.

De fontibus eorumque usu ab anno 381. *usque ad an.* 900.

Iuvat igitur fontes e quibus Sigibertus in hac annalium parte hausisse pro certo nobis affirmare posse videamur, percensere atque in iis tantum quorum nomina Sigibertus vel ipse nusquam attulit vel quorum usum paucis tantum iisque obscuris locis probavit, testimonia quaedam addere. —

Sunt igitur — quotquot equidem reperire potui:

Orosii Historiarum libri VIII.

Prosperi Chronicon (Imperiale sive Pithoeanum).

Idacii Lemicensis Chronicon.

cf. Librum de script. eccles. Cap. 18.

S. Hieronymi Praefatio in librum Psalmorum.

cf. Chron. 382; Opera S Hieronymi ed. Martianay. Tom. I. p. 1222. [1])

S. Hieronymi Liber de viris illustribus.

cf. Chron. 381. cum Libri Cap. 117. 119. 128.

S. Hieronymi Vita S. Paulae.

cf. Chron. 382. 386. 406. cum Vita ap. Surium: Act. Sanct. Mens. Jan. Tom. I. p. 707—720.

Vita S. Hieronymi auctore (ut videtur) Gennadio.

cf. Chron. 421. cum Vita ap. Mabillonii Analecta ed. de la Barre pag. 196.

S. Augustini liber de haeresibus ad diaconum Carthaginiensem Quotvultdeus.

Chron. ad an. 386. 406. cum Cap. 70. 87. in editione Benedictina Operum S. Augustini Tomo VIII. vide infra.

Vita S. Augustini, auctore Possidio Calamensi.

Paullini Nolani Vita S. Ambrosii.

cf. Chron. 403. cf. Vitam in Paullini Opp. omn. ed. Lutetio-Parisiensi. 1661. fol. Tom. I. pag. 64.

cf. Librum de script. eccles. Cap. 14.

---

1) Locus ibidem e triplicis Psalterii Ms. Sorbonico num. 2783. editus jam e Sigiberti Chron. transscriptus est.

Rufini Aquilejensis Historiae ecclesiasticae libri II.

cf. Chron. 383. et Rufinum II. 20. (cum Augustini libri de haeresibus Cap. 55.) de Apollinari Laodicensi; 394. II. 23. 24. 27. 28. in Rufini Opp. I. Verona 1745. fol. pag. 290—300.

Sulpicii Severi Dialogi de virtutibus S. Martini.

cf. Chron. 402. vide infra.

Acta majora (apocrypha) S. Antidii Vesontionensis.

cf. Chron. 411. vide infra.

Gennadii liber de scriptoribus ecclesiasticis.

cf. infra ap. librum de script. eccles.

cf. Chron. 415. cum Cap. 40, 418 cum Cap. 39, 440 cum Cap. 38. Chronici.

M. Aurelii Cassiodori Historia tripartita.

cf. Librum de script. eccles. Cap. 40.

Jordanis Liber de successione Regnorum.

cf. Chron. 547.

Jordanis Liber de rebus Geticis.

cf. Librum de script. eccles. Cap. 35.

Fausti Vita S. Mauri.

cf. ad an. 509. 522. Librum de s. e. Cap. 32.

Dialogorum S. Gregorii de virtutibus Sanctorum Italiae libri quatuor.

vide infra. cf. Librum de s. e. Cap. 41.

Pauli Diaconi Historia Langobardorum.

cf. L. de s. e. Cap. 80.

Pauli Diaconi Vita Gregorii Magni.

cf. ad an. 607. e Vitae Cap. 24. ap. Mabill. p. 396—397. Libr. l. c.

Johannis Diaconi Vita Gregorii Magni.

cf. ad an. 558. e Vita. I. 4. 5. 6. l. c. pag. 400—401.
581. e Vita. I. 27. 28. l. c. pag. 407—408.
590. e Vita. I. 34. 36. l. c. pag. 409.

vide de utraque Vita infra ap. libellum de script. eccles. (Cap. 106.)

(Landulfi Sagacis) Historia miscella.

Catalogus Pontificum Romanorum.
vide infra.

(Anastasii Bibliothecarii) Vitae Pontificum Romanorum.
Canones ecclesiastici.

Bedae Venerabilis Historiae ecclesiasticae Anglorum libri V.
cf. Libr. de script. eccles. Cap. 68.

Gregorii Turonensis Historiae Francorum libri X.
cf. Libr. de script. eccles. Cap. 49.

Gregorii Turonensis liber de miraculis S. Martini.
Chron. 472 (465) e Libro I. Cap. 6. ed. Ruinart.

Gregorii Turonensis liber de gloria Martyrum.
cf. 453. e Libro I. 13. ap. Ruinart l. c. pag. 736—38.
552. e Libro I. Cap. 10; 560. Cap. 22.

Gregorii Turonensis liber de gloria Confessorum.
cf. 606. e Cap. 111.

Lex Salica.
vide infra.

Fredegarii Chronicon cum continuationibus.

Gesta regum Francorum.
cf. prooem. vide infra.

Pauli Diaconi Gesta episcoporum Mettensium.
cf. Chron. 758. e Paulo Diacono l. c. ap. Pertz. II. pag. 262—263; 764. ibid. pag. 268.

Hincmari Vita S. Remigii.
cf. librum de script. eccles. Cap. 99.
Chron. 508. 510. 512. Vita. l. c. pag. 295.

Adrevaldi Monachi Floriacensis de Translatione S. Benedicti.
Sig. 651. Cap. 11. et 12. ap. Mabillon l. c. II. pag. 371.
753. e Cap. 16. et 17. pag. 374—75.
cf. Libr. de s. e. Cap. 100.

Vita S. Clodulfi Mettensis.

cf. Chron. 640. e Vitae Cap. 2. Cap. 4. Cap. 9. 10. ap. Mabillon: Acta II. pag. 1046 sq.

Vita S. Gertrudis Nivialensis prima ab anonymo Monacho aequali conscripta.

cf. Chron. 647. 669. 698 e Vitae Cap. 3. 4. ap. Mabill. l. c. II. 464.

Vita S. Leodegarii Augustodunensis.

cf. Chron. 667. (locum connexum e Gestorum Cap. 45. Fredegar. cont. Cap. 94. Vitae Cap. 3.) 676. 685.

Flodoardi Historiae Remensis libri IV.

cf. Librum de script. eccles. Cap. 131.

Chron. 509. e Flod. IV. 9; 539. I. 24. 25; 567. II. 3; 849. II. 8.

Aimoini Floriacensis Historiae Francorum libri IV.

Sig. 573. III. 4; 637. IV. 41.

cf. Librum de script. eccles. Cap. 101.

Einardi Vita Caroli M.

cf. Librum de script. eccles. Cap. 81.

Annales Fuldenses.

Chronicon Reginonis.

cf. Librum de script. eccles. Cap. 111.

Annales Mettenses ab an. 687 — 930.

Annales Vedastini ab an. 876 — 900.

His fontibus Sigiberti nominatim enumeratis jam quale ejus in iis pro rerum diversitate adhibendis consilium fuerit, clarum reddi potest. — Nam cum in initio annalium Orosio principe Christianorum historico, Prospero et Idacio qui et ipsi Eusebii et Hieronymi Chronica continuantes, collabentis Romanorum imperii res comitati sunt, usus esset, mox ad scriptores rerum gentium illarum, quae Romanas provincias occupaverant, conversus, res Gothorum e Jordane, Langobardorum e Paulo Diacono, Anglorum e Beda Venerabili, Francorum e Gregorio Turonensi et Fredegario atque Gestis re-

gum Francorum contexens, res Persarum aliarumque gentium orientalium petiit primum e Cassiodori Historia tripartita, deinde ex amplissima illa compilatione, quam Historiam Miscellam vocant, regni Byzantini gentiumque eidem adversantium scil. Sarracenorum et Bulgarorum mutuatur; pontificum vitas optimas, quae illa aetate exstabant, ab Anastasio Bibliothecario collectas excerpsit; qui viri in Italia virtutibus effloruerint, e Dialogo Gregorii M. cognovit, auctorique illius tantum tribuit, ut duas vitas ejus summo studio pervolutaret; Carolum M. e comite assiduo et biographo Einardo cognoscere optimum censuit atque ex annalibus, quibus res aetatis Caroli successorumque enarrantur, Reginonem et Fuldenses haud spernendos sibi duces elegit.

Itaque non temere modo hujus modo illius documenti antiquitatis auctoritatem secutus esse vel primas quasque rerum gestarum relationes in rem suam contulisse, sed subtili judicio quae et certissima verisimillimaque et lectoribus utilissima essent elegisse omnemque materiem ad certas rationis ordinisque leges disposuisse videtur. — Neque tamen desunt loci, in quibus, limina praeceptoris egressus longius commoratur, in quo quamvis non immerito reprehendi possit, quod non tam aequabile ac par omnibus aetatibus studium attribuerit, ut non huic vel illi majorem operam daret tamen id semper laudi dandum est, quod nullam operis partem prorsus neglexerit.

Immoratur potissimum in annotandis rebus ecclesiasticis aetatis illius clarissimae, qua S. Hieronymus, Ambrosius, Augustinus et Martinus et vita perfecta et insigni eruditione Christianam ecclesiam decorabant atque fundamenta doctrinae posuerunt — ut ita dicam — sempiterna, neque mirum quod Sigibertus, celebratissimus suae aetatis scholasticus, atque quem mox inter verae Ecclesiae Christianae propugnatores inveniemus vitas Hieronymi, Ambrosii, Augustini legit [1])

---

1) cf. supra et locos ibidem citatos.

eorumque opera quantum ad satis probabilem dijudicationem sufficeret cognita habebat, quod porro materias et eas, de quibus inter ipsos viros sanctos dissensio esset et eas, quas uno ore omnes inter aequales reprobarent, studio suo amplectebatur, quod denique S. Martini clementiam ipsis etiam haereticis praestitam admirabatur. Fortasse Sigibertus etiam in aliis aetatibus sibi proposuerat ecclesiae atque litterarum ecclesiasticarum eventus regnorum vicissitudinibus gentiumque rebus pari ubertate adjungere verum tamen vel rei ipsius gravitate imminuta vel fontibus deficientibus vel copia rerum enarrandarum nimis jam exuberante ab hoc consilio destitisse et parciores tantum harum rerum notitias adjecisse videtur. —

In annalibus tamen saeculi septimi ad origines ecclesiae Christianae in Gallia partibusque quibusdam Germaniae majori se studio convertisse, atque, quod et recentiorum nonnullis magis placuit, in hac pudenda republicae ruina monasteriorum cellas ingredi martyrumque itinera tam periculosa quam praeclara persequi melius habuisse videtur. Plures vitas Sanctorum, quas attigit jam supra recensuimus, ab historiis rerum Mettensium, Remensium, Leodiensium, Atrebatensium, Lobiensium minime abstinuit,[1]) atque summa eorum in annales recepit, haud dubie, quia ipse in his regionibus vitam agebat, atque quo pacto bona illa, quibus ipse gaudebat primum parta essent et cognoscere et tradere studebat, tum quod haec Vitarum Sanctorum lectio aetatem quam maxime delectabat atque talia, quae clericis reliquiarum nimis studiosis placeant, enarranda erant.[2])

Itaque eum excusatum velim, si tam magna at-

1) Non ignoramus quidem iisdem locis a Sigiberto etiam libros Fulcvini de rebus Lobiensibus Harigeri et Anselmi de rebus Leodiensibus, Balderici de rebus Cameracensibus et Attrebatensibus adhibitos esse; sed hoc loco omisimus, ut eos et aetati suae, et parti Chronici, qua saepius descripti sunt (vid. infr. §. 2.) reservaremus.

2) Liceat igitur quasdam Vitas Sanctorum, quae eruditioni Sigiberti de

Dieser Carton ist am gehörigen Orte einzuschalten.

his rebus complendae inserviisse videntur, hoc loco per conjecturam enumerare: scil. *Vitas SS. Columbani Abbatis Vitas Attalae et Eustasii*, illius discipulorum (cf. easd. ap. Mabill. Acta Sanct. Ord. Ben. II. pag. 5—29. pag. 116—127). Attalae et Eustasii ap. Acta Sanct. Boll. Mart. II. 44. III. 790. *a Jona Monacho Bobiensi scriptas* quas ipse citat. libr. de s. e Cap. 61. cf. Cap. 60. ibid. cum Vitae Columbani Cap. 9. l. c. pag. 9., *Audoeni Episcopi Rothomagensis Vitam S, Eligii Noviomensis Episcopi*. Qualis haec fuerit, exponit Cap. 58. vide eam ap. d'Acherii Spicileg. ed. nov. Tom. II. pag. 77—123. ubi tamen tertius ille liber „quo rhetorice et commatice totam ejus vitam recepitulari" tradit, deest. Eum vero extitisse docet Surius. Vitae Sanct. Tom. VI. pag. 685. — cf. locos an. 697 et 746. cum *altera Vita S. Kiliani* (ap. Canisii Lect. antiqq. Tom. IV. pag. 628—641. Acta SS. Boll. Jul. Tom. II. pag. 614—619) haud dubie *auctore Egilwardo*, monacho monast. S. Burchardi Wirzeburgensis, *saec. X. exeunte vel saec. XI. ineunte* (qui et ipse auctor Vitae S. Burchardi prolixioris cf. Vitae Cap. II. Nro. 23 in Actis l. c. pag. 618. cum S. Burchardi Cap. I. No. 20. Cap. II. Nr. 26. in Actis SS. Octob. VI. pag. 581. pag. 583.—584 prolog. Vitae S. Burchardi cum Cap. I. Nr. 2. Vitae S. Kiliani, praefationem Canisii l. c. Mabill. Acta III. 1. pag. 698. Acta Sanctor. Jul. l. c. pag. 606. Octob. l. c. pag. 557.) cum cujus scil. narratione fabulosissima singula Sigiberti verba magis concordant, quam cum vetustiori S. Kiliani vita (quae ap. Canisium l. c. pag. 642—647. Mabill. Acta II. 990—992. Boll. Jul. II. pag. 612—614). et in qua solum fabula de Atalongo traditur. — cf. an. 718. cum *Vita S. Wulfranni Senonensis* primum a Jona monacho Fontanellensi scripta atque Baino Episcopo Tarvannensi et Abbati Fontanellensi dedicata, postea vero ab alio interpolata (cf. Mabill. Acta III. I. pag. 357.). Loci de baptismate a Ratbodo retractato ejusque exitu, quibus Sigibertus usus esse videtur, in Vita quadam breviore, e Ms. Antverpiensi in Actis SS. Boll. Mart. III. pag. 147. edita desunt; dubito vero cum Mabillonio. l. c. pag. 356. num Vitam illam, quae quidem omnibus locis illis, aperte post Baini aetatem interpolatis, tamen et omnibus, qui candorem scriptoris coaetanei atque oculatorum testium narrationibus adjuti probare possint, caret, atque excerpti, quale in ecclesiasticis officiis legi solebat, speciem prae se ferat, vetustiorem esse ducam. *denique Revelationem seu Apparitionem S. Michaelis Achangeli* in partibus occiduis, hoc est monte Tumba in Gallia scriptam ab auctore anonymo ante saec. X. ap. Mabill. Acta Tom.

que ampla fontium copia pervoluta interdum quaedam receperit, quae nobis non ejusdem ponderis esse videantur, rebus sanctimonialium quarundam et miraculis indulgeat, et Adrevaldum exscripserit, qui Nithardum et Theganum intactos reliquerit. —

Accedit, quod dubium non est, quin ad eos maxime libros, quos in bibliothecis Mettensibus et Gemblacensibus reperiebat, confugere cogeretur, atque in iis praecipue exponendis diligentior esset, ad quae cognoscenda facilem habebat accessum, ea, quae impeditiora erant, leviter tantum tangeret [1]). Neque hoc praetermittendum est, eum fontes non eodem habitu, quo nunc exstant, vidisse, sed plurimas Sanctorum Vitas, ut fit, uno in volumine conscriptas, annales et historias interdum mutilas [2]), atque sine continuationibus in aliis monasteriis addi solitis, interdum etiam pleniores [3])

III. Pars I. pag. 84—88. cum Chronico ad an. 709. — Ceterum non mirum, Sigibertum tot Vitas Sanctorum legere potuisse, cum in monasteriis quodam litterarum cultu insignibus collectiones earum institutae sint. cf. Archiv. l. c. III. Sanderi: Bibl. Belg. et infra ap. Vitam Theoderici Ep. Mettensis. — Vitarum S. Amandi, S. Landoaldi, S. Landradae aliarumque mentio infra facienda.

1) Inde explicatur, quod plura Leodiensia, plurima Mettensia afferret, atque ipsis Annalibus Mettensibus uteretur, quamvis ex Annalibus Laurissensibus, Bertinianis, Reginone satis infeliciter consarcinati sint.

2) Sic non certum esse doceam, eum omnes quinque partes Annalium Fuldensium adhibuisse; certe quartae et quintae partis vestigia satis obscura esse confiteor.

3) Sic Annales Vedastinos (876—900) quorum in eo vestigia deprehendi jam Pertz (Monum. I. 516.) recte monuit, haud dubie e codice, qui Bruxellensi illi, cujus is notitiam attulit (Monum. II. pag. 191.), similis erat, et in quo Annales Lobienses ab anno 900 —982. Vedastinos sequebantur, excerpsit; nam eum Lobienses illos in usum vertisse infra demonstrabimus.

Locos tamen Sigiberti praecipuos, ex Annalibus Vedastinis excerptos hoc loco afferre juvat, quia V. D. Waitz Berl. Jahrbücher

et habitu insolito, prologis ornatas ante oculos habuisse. Sufficiat ex pluribus exemplis, quae Sigiberti Chronicon acrius pervolventibus ultro se permulta offerunt pauca haec apposuisse.

1. Primum fere locum inter hos fontes *Chronico Prosperi* tribuimus, idque ipso Sigiberti testimonio ducti fecimus, qui ad an. 402. Sanctum Martinum secundum Prosperum quinto Arcadii et Honorii anno obiisse dicit. — Tironis vero Prosperi Aquitani Chronicon et integrum et Hieronymo adnexum [1]) et in excerptum redactum, quale in Ms. Augustano exstat [2]) non annos imperatorum, sed consulatus singulis rebus praescribit, neque unum quidem in his de obitu S. Martini Turonensis verbum legitur. Repellimur igitur ad Chronicon illud sub nomine Prosperi a Pithoeo quidem vulgatum [3]), huic vero a multis inter recentiores abrogatum [4]).

---

für wissenschaftliche Kritik. 1837. pag. 725. eos e Fulcvini libro de gestis Abb. Lob. deductos opinatus est.

cf. Sigib. Chron. ad an. 878 a quodam Sedechia-moritur, cum Annal. Vedast. ad an. 877. ap. Pertz. II. pag. 196; ad an. 882. Nordmanni — ferro et igni devastant. cum A. V. 879. His denique inter se discordantibus — ferro delent. 879. Sed Normanni — defertur. 880 Nortmanni vero Tornacum — a se desciverant. 880. Nortmanni vero — consumpsit. 881. Nortmanni vero cum infinita — sani revertuntur ad castra; Sig. Sacri ordinis — absconderant cum (Annal. Fuld. ad an. 881. versus finem. Qui autem — portantes.) A. V. 880. Tunc omnes intra Scaldim-devastabant; Ad haec mala-tyrannizabat cum (Annal. Fuld. ad an. 878. Interea Hugo — exercebat) A. V. ad a. 879. Boso — occupat; ad a. 892. Odo rex Danos — bello vincit ex Annal. Vedast. ad a. 888; 894. Odone — benedici faciunt (Chron. Reg. ad an. 892. Odone rege in Aquitania — in regnum elevatur.) A. V. ad a. 893. Franci qui — adversus Odonem regem; 896. Carolus rex — suscepit cum A. V. ad a. 897. ab init. — suscepit; 899. Odo rex — reciperent. Carolus — regnavit. cum A. V. ad an. 898.

1) Canisii lect. antiq. ed. Basnage. Tom. I. pag. 264—305.

2) Canisii lect. antiq. ed. Basnage. l. c. pag. 306—312.

3) l. c. pag. 313.

4) Accuratiorem distinctionem horum Chronicorum, quam *Papen-*

In hoc temporum descriptio imperatorum annos sequitur, unde Chronicon Prosperi *Imperiale* sive ab editore Pithoeanum nominatur, atque ibi quoque ad annum V. Arcadii et Honorii haec inveniuntur:

Martinus post egregie actam vitam corpore exuitur. —

Quod vero in uno loco aperte deprehenditur etiam in caeteris confirmatur [1]). Dictum enim Sigiberti originibus Francorum e „Gestis regum Francorum [2])" excerptis, in prooemio insertum:

Undecunque ergo denominati sunt Franci *quantum altius colligere potuerunt historiographi*, hic Priamus regnabat super eos tempore prioris Valentiniani

in nulla alia recensione Prosperi, nisi in hac Pithoeana ad an. 4. Valentis ita legitur:

Priamus quidem regnat in Francia, *quantum altius colligere possumus.*

Accedit, quod et Sigibertus finem Chronici Prosperi ad an. 457. despoliatione Romae per Gensericum modo memorata — quae et in Chronico Pithoeano ultimo loco enarratur — annotat. — Monuimus porro antea, Sigibertum Chronicon Prosperi editioni Chronici sui praemisisse. — Igitnr argumentis non levis auctoritas accedit, quod jam Scaliger codicibus Sigiberti semper Chronicon Prosperi *Imperiale*

---

cordt: Geschichte des vandalischen Reichs in Afrika pag. 355—358. primus tentaverat, plenius proposuit Waitz in Archiv VII. pag. 228.

1) cf. Prosper. ad a. VI. Theodosii cum Sig. 393; ad a. I. Arcadii et Honorii cum Sig. 398; ad a. II. et III. Arcadii et Honorii (de Gildonis rebellione) cum Sig. 398; ad a. XIV. Arcadii et Honorii cum Sig. 410; ad a. XII. Theodosii junioris cum Sig. ad a. 437; ad an. XXIV. Theodosii junioris cum Sig. a. a. 450.

2) Contra utrum textum Gestorum regum Francorum vulgatum (secundum editionem Marquardi Freheri) an vetustiorem atque fide digniorem e Cod. Eccl. Cameracensis (cf. ap. Bouquet. II. pag. 592 sq. Eichhorn: Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte. I. 422.) secutus sit Sigibertus propter nimiam brevitatem excerptorum non certo distingui potest.

praescriptum esse observavit [1]), ut jam jure quodam majori Prospero ipsi adscribendum videatur.

2. Quod porro inter Sigiberti fontes *Historiam Miscellam* [2]) enumeravimus, erit fortasse, qui hoc nobis crimini det, quod, discrimine inter auctorem et descriptorem neglecto, ea, quae Sigibertus e Pauli Diaconi [3]) Eutropio continuato et emendato (e quo auctor H. M. plurima usque ad finem libri XVI) atque ea quae ex Anastasii Bibliothecarii Historia tripartita [4]), (ex qua auctor H. M. fere omnia a libro XVII — XXIV descripsit) transtulerit, non ab aliis, quae ipsi H. M. debuerit, satis certo distinxerimus.

Cum enim plura in H. M. deesse videantur quae Paulus Diaconus [5]) et Anastasius Bibliothecarius de rebus annorum 450 — 490 enarrant, eorumque nonnulla in Sigiberto legantur sicut ad an. 454 notitia visionis illius, qua Attila ad reditum ex Italia suscipiendum inducebatur, e Pauli Diac. Eutrop. cont. et emend. libro XV [6]) et notitia an. 463. de pictore divinitus punito (vide infra) ex Anastasio — hausta esse videri possent, nisi nostra demum aetate, per V. D. Papencordt [7]) pluribus codicibus H. M. collatis atque natura ejus compilationis acrius perspecta confirmatum esset, editiones illius libro XV inter cap. 6. et 9. mutilas esse et in

1) cf. Archiv VII. 231. Nota 4. pag. 232. Nota 3. Waitz l. c. Chronicon Prosperi Imperiale in aliis quoque codicibus inveniri ostendit.

2) Citamus eandem ex editione Gruteri in Script. hist. August. 1611. fol.

3) Citamus eandem ex editione: Lugduni Batavorum apud Ludovicum Elzevirium. 1642. 16.

4) cf. Anastasii Bibliothecarii Opera. Parisiis. 1649. fol. Tom. II.

5) Quae in Paulo Diacono amplius exstant, Muratorius in editione H. M. (Scr. rer. Ital. I. 1. pag. 97—101.) tanquam lectionem codicis in Nota adjecit.

6) l. c. pag. 117. lin. 30.

7) cf. Geschichte des Vandalischen Reichs pag. 390—400. de quatuor formis H. M. quarum quarta est et ultima haec XXVI libris haud dubie a Landulfo Sagace digesta.

pluribus codicibus, sicut Vaticanis Bibl. Palat. Nro. 909. Bibl. Reg. Suec. 718 et 745 [1]) omnia quae in Pauli Diaconi libro XV et XVI exstent, pluribus ex Anastasio aliisque fontibus admixtis, repetita esse, ita ut, ubi textus H. M. editi desinat liber XV, ibi in codicibus genuinis liber XVII, et ubi liber XXIV, ibi liber XXVI claudatur. — Accedit — quod V. D. Waitz [2]) monuit — Gruterum [3]) jam e Codice illo Palatino, antequam Romam translatus esset, partem illam, in pluribus codicibus mutilam explevisse, ita ut iisdem, quae ille edidit et cum Paulo Anastasioque et cum Sigiberto collatis facile jam dijudicari possit, utrum noster integro codice H. M. an libris Anastasii et Pauli usus sit. Sic si narrationem an. 463 apud Anastasium, H. M. integram et Sigibertum conferas

Anastasii H. T. l. c. p. 44.	H. M. e genere Cod. bibl. Palat. 909. ap. Gruter. l. c. p. 83—84. ap. Papencordt l. c. p. 409.	Sigib. 463.
Sequenti anno cum Pictor quidam pingere Salvatorem secundum similitudinem Jovis praesumpsisset, arefacta est manus ejus, quem peccatum suum confessum sanavit Gennadius.	Sequenti anno cum Pictor quidam pingere Salvatorem (Servatorem ap. Gruter.) secundum similitudinem Jovis praesumpsisset, arefacta est manus ejus, quem peccatum suum confessum sanavit Gennadius *episcopus Constantinopolitanus.*	Pictor quidam, cum Salvatorem secundum similitudinem Jovis pingere voluisset, aruit manus ejus. Quem culpam confessum sanavit Gennadius *episcopus Constantinopolitanus.*

1) Etiam inter codices H. M. a. V. D. Champollion-Figeac in praefatione ad: Ystoire de li Normant, memoratos, duos esse (Bibl. Reg. Paris. 4998 et 5795) qui ad id genus pertineant, docet Papencordt. — Codic. Babenbergensem in Archiv VI. 40. memoratum ad idem genus pertinere jam eo probatur, quod in eo loci ap. Muratorium pag. 97—101. Nota (vide supra Nota 5.) legi perhibentur.

2) in judicio suo de libro Papencordtii in Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik. 1838. pag. 531. publice prolato.

3) in Notis ad editionem H. M. pag. 80—88.

dubium non potest esse, quin Sigibertus, quod Gennadii nomini adscripsit „Episcopus Constantinopolitanus" propius ad H. M. quam ad Anastasium accedat. — Sic omnes locos, qui tantum e Pauli Diaconi Eutropio continuato et Anastasii Historia tripartita explicari posse videntur, vere inde fluxisse et Sigibertum codice H. M. ejusdem generis — quod igitur illa aetate jam in Germania vulgatum esse videtur — usum esse constat [1]). Nam etiam ubi in libris XVI — XXIV (ie. XVIII — XXVI). H. M. discrepat paululum a fonte suo, Historia tripartita, Sigibertus illi potius audientem se praebet. cf. narrationes tres ad an. 789:

Anastasius p. 162.	Hist. misc. XXIII. 23.	Sigib. 789.
Interea Heirene misit Joannem Cancellarium et Logothetam in Longobardium una cum Theodoto dudum Rege majoris Longobardiae ad ultionem inferendam si posset in Carolum et quosdam subducendos ab illo, descenderunt ergo cum Theodoro Patricio et Praetore Siciliae, et inito bello tentus a Francis amare peremptus est.	Interea Eirene misit Joannem Sacellarium et Logothetam in Longobardiam *una cum Adelgiso dudum Rege majoris Longobardiae* quem illi mutato nomine Theodotum dicebant ad ultionem inferendam si posset in Carolum et quosdam subducendos ab illo; descenderunt ergo cum Theodoro patricio eunucho et Praetore Siciliae et inito bello tentus a Francis amara morte peremtus est.	*Adelgisus filius Desyderii regis* qui victo patre suo ad Graecos confugerat, animatus auxilio Graecorum ad Italiam venit aut ad repetendum regnum aut ad inferendam ultionem qui inito bello cum Francis detentus amara morte peremptus est.

1) cf. locum supra citatum anni 454 cum H. M. XV. (ap. Gruter p. 81. Paul. Diac. XV. l. c. p. 118. lin. 2 — 20; Sig. 456. Consilio — perimitur, ex Hist. misc. l. c. p. 82. infra. Paul. Diac. l. c. p. 120. l. 10 — 15. 457. Gensericus — recipit et H. M. XV. in fine libri l. c. p. 83. (P. D. XV. p. 121. e Greg. Magni Dialogo. III. 1.) cf. Jord. l. de s. r. p. 57 — 58. 460. Romani — exstinguunt ex H. M. XVI. in init. p. 83. (P. D. XVI. p. 122. lin. 30.) 464. Eliseus — transfertur ex H. M. p. 84. (Anastas. hist. trip. p. 45.)

Idem porro Papencordt affert [1]), tabulam imperatorum a Julio Caesare usque ad Basilium et Constantinum (975 — 1025) continuatam in fine codicis adnexam esse, quae notitia plurimum facit ad Sigibertum recte intelligendum, quippe qui ordine imperii Byzantini usque ad Nicephori obitum (976) explicato (rebus quidem ab anno 820 quo H. M. desiit partim ex Annalibus Fuldensibus partim e Liudprando desumtis) inde „de illo taceri" profiteatur atque columnam imperatorum illius regni, haud dubie fonte carens, inexpletam relinquat. — Quis igitur eundem simili tabula in codice ejusdem generis [2]) quodam exstante usum esse dubitet? —

3. Inter Sigiberti fontes esse Fausti Vitam S. Mauri vix hoc loco repetendum esset, cum ipse eam verbis ad an. 509. citet, nisi adderet etiam in eadem vita legi „sanctum Benedictum claruisse temporibus Justini senioris et Hilderici Wandalorum regis eodem tempore, quo Rex Theodericus Symmachum patricium et Joannem papam occiderit", atque inde pateret, eum hanc Vitam ea in forma, qua ab Odone Glannafoliensi saeculo IX iterum edita est [3]) legisse. In hoc enim id maxime notatu dignum est, quod e Dialogo Gregorii M.

pluribus admixtis, quae Sigibertus e lectione sacrae scripturae cognovit; Sig. 466. Servandus — perimitur. 467 et 468. Romanus — perimit. ex H. M. p. 84. (P. D. XVI. p. 12.) 473. Orestes — facit ex H. M. p. 85. (P. D. XVI. p. 125. lin. 30.) Sig. 483. In Africa — afflixit ex H. M. p. 87; Sig. 487. Zenon — exstinguit ex H. M. p. 86. (P. D. XVI. p. 130—31.) Ex Hist. Misc. integrae notitiis etiam plura de virtutibus Epiphanii Ticinensis cognovit Sigibertus, unde haud dubie nomen ejus Chronico an. 486. inseruit.

1) l. c. pag. 395.

2) Inde etiam codicem Babenbergensem ad idem genus pertinere probatur, quippe in quo item penultimo folio catalogus Imperatorum usque ad Diocletianum legatur; ultimum vero, quo ille haud dubie usque ad saec. X continuatus erat, avulsum est.

3) Eodem modo eam evulgavit Mabillon inter Acta Sanct. Ord. S. Bened. Tom. I. — Ibidem Nro. 7. pag. 278. legitur: Inter hos velut clarissimum sidus inter astra reliqua lucidius rutilans, *tempore Justini senioris et Elderici* Regis Wandalorum beatus ac egregius

plurima sunt adjecta[1]), quibus etiam prologus ille adnumerandus est, quem Sigibertus summo jure ei temporum ordini qui in ipsa Fausti Vita explanatur, contradicere contendit[2]), quemque omnis ejus indoles ac natura multo serioris auctoris foetum esse planissime arguit. [3])

4. Majoris etiam momenti hoc est, quod Sigibertus Vitae Caroli M. ab Einardo conscriptae mentione injecta Cap. 84 libri de scriptoribus ecclesiasticis auctorem, „*tanto veracius scripsisse*, *quanto ei* (Imperatori) *adhaeserit familiarius*" refert, eoque se adhuc prologum Einardi, a multis scribis postea omissum legisse testatur[4]). Nam inter paucos codices, in quibus eum exstare Pertzius retulit, est Bruxellensis olim *Gemblacensis* saec. XI. (apud Pertz Nro. 7 a primae classis signatus). Ex quo igitur, si quis Sigibertum eo usum esse colligere velit, non multum a vero aberrare dicendus sit. — Cujus codicis Gemblacensis lectiones num cum Sigiberti excerptis conspirent, de eo horum brevitas nos prohibet, quo minus certi quid statuamus. —

---

vir Benedictus facundissimus et luculentissimus Coenobialis Regulae scriptor, totiusque Monasticae religionis discretus institutor effulsit. Quo etiam tempore Sanctus Papa Johannes, qui tunc sanctae et Apostolicae Sedi in Romana urbe praesidebat, a Theodorico Rege Arriano saevissimo Orthodoxorum persecutore fame peremptus est: Symmachus quoque patricius ab ipso Arrianae perversitatis fautore ferro trucidatus est.

Apud Surium: Vitae prob. Sanctorum. Mens. Januarius. p. 342. deest prologus, ibique vita secundum textum Fausti edita videtur.

1) Cap. 10. 11. 12. 13. 14. l. c. pag. 280—281. e Greg. Dial. II. 4. 5. 6—7.

2) cf. Sig. 509. 522.

3) Nam Faustus, Benedicto aequalis haud dubie superfluum duxit, de vita et aetate illius quaedam addere. — Mabillonius haud idoneis argumentis capp. 7. 10. 11. 12. 13. 14. a Fausto ipso adjecta esse demonstrare studet.

4) ap. Pertz: Monum. II. 443.

„ab hujuscemodi scriptione non existimavi temperandum, quando mihi conscius eram, *nullum ea veracius quam me scribere posse*,

Hujusmodi vero exemplis eo adducimur, ut statuamus, nos fortasse veros fontes scriptorum medii aevi vel certe verum illum statum, in quo suis temporibus in monasteriis circumferrentur, saepius ignorare atque tum demum spem esse, ut ad accuratiorem eorum notitiam perveniamus, si annales historiae et Vitae unquam critica prorsus ratione tractati edantur atque connexus eorum, modusque, quo continuarentur et describerentur, in unum corpus interdum colligerentur, rectius illustretur. —

5. Est vero — ut ad aliam rem transeamus — Sigiberto inter scriptores rerum medii aevi hoc proprium, ut praeter annales, historias, Vitasque Sanctorum aliud quoddam fontium genus adhibuerit, cujus quantum momentum sit quamvis nostra quidem aetate minime ignoretur, tamen illa plus inde ad ipsum conferentium usum quam ad litterarum studia utilitatis redundasse putandum est, *leges dico et canones ecclesiasticos.*

Nam quin, cum in quarto „Gestorum regum Francorum" capite celebrem locum de legibus Francorum antiquissimis legisset, ad fontem ejusdem regressus, prooemio Legis Salicae altero et quidem pleniori [1]) usus sit eo minus dubitari potest, cum inde, proceres illos quatuor — qui apud utrumque nominantur Wisogastus, Bodogastus, Salogastus et Widogastus — legem Salicam *dictasse* tradat, deinde vero addat:

„illos per tres mallos convenientes causarum origines [2])

quibus ipse interfui, quaeque praesens oculata ut dicunt fide cognovi, et utrum ab alio scriberentur necne, liquido scire non potui."

1) cf. Eichhorn: Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte. I. p. 238-264. Laspeyres: Lex Salica. (1830. 4.) Ibi prooemium legis Salicae plenius, quo cum in verbis et lectionibus Sigibertus maxime consentit, pag. 3. columna 3 occurrit. Sigibertum a prologo primo, breviori in nonnullis discrepare, neque cum eodem cohaerere, conferentibus statim patebit.

2) Insanam lectionem Sigiberti:

per tres mallos causarum origines convenientes . .

a nobis correctam esse lector haud dubie excusabit.

sollicite tractantes de singulis discutiendo, sicut lex Salica declarat, judicare decrevisse" quod iisdem verbis in Legis Salicae prooemio pleniori, minime vero in Gestis regum Francorum legitur. — In eo vero Gesta illa secutum esse dolemus, quod harum legum atque ordinis judiciarii origines — quas scriptas certe Clodovaeo deberi naturae rerum consentaneum est — regno Faramundi ascribit, quae quidem fabula in textu legis ipsius non invenitur [3]). —

Atque quid est, cur Sigibertum nostrum acrem legum Francicarum pervestigatorem nominare dubitemus, cum ad an. 802. tradat:

Carolum imperatorem legatis ad faciendum judicium et justiciam cunctis per omne imperium directis legis capitula 23 instituisse:

et ad an. 803:

„eundem per omne imperium justitia facta, legis capitula 29 instituisse"

et in his certe dictis ad conventum illum celeberrimum Aquisgranensem anni 802 et 803 respiciat [2]), quo Carolus Imperator consilium, leges gentium sibi subjectarum emendandi exsecuturus „ex optimatibus suis prudentissimos et sapientissimos viros, tam Archiepiscopos, quam et reliquos Episcopos, simulque et Abbates venerabiles laicosque religiosos electos per universum regnum suum direxit [3])" iisque

1) Itaque non possum, quin Viro summo Eichhorn, qui (Deutsche Staats- und Rechtsgeschichte. I. 245.) prologo Legis Salicae critice inspecto, Sigibertum sua ad an. 422. e Gestis reg. Francorum mutuatum esse affirmat, modeste contradicam.

2) de quo vide Eichhorn. l. c. I. pag. 576—578. cf. Chron. Laureshamense et Moissiacense ad an. 802. et 803 ibidem p. 615-617.

3) ibid. p. 579. Monum. Germ. III. sive Legum Tomus I. p. 90-96. Capitulare Aquisgranense anni 802. 40 capp. distinctum. Capitula missis dominicis per missaticum Parisiense et Rodomense data (I. 97—98. II. 16.) 21 capp. per missaticum Senonense 19 capp. distincta (I. 97.) superstant. Sigiberto similia capitula ob oculos fuisse videntur.

certas normas, ad justitiam inter populum administrandam praescripsit. — Additae deinde et eodem et insequenti anno Imperatore jubente, cum legibus aliarum gentium" tum imprimis legi Salicae capitula quaedam [1]), 11 partibus destincta iisque iterum submissa *Capitula minora*, *eaque quidem* 29 *paragraphis distincta* [2]), ita ut in eadem Sigiberti notitia quadrare videatur. Huc accedit, quod et haec [3]) et illa Capitula [4]) in plerisque codicibus Legis Salicae adjecta inveniuntur. Ex tali igitur eum, sicut prologum etiam has notitias, quarum quantum momentum sit, fortasse usu ipso cognovit, recepisse non dubium videtur. —

Se autem legum ecclesiasticarum aliquam notitiam habuisse ipse testis est Sigibertus, quippe qui Olbertum praeceptorem suum Burchardum Wormaciensem in congerendo magno volumine canonum a se adjutum esse referat [5]) et etiam Ivonem Carnotensem aequalem suum, „insigne volumen Canonum [6]) composuisse memoret. — Ad hos igitur libros,

1) cf. Capitula Legi Salicae addenda 11 Capp. distincta cum inscriptionibus codic. ap. Pertz: Monum. III. pag. 112—114.

2) ibid. pag. 114—115. „de causis admonendis."

3) Pertz: Monum. III. 112. „Edimus ea ope Codicum bibl. reginae Parisiensis 4629. 4404. 4995. 4788. 4626. 4632. et inter Supplementa latina Nro. 75, bibliothecae ducalis Guelferbytanae Gudianae, Augustaeae et Blankenburgensis, tum Tegernseensis in bibl. regia Monacensi, bibl. ducalis Gothanae, codicis Sangallensis Nro. 728., codicis Vaticani inter Palatinos Nro. 773. etc." de quibus codicibus legis Salicae vide praeter alios Pertz. Archiv. VII. pag. 729—749. potissim. pag. 735. de codice. Paris. 4404; p. 739. supra de codice quodam Lugdunensi. cf. p. 742. de codice Montepess., pag. 745. de Codic. Paris. 4629. pag. 746. de Codice Middlehill etc.

4) Monum. III. 114. „Capitulis legi salicae addendis in codibus *omnibus* praeter Sangallensem (cf. Nota 3 et locos ibidem citatos). *Capitula minora* subjiciuntur, quae jam illorum ope iterum evulgamus." — Sequuntur deinde inscriptiones codicum.

5) cf. Chron. ad a. 1007.

6) cf. libellum de script. eccles. Cap. 167. Disceptari potest, utrum

si quis in magna illa collectionum canonum multitudine, quarum altera alteram semper descripsit, certos quosdam fontes Sigiberti dignoscere velit, confugiendum esse, clarum est. — Et re vera quaedam decreta pontificum Romonorum, quae in libro pontificali Anastasii Bibliothecarii omissa sunt, e Burchardo Sigibertus supplevisse videtur, quorum luculentissimum illud Papae Deusdedit (ad. an. 614), de interrumpendo connubio parentum, qui filios e sancto lavacro susceperint, est, haud dubie e Burchardi Decreto lib. XVII (de Fornicatione) Cap. 44. [1]) desumtum, quod quidem postea in Ivonis Pannormiam [2]) atque Decretum [3]) receptum est, relicta tamen ultima regula Papae Deusdedit: (ap. Burch. fol. 249).

„Mulieres vero, quum separatae fuerint, ac pro illicita actione a propriis viris totam praecipimus recipere dotem, quam in die nuptiali receperint, et post expletum annum recipiant alium virum, si voluerint. Similiter et vir uxorem"

quam vero ipsam in dicto Sigiberti:

„mulier tamen maritalem dotem recipiat, et post expletum annum alteri, si vult, nubat."

Sigibertus ibi Decretum an Pannormiam designaverit, idque cohaeret cum alia quaestione inter viros doctos quam maxime jactata, utrum Decretum vetustate praecedat Pannormiam, an Pannormia Decretum, atque utra collectio Ivoni Carnotensi majori jure adscribenda sit (cf. libros V. D. Theiner: Ueber Ivo's vermeintliches Dekret et Wasserschleben: Beiträge zur Geschichte der vorgratianischen Kirchenrechtsquellen.) — Quae apud nostrum cum Ivone congrua legimus, plerumque quidem et in Pannormia et in Decreto occurrunt; tamen cum Cap. 134. libri VIII. Pannormiae in usum vertisse videatur (cf. infra) eandem magis, quam Decretum ei ob oculos fuisse statuendum videtur.

1) cf. Burchardi Decretum ed. 1549. Parisiis 12.

2) libro VI. ed. an. 1499. fol. CXL. (Cap. 127. cf. Wasserschleben. l. c. pag. 74.

3) libro I. cap. 305. ed. 1561. fol. 45. in utroque libro usque ad verba: *nisi poenitentiam egerit digne.*

repetitam esse nemo est, qui ignoret?

Anno 688 legum quarundam a Sergio Papa latarum mentione facta, plures sacrae coenae ritus a pluribus papis institutos colligit Sigibertus, e quibus ille, qui ab Alexandro sexto papa ecclesiae commendatus est „aquam cum vino mixtam in sacra coena offerri debere" redolet Caput 3 Libri V Burchardi [1]), reliqua certe minime a communi usu ecclesiae recedunt [2]). — Praeter has gravissimum est decretum Damasi Papae ad an. 382. memoratum

„ne quid contra Episcopos praesumant Chorepiscopi, Chore enim Graece villa vel regio Latine."

cujus falsitas cum ab allis jam demonstrata sit, dubium non est, quin postera aetate episcopis potestati chorepiscoporum invidentibus effictum [3]), atque traditione illa jam firma a Sigiberto descriptum sit. — Quae praeter haec memorantur, aeque ad vulgares fontes revocari, vel certe similibus decretis explicari et confirmari possunt [4]). Sic — ut alia taceam — Bonifacium decrevisse „ut monachi in officio sacerdotalis gradus utantur potestate ligandi atque solvendi (618) in vulgus jam notum est, atque Ivonis testimonio gravissimo confirmatur [5]); Leonis V decretum ad a. 847. annotatum:

ut dum Missarum sacra solennia celebrantur, nullus ex

1) l. c. fol. 135.

2) cf. ad eadem confirmanda. Burchard. V. I. Ivo. Decr. II. 11. fol. 61; B. V. 2. Ivo. II. 12; B. V. 3. Ivo. II. 13; V. 4. Ivo. II. 14. — Ivo. Decr. II. 18. fol. 67. IV. 25. V. 20.

3) cf. V. D. Knust: ad Benedicti Levitae Capitularia III. 423. de chorepiscopis: ap. Pertz. Monum. IV. 2. pag. 33. vide ibidem epistolam 5. Pseudo-Damasi de chorepiscopis. epistolam 88 Pseudo-Leonis. cf. pag. 37. Nota 26. Bened. Cap. I. 320. 321. II. 121. 369. III. 98. 260. 394. 402. 424.

4) cf. Sig. Chron. 404. — Anastasii Vitae ap. Murator. III. 1. pag. 116. cf. Ivonis Decr. II. 75. IV. 28. fol. 118.

5) Decr. VII. 22. fol. 254.

laicis in presbyterio stare, vel sedere vel ingredi praesumat, nisi tantum sacra plebs quae ad ministrationem sacri officii constituta est:

— quod quidem ipsum assequi non nobis contigit[1]) — fama jam proxima aetate ita percrebruisse videtur, ut Frodoardus in versibus de pontificibus Romanis [2]) papae memoriam celebraturus referret:

Si qua videt removenda movet: disponit honores
Sacratosque gradus mixti abgregat agmine vulgi.

Haec decreta vero omnia gravitate superat concilium Romanum anni 774, quod, quamvis in textu tantum Sigiberti veteri legatur, tamen ab ipso auctore in Chronicon receptum neque — ut plures eum defensuri conjecerunt — a continuatore quodam assutum esse pluribus argumentis probari potest [3]). —

Notissimum est eodem loco enarrari, Carolum M. a. 773. in Italiam profectum, Desiderio rege Longobardorum victo atque intra moenia urbis Papiae rejecto sanctos dies resurrectionis (scil. an. 774) Romae celebrasse, deinde ad exercitum regressum et Papia expugnata atque rege capto — quamquam alii scriptores aequales eum inde in Germaniam rediisse tradunt — iterum Romam reversum, ibidemque ipso praesente ab Adriano concilium 153 episcopornm et abbatum convocatum esse, „quo Papa Imperatori cum dignitate patriciatus Ecclesiae Romanae jus eligendi pontificem, atque archiepiscopos et episcopos per singulas provincias investiendi tradidisset, decrevissetque, ut nisi a rege laudatus et investitus esset Epi-

1) cf. apud Jvonis Decretum II, Cap. 137. fol. 78. decretum simillimum „ut laici juxta altare non sedeant" e concilio Moguntino cap. XIII.

2) ap. Muratori: Scr. rer. Ital. Tom. III. P. 2. pag. 245.

3) Vide infra in Appendice II. Parte III. Apud Miraeum legitur ad an. 773:

Adriano Papa contra Desiderium Regem conquerente de multis injustitiis Carolus Italiam petiit, et Desiderium intra Papiam clausum obsidet.

scopus, a nemine consecraretur, onmesque insuper huic decreto rebelles anathematizasset et nisi resipiscerent, bona eorum publicari jussisset."

In eodem hoc, quod dixi, concilio quum propugnatores potestatis pontificalis metuerent, ne libertas electionis atque jus investiturae a Pontificibus usurpatum iis legitime praeripi atque inde odium contra Pontifices maximum conflari posset, iidem tanti periculi culpam in Sigibertum retorquentes hunc machinatorem decreti proclamarunt [1]). — Sed hanc falsam insimulationem et temerariam esse eo potissimum demonstratur, quod jam ante Sigibertum ejusdem mentio facta est. Nam, ut notitiam Chronici Casauriensis, quod quamvis verisimile exeunte saeculo undecimo primum editum sit, nonnullis dubiae aetatis esse videri posset, jam loco Sigiberti fere congruam adque hoc in nonnullis uberiorem [2]) silentio

1) Inter eosdem Gretserus libro I. contra Replicatorem (Goldastum) Opp. Tom. VI. pag. 341—400. qui Sigibertum in gratiam Henrici V, quo cum consuetudine frequenti uteretur, decretum id ementitum esse contendit. cf. Baronii: Annales ecclesiastici cum critice Pagii (Lucae. 1746.) Tom. XVI. pag. 148. Acta Sanct. Mens. Maji. Tom. IV. pag. 125.

Recte quidem Gretserus Goldastum conviciatus esse videtur, qui et Gratiani limites transgressus, non solum 153 episcopos et abbates, sed 94 episcopos, 49 abbates (i. e. 143. quot levi negligentique lectione fontium deceptus praesentes affuisse conjecit) „in concilio consedisse referret, quos se omnes memoriter recordari" posse jactaret.

2) cf. Chronicon Casauriense ap. Chesn. III. pag. 544.

Qui Carolus Pipini filius ab Adriano primo Papa vocatus ad defendendas res Ecclesiae obsedit Longobardos in Papia. Ibique relicto exercitu, in sancta Resurrectione ab Adriano Papa *Romae honorifice susceptus est.* Post sanctam vero Resurrectionem reversus Papiam, cepit Desiderium Regem, et uxorem ejus secum portavit in Franciam. Et inde rediens Romam, constituit ibi Synodum cum supra dicto Papa *in Patriarchio Lateranensi in Ecclesia sancti Salvatoris.* Quae Synodus celebrata est a centum quinquaginta tribus Episcopis religiosis et Abbatibus — et restituit beato Petro, quae pater ejus dederat.

transeam, etiam Ivo in Pannormiae libro VIII cap. 134. [1]), jam ejusdem concilii decretum iisdem fere verbis affert, et notitiam fontis addit talem „*ex VIII synodo historia ecclesiastica.*" Ivonis tamen loco cum Sigiberti verbis collato clarum fit, Ivonem cum in narratione explicanda paullo ampliorem et pleniorem esse, tum vero eo, quod Carolum primum anno 773 Romam pergentem, „honorifice susceptum esse a Papa" atque Synodum *in Patriarchio Lateranensi in Ecclesia sancti Salvatoris*, fuisse tradit, quae Sigibertus omisit [2]), vetustiorem illo se praebere: et cum locus Ivonis haud dubie non ab alio Pannormiae assutus sed ab auctore ipso receptus sit [3]), Sigibertum vero jam collectione quadam Ivonis usum esse verisimillimum sit, hunc locum dubium non est quin inde assumserit.

Quod ad reliquos locos attinet, in quibus decretum Adriani exstat [4]), illud transiisse apparet ex Ivone in

---

(cf. de Chronici aetate Cointii Annales. tom. VI. ad an. 774. Nro. 113.)

1) cf. Ivonis Pannormiam ed. 1499. 4. lib. VIII. fol. CLXXIV, 2. de electione Pontificis. — Pertzius vero Mon. IV. 2. pag. 160. caput Ivonis (quod perperam e Decr. VIII. 134. citat) e codice Caesareo Vindobonensi inter Salisburgenses Nro. 323. saec. XI. exeuntis aut saec. XII a Kopitario transscriptum multo emendatius edidit.

2) Ea quoque in narratione Casauriensis leguntur.

3) Interpolata quidem esse capita. VIII. 134. et 135. conjecit Vir D. Wasserschleben. l. c. pag. 76. quae quidem loco illi inter Decreta de mendaciis inaccommodata non sine causa censuit — quamquam Aug. Theinerus, plurimis codicibus Pannormiae inspectis refert, plerosque in Leonis VIII decreto *demum* claudi (cf. über Ivo's vermeintliches Dekret pag. 27); at is quoque capita de libris in ecclesia imponendis plerumque e. lib. II. cap. 20. repetita haud dubie spuria esse censuit.

4) Idem enim in libro tertio Collectionis quam vocamus „Trium partium" (de qua vide von Savigny: Geschichte des römischen Rechts im Mittelalter. Bd. II. pag. 289. opinionesque inter se oppositas ap. Theiner et Wasserschleben. l. c.) exstare Pertz quidem annotavit

Gratiani Decretum (distinct. 63. cap. 22 [1]). Ivonis aetate inferius esse intelligitur Adriani decretum, quod cum primum Theodericus de Niem [2]) e quodam antiquissimo libro Florentino (cum Decreto Leonis VIII de electione Pontificis atque cessione illa donationis Pipini eidem Papae adscripta) edidisset, nostris temporibus V. D. Kunstmann e codice quodam Bambergensi [3]) purius atque emendatius evulgavit, cum in textu ipso ad verba Ivonis et Gratiani dirigatur, tamen ubique pluribus iisque plerumque aetati Caroli M. et anno 774 [4]), incongruis additamentis sit repletum, neque

---

(Monumenta IV. 2. pag. 154.) tamen codice ejusdem manuscripto (Ms. Berol. 197. fol.) perlustrato non invenimus.

1) cf. Gratiani Decretum ex edit. Lud. Aem. Richter. pag. 207.

2) in Schardii Dissertation. de jurisdictione, autoritate et praeeminentia imperiali ac potestate ecclesiastica. Basil. 1566. fol. p. 787.

3) Tübinger theologische Quartalschrift. 1837. pag. 184 sq. 1838. pag. 337. sq. e codice Q. VI. 31. Saec. XII. collato cum cod. P. I. 9. Nro. 64. membr. saec. XII. de quo etiam V. D. Knust in: Archiv VII. 822. sq. disseruit.

4) sic post illud: ibique honorifice susceptus est a beato Adriano papa; additum:

et cunctis Romanorum et in laudibus civitatis acclamatum est: Karolo perpetuo Augusto a Deo coronato vita et victoria:

quam acclamationem Carolo M. demum cum imperator crearetur contigisse non est, qui ignoret?

post:

quae (Synodus) reverendissime celebrata est a religiosissimis episcopis et abbatibus: adjectum:

adhuc etiam a judicibus etiam et *legis doctoribus* ab universis regionibus et ordinibus hujus almae urbis et cuncto etiam clero hujus sanctae Romanae ecclesiae exquirentibus usus, leges et mores (ejusdem ecclesiae et imperii) quemadmodum ejus hereses (et seditiones) aboleri possent de apostolica sede, et dignitate patriciatus et Romano Imperio: ex quibus omnibus nimius terror crescebat in universo orbe.

Populus itaque Romanus legem condebat more solito: sed difficile erat, pro unoquoque negotio toties in unum congregari: unde sententiam, jus et potestatem Imperii Imperatori concesserunt, prout

majoris pretii videtur testimonium Marsilii Patavini [1]) qui decretum editurus, Adrianum grato animo erga Carolum, abs quo e Longobardorum manibus ereptus in patrimonium ecclesiae restitutus esset, permotum hoc concilii decretum emisisse auctor est.

His de fontibus hujus decreti praelibatis in auctoritatem ejus mihi accuratius, quantum quidem pro virium inbellicitate licebit, inquisituro pauca quaedam hic addere placet, quae etsi quaestionem difficillimam atque diu jam a viris eruditissimis jactatam [2]) non dissolvere poterunt, tamen viae quasi hujus disquisitionis aperiendae et origini erroris atque commenti detegendae sufficient. — Nam ut multis exemplis effici atque confirmari, ea, quae hoc concilii decreto Imperatoribus conceduntur „jus eligendi Pontificem patriciatum ecclesiae Romanae et jus investiturae absolutum" per eosdem a Carolo M. usque ad Henricum IV, quantum viribus valerent, perpetua consuetudine sibi vindicata utque hac via firmum aliquod imperatorum jus contra pontificum impetus omnino defendi posse non negemus, haec tamen jura ipso privilegio aliquo concessa esse idoneis argumentis non videtur demonstrari posse. — Ne igitur memorem consuetudinem illam jam a Merovaeis acceptam, repugnasse pri-

---

legitur. Populus itaque Romanus concessit Carolo et in eum transtulit omne jus suum et potestatem.

1) Marsilii Patavini Tractatus de translatione Imperii (tempore Ludovici Bavari editus) ap. Schardii Dissertationes l. c. Cap. VIII.

Quibus sic feliciter expeditis, et inde Romam accedens, (scil. Carolus M.) temporalia ecclesiae Romanae restituit: simulque Ducatum Spoletanum et Beneventum eidem sua libertate de facto donavit. Tunc Adrianus *beneficiis temporalibus* dicti Principis allectus etc.

2) scil. Goldasto, Gretsero, Baronio, Petro de Marca, Pagio, Sirmondio, Cointio etc. — Recentissimi tamen defensoris, A. C. Ernesti librum: De Concil. Lat. A. C. 774. auctoritate. Lips. 1761. 4. nondum nancisci potui.

vilegio cuidam, quo demum jus investiturae conferretur, ne patriciatum Romanum jam Carolo cum patre Pipino et fratre Carolomanno a Stephano, Alpes transgresso, ut Pipinum advocaret, auxilio collatum esse [1]) referam, neve aliis argumentis, quae adversarii Sigiberti attulerunt operam dem jam eo, quod, Carolus Papia expugnata atque Desiderio rege capto, anno 774 minime Romam reversus est [2]), sed in Saxoniam potius, ut bellicos motus ibi se absente exortos compesceret, statim properavit, intelligitur, talem synodum, Carolo praesente Romae habitam ne cogitari quidem posse. Accedit, quod et apud Ivonem Gratianumque, et in codice Florentino Theoderici de Niem, atque Bambergensi decretum illud Adriani I Leonis VIII cessio juris investiturae, in codicibus etiam ejusdem cessio donationis Pipini — quas quidem spurias esse inter omnes constat — insequuntur, et inde fides ejus quam maxime debilitatur.

Cum vero synodus sit conficta, verisimile est errore quodam deceptos esse fabricatores, cum VIII synodum, quae re vera Adriano II Pontifice habita est [3]), Adriano I adscriberent, atque cum Adrianus I fortasse aliam synodum habuisset, in qua 153 episcopi et abbates convenissent, eum hunc vel esse existimarent vel certe simularent. Illud enim e notitia Ivonis „Ex VIII Synodo" [4]), conjicitur, hoc vero

1) cf. Kunstmann. l. c. 1838. pag. 349.

2) cf. Gretser. l. c. Teissier: Bibliotheca Cisterciensis. VII. 100. Neque Anastasius, neque Frodoardus hujus itineris mentionem faciunt.

3) Anno 869. et 870. Vide acta VIII synodi oecumenicae ap. Mansi: Coll. concil. XVI. pag. 1—543. In eadem plura decreto illi anni 774 longe contraria, instituta esse constat. cf. dicta Gregorii VII in Epistola 22 libri IV. ap. Baronium ad an. 1077. Edit. vet. XI. pag. 512—513.

4) Quid sibi velit additamentum „historia ecclesiastica" plurimi frustra disquisierunt.

confirmat dictum Frodoardi in Versibus[1]). „Adriano Papa centum ter quinquaginta patres dogma pium firmasse." His erroribus connexis atque studio partis imperatoriae, privilegiis jus investiturae sibi vindicandi, accedente, commentum illud exoriri potuisse nemo non videt. Regem Heinricum V jam decreto Adriani spurio usum esse eo demonstratur, quod Paschali II Trecis versato in concilio anno 1107 legatos transmisit, per quod ipsi „potestatem constituendorum episcoporum privilegiis apostolicis Carolo imperatori concessam" notificaret[2]), atque quod in encyclica de rebus Romae anno 1111 gestis[3]) de Paschali Papa ipse dixit:

„Regno quidem jam a Carolo trecentis et ec amplius annis et sub sexaginta tribus Apostolicis investituras Episcopatuum eorundem auctoritate et privilegiorum firmitate tenenti absque omni audientia auferre volebat etc." —

Itaque id — cum omnes vetustiores scriptores de eo sileant — saeculo undecimo exeunte, cum discordiae inter imperium et pontificatum acerrimae flagrarent, effictum esse patet auctorem vero, si quidem in tali decreto de auctore quaestio recte instituitur, Sigibertum, cum id nec primus nec genuinum afferat, non fuisse manifestum est.

6. Nominavimus inter Sigiberti fontes *Catalogum pontificum*, quem ab eo adhibitum esse mirum videri possit,

---

1) l. c. pag. 194.

Sic interna colens, externis addere curam
Ne cesset monitis, Augusta palatia visit
Legatisque regit, *sacra Signa* tenenda retexit,
Concilioque loco Patrum coeunte priorum
Dogma pium centum terquinquagintaque firmant.

Synodum 153 episcoporum inter illas Adriani I, quae extant, frustra quaevisimus. Frodoardus certe, si synodum Nicaenam alteram anni 787 sive VII oecumenicam designavit, errat; nam in ejusdem Actione prima aderant 247 episcopi, in Actione septima eadem ultimaque 343. (cf. Mansi. XIII. pag. 498. 722.)

2) cf. Kunstmann. l. c. 1837. pag. 189. loc. ibid. citat.

3) ap. Dodechinum ad an. 1110. Cod. Udalr. Nro. 261. de qua vide infra Append. II. Parte III.

cum jam in Anastasio Pontificum ordinem plenissime digestum legere posset. Sed cum in Pontificibus inde a S. Petro enumerandis minime cum Anastasio consentiat, et ordo Pontificum, qualem praesertim saec. X. et XI. Chronici sui offerat, iteratas adhuc curas nostras requirat, quaestionem num et alius catalogi ope usus sit hoc loco jam nisi decernere, certe aliquo modo ventilare licet. — Damasus Papa, absque Sigiberti Chronicon exorditur, in editione principe est *tricesimus quintus*, in textu Miraei *tricesimus sextus* (cf. ad an. 387.) — Quaeritur igitur, uter catalogus Sigiberti ipsius sit. Quod ad textum Miraei attinet, editor ipse ad an. 387. ubi Siricium XXXVII. Papam annotat „in numeris Pontificum annotandis Sigiberti exemplaria non consentire, ipsum Gemblacensem codicem in numeris audaci cujuspiam manu esse vitiatum" et cum usque ad Paschalem I. (97. an. 817) e ratione sua Pontificum numeros recte annotet Eugenium (ad an. 824). qui 98 esse debebat, ex auctoritate codd. Gembl. Aquic. et Ortel. 100. designat, et inde justo iterum numerorum ordine progreditur — ita ut editio princeps inde tribus numeris a Miraeana distet. Si vero locum an. 688. (eo potissimum cura quadam dignum, quia in hoc anno Sigibertus quorundam Paparum Damaso priorum numeros affert) in utroque textu conferas, Damasum quidem apud Mir. 36. in edit. pr. 35 (ita enim pro 15 legendum) Caelestinum ap. Miraeum 42.[1]) (ita enim pro XII. legend.) in edit. princ. 41. Gelasium ap. Mir. 48. ap. ed. princ. 47. (cf. ad an. 487.), Gregorium M. ap. Mir. 63. ap. ed. princ. 62. (ita enim pro 42. legend. cf. ad an. 592.) papas vero Alexandrum, Sixtum et Telesphorum apud utrumque VI, VII.

1) eodem igitur numero, quo ap. Mir. ad an. 426. quamvis Miraeus ad an. 420. ad Bonifacium XLI. in nota marginali satis obscure: „In mss. XL. et sic deinceps." — Locus an. 688. in quo Innocentius (I.) XL. Papa praedicatur (cf. ad an. 404) in textu Miraei litteris minusculis extat, in ed. princ deest. —

et VIII. numeratos videbis, quos tamen, si certam quandam rationem editio princeps sequeretur, V. VI. et VII. — sicut in Hieronymi Chronico — numerandi essent. — Inde jam quis numeros editionis principis ab alio immutatos esse conjicere, Sigibertum vero Hieronymi modum numerandi ap. quem Damasus re vera est 35. non sequi voluisse certius statuere possit. Discrepat Eusebius et Hieronymus ab Anastasio, qui Damasum numerat XXXVIII. eo, quod hi Petrum non numerant Cletum ignorant (vel cum Anacleto eundem esse existimant) Marcellum post Marcellinum non nominant;[1]) Felicem Arianum, qui Liberio in exilium misso, Pontificatu potitus est, uterque numero non insignit. — Reginonis, et ipsius antesignani Sigiberti nostri Catalogus Pontificum ad Anastasii ordinem propius accedens numeris certis caret;[2]) etiamsi vero in illo catalogo Alexander VI. papa duci posset, Damasus neque XXXVI. neque XXXV. esset. — In Mariani Scoti cujus infra ratio singularis erit habenda, textu edito[3]) eoque quidem quam maxime corrrupto Linus et Cletus tanquam Petri coepiscopi nullo insigniuntur numero;[4]) Clemens ad an. 72. numeratur 1, post Petr. Anacletus 2, ad an. 97. vero perperam Evaristus 4, atque (quamvis locus an. 102. huic ordini jam contradicere videatur) hoc modo pergitur an. 109. Alexander 5. pluribusque erroribus cumulatis[5]) ad an. 365. Damasus. 38. insigni-

1) Alii ita: Petrus, Linus, Cletus; Clemens, Anacletus, Hieronymus: (Petrus,) Linus, Anacletus, Clemens. — Apud alios numeratur Gajus 29, Marcellinus 30, Marcellus 31, Eusebius 32, apud Hieronymum: Gajus 27. Marcellinus 28. Eusebius 29. Apud Idacium Siricius 36. Papa; seqnitur is Hieronymum.

2) ad an. 717. Chronici.

3) cf. edit. ap. Pistor. ed. Struv. Tom. I. pag. 441.

4) cf. ad an. 59. et 70. l. c. pag. 552—554.

5) scil. cum ad an. 252. et 255. Cornelius et Lucius eodem numero 20 insigniantur, 253. idem Cornelius numeretur 19 quo numero ad an. 237. Fabianus notatus est. 295. Gajum 26. sequitur Marcellinus 28; Marcus et Julius (vide ad an. 309. 333.) eodem numero 33 notati. Ju-

tur. Ut igitur Sigibertus a fontibus suis vulgaribus in primo jam numero discrepat, sic ipse plerumque recto ordine pergens, vitiorum quae in catalogis commiserunt vix particeps; [1]) monendum tamen est, eum cum numeris textus illius, quem ad genuinum Marianum proxime accedere multis probabitur argumentis apud Alexandrum et Sixtum quidem discordem esse, [2]) apud Damasum vero et sequentes cohaerere, [3]) et quod his gravius est — papas Agapetum et Basilium quos Sigibertus in aliquibus libris (scil. ap. Anastasium) non inveniri annotat (ad an. 888. et 891.) apud Marianum leguntur. [4])

Hactenus ea prosecuti sumus, quae de Sigiberti codicibus vel singularibus vel singulari habitu ei oblatis dicenda

---

lium illum 33. sequitur 350. Liberius 35. hunc an. 366. Damasus 38. eumque Siricius iterum 38. ad an. 383.

1) Anastasius post 92. Zachariam Stephanum 94 ponit; Regino aberrat a linea sibi constituta, Joanne II, Bonifacio IV. Deus dedit et Bonifacio V. omissis, atque in Zacharia ordinem cogit; Catalogus quem Eccardus Corp. hist. med. aevi II. edidit, quique propter nuncios res pontificum saec. X. illustrantes magni est momenti, cujusque genus in Germania crebrum fuisse videtur (cf. Pandulphum Pisanum ap. Muratori III. 2. Catalogum e Codice Zwetlensi ap. Pez. Thesaurus I. 3.) a Sigiberto maxime discedit, neque varii codices Hermanni Contracti, qui quidem auctor primum ex Hieronymo numeros paparum instituit, postea vero ab temere deflectit (cf. Cod. Aug. ap. Ussermann. I. ad an. 296. 304. etc. 365. 384.) multisque vitiis infectus Bernoldus, Codicis novi auctor. (cf. ibid. 366. 402), Sigibertum in catalogo suo enumerando adjuvisse videntur.

2) scil. Florentio Wigorniensi (1601. fol.) ap. quem ipsi Linus et Cletus Coepiscopi S. Petri, et Clemens 1, Anacletus 2, Alexander 4. ducitur. —

3) scil. Damasus 36. ad an. 363. vide infr. Mariani textus editus pluribus erroribus commissis, in numerandis papis a Stephano IV. (ad an. 769) usque ad Agapetum (cf. not. seq.) cum Florentio forte concinit.

4) Desunt hi in Flodoardi Versibus de pontificibus Romanis, in Catalogo Eccardino, in Hermanno Contracto cf. apud Marianum 887. et 890.

viderentur. His non dubito, quin Viri docti, qui harum literarum tirocinia jam dudum praestiterunt, vel huic vel illi ex iis quos enumeravimus fontibus singularem impenderunt diligentiam multa addere possint. —

Quaeritur nunc, quomodo Sigibertus saecula illa, quorum quum ipse adolesceret nulla recens vivaque memoria superesset, et quorum quae fuerit indoles et historia quique successus ex libris tantum petendum esset mente sua conceperit. Atque in eo quidem fateri nos oportet, eum ab illa historiae universalis notione quae recentiorum animos erexit, atque summi numinis admiratione replevit cum omnibus fere qui ejusdem aetatis erant plane remotum fuisse; erat illius aetatis Dei omnipotentiam formis solum quae naturae rerum adversarentur concipere quae vero ab illa per naturae rerumque gestarum cursum aeternum procreabantur vel ignorare vel mentione indignum habere. Et Sigibertus aetatis suae moribus aliquid tribuit; miracula ex aliorum testimoniis recepit, quorum igitur cum lectores nostros hujus scriptorum medii aevi moris peritos esse confideremus non nisi critica quadam causa moti mentionem eorum facere necessarium esset habuimus rationem. In Historia ipsa praeter quod pia illa quae optimos quosque totius aetatis Christianae viros exornavit mente progressum verae fidei laeto observavit animo et regnorum initia, florem, bella alternatim gesta, defectus excidiaque prosecutus est, nihil, quod universalem rerum connexum supremumque Dei consilium probaret spectasse videtur. aetatis ingenio obnoxius, prophetiam Danielis in Romanorum regno conspicere sibi visus est; tamen non omnem historicae populorum necessitudinis notionem eum fugisse hoc probavit, quod ipse confessus est „de regno Hunnorum ipsam gentis barbariem silere se facturam fuisse, nisi illud famosum Galliarum et Italiae excidium, quod Attila duce terris illis intulerint, loqui se cogeret."

Ille potius historiae universali docendae eo modo prodesse videtur voluisse, quod quam plenissimum regum regnorumque et pontificum ordinem lectoribus proponeret. Huic consilio fontium collectionem — quantum quidem ejus subsidia valuerunt — aptam inserviisse jam diximus; cum vero in digerendis opibus suis synchronisticam sequatur methodum, hos fontes simul legendi atque huic vel illi anno ex tribus quatuorve vel pluribus etiam eorum modo quae ad Romanos modo ad Persas et Byzantinos, Francos, Britones Visigothos pertinerent ex illis excerpendi atque alterum alteri apponendi porro res pontificum ecclesiae et litterarum eis interserendi negotium in se suscepit, cui si auctorem recentiorem bene stetisse singulari laudi ducere vellemus operam nostram perderemus, Sigibertus vero cum nullum tam ampli atque aequabilis operis ducem haberet eo recte administrato non minime excellet. In quo non solum vulgarem regnorum ordinem e scriptoribus gentium Germanicarum scil. Gregorio, Jordane, Paulo Diacono, Beda, Historia miscella petitum sequitur, sed cum eum fontes multos non cuiquam monacho obvios legisse videamus, etiam eorum usum fecit huic aetati singularem. — Sic ad an. 383. psalterii Hieronymitani mentionem injecit ex optimo fonte haustam; [1]) medias inter notitias regni Francorum haud raro miraculum quoddam e libris illis Gregorii Turonensis miraculosis decerptum apparet; in Vita Caroli M. quam quibus e fontibus [2]) hauserit indicavimus, ad an. 774. et ad an. 790. id, quod cantui ecclesiarum Gallicarum corrigendo operam dedit, e Johannis Diaconi Vita Gregorii Magni accersivit. [3]) —

1) cf. sup pag. 22.
2) cf. sup. pag. 24.
3) cf. ad an. 774. Karolus Rex offensus — revocata est cum Johannis Diaconi Vita G. M. II. 9. ap. Mabill. Acta I. 416. ad an. 790. Karolus Rex — intentus ex Einardi Vita Caroli M. Cap. 26. curabat — honestate. legendi — correxit. ex ead. Vita Cap. 26. Legendi — emendavit, eique loco subnexum excerptum (Perpendens —

Neque desunt loci in quibus duorum vel trium vel adeo quatuor fontium dicta connectere solet, ut hoc modo non sine quadam arte cognitionem rerum ipsam auctam vel amplificatam vel quasi emendatam posteris traderet.

Sic in iis, quae ad an. 681. de sexta synodo Constantinopolitana enarrat, fontes connexi; nam quae ibi acta „Georgium Constantinopolitanum Episcopum ab errore Monothelitarum revocatum, Macarium Antiochenum et cunctos duas voluntates et operationes in una Christi persona negantes anathematizatos esse" profert, magis ex auctoritate Vitae Pontificis Agathonis, cujus aetate synodus acta erat, in Anastasii libro,[1]) eamque secuti Pauli Diaconi[2]) (cui iterum adhaesit Regino)[3]) memorat, congregatos vero fuisse in illo synodo episcopos *ducentos octoginta novem* es Hist. misc. XIX. 22. additum esse videtur, cum liber Pontficalis eique adhaerens Paulus pluresque posteri centum et quinquaginta tantum affuisse dicant.[4])

Adde, quod relationem de capta Carthagine per Gensericum e tribus fontibus apte composuisse videtur scil.:

---

correxit) e Joh. Diac. II. 10. l. c. Apud Johannem legitur: Metteuses vero sola naturali *feritate*, ap. Sigib. Mettenses vero sola naturali *levitate*, quam lectionem haud dubie e codice suo a Sig. receptam quod Johannes in fine „ne indiscussam *Gallorum levitatem* videar praeteriisse" addat, atque omnes (Gallos) dulcedinem cantus *levitate* quadam corrupisse enarret, Mettenses vero iis opponat, refutari duco.

1) l. c. pag. 142. 144.

2) VI. 4. ap. Grot. pag. 806.

3) ad an. 605. cf. etiam Marian. Scot. ad an. 676. e libro Bedae de sex aetatibus mundi.

4) Atque hoc quidem magis ad veritatem accedere videtur. cf. ap. Schlosser: Geschichte der bilderstürmenden Kaiser pag. 94 — 95. diversos auctorum numeros recensitos. In subscriptione Concilii ipsius (Mansi Tom. XI. pag. 639) centum septuaginta quatuor nomina inveniuntur. Memorat is etiam opinionem eorum, qui sub numero ducentorum octoginta novem eos quoque episcopos, qui Agathonis jussu Romam congrediebantur, comprehendi dixerunt. —

Prosper ad an. XXI. Theodosii junioris l. c. pag. 317.	Idacii Chron. ad an. 15. Theodosii junioris.[1]	Hist. misc. XIV. 16.[2]	Sigib. 446.
Carthago a Vandalis *capta*, *cum omni simul Africa lachrymabili caede et damno Imperii Romani potentiam dejecit*. — Ex hoc quippe a Vandalis possidetur.	Carthagine fraude decepta, decimo quarto Calendas Novemb. omnem Africam rex Gaisericus invadit. Gaisericus elatus *impie Episcopum clerumque Carthaginus depellit ex ea* et juxta prophetiam Danielis demutatis ministeriis Sanctorum *Ecclesias Catholicas tradidit Arianis*.	*Gensericus*, de cujus amicitia nihil metuebatur Carthaginem *dolo* pacis invadit, omnesque opes ejus (excruciatis diverso tormentorum genere civibus) in jus suum vertit *nec ab ecclesiarum despoliatione abstinens* quas sacris vasis *exinanitas* et sacerdotum administratione privatas *non jam divini cultus loca sed suorum jussit esse habitacula* in universum captivi populi ordinem saevus *sed praecipue nobilitati et religioni infestus*, ut discerni omnino non possit, hominibus magis an Deo bellum intulisset.	Gensericus dolo Carthaginem cepit, et omnem Africam sibi subjiciens, lachrymabili clade potentiam Romani regni dejecit Hic nihil pensi(neque) nihilque sancti habens et infestus cunctis maxime nobilitati et religioni omnia divina et humana exinanivit episcopum et omnem clerum ecclesiae Carthaginiensis expulit, loca sancta aut suorum habitacula fecit aut Arianis (con) tradidit, et Catholicos ubique persequi jussit.

atque confitearis, eum me hercle non meri descriptoris partes egisse. — Inde et rerum, quas enarrat, lacunas quasdam sensit; dolet fontes deficere, e quibus res Anglorum enarret, vel Saracenorum et Bulgarorum regna prosequatur, cum etiam nomina quoque Imperatorum eum lateant, confiteri cogitur,

1) In Excerpto Fredegarii lib. III. Cap. 3. haec hoc modo excerpta: Carthago magna fraude decepta . . . . Geisericus Rex Swevorum multas in sacerdotibus fecit strages.

2) scil. e Chronico Prosperi integro ap. Canisium ed. Basnage I. 303. cum die expugnatae Carthaginis (XIV. Cal. Novbr.); in Chronico Prosperi e Ms. Augustano ibid. pag. 310. sine hac die ex quo ap. Mar. Scot. ad an. 440. cf. Archiv. VII. 232.

se de imperio Byzantini omnino tacere; catalogi Pontificum diversitates et vitia aucupatus esse videtur. — Cognovit scriptorum quos sequitur aetatem, initium finemque librorum[1]) singulorum auctoritatem, quod quamvis nostrae aetati vulgare atque tritum appareat, rarum jam fuit illa quae scriptores in codicibus manuscriptis alterum alteri adnexos legere solita est, atque quae historiae litterariae minus gnara, quae aetas, quaeve condicio quod denique nomen vexilliferis suis esset non ubique quaerebat. — Quot enim sint medii aevi auctores, qui, quicquid vetustior quidam sibi accidisse enarravit, tanquam si ipsis accidisset in Chronica sua receperint, vel ubi is rerum quas relaturus esset aut suum aut alius cujusdam testimonium interposuerat, idem illud repetierint — harum literarum peritis vix est, quod in memoriam revocem; hujus tamen vitii noster scriptor nullo loco particeps factus est. Neque in aliud vitium, quod aetatis illius scriptores crebro infecit, scil. quod, cum eandem rem in duobus fontibus diverso modo enarratam invenissent, alteram alteri narrationem ignari apposuerunt, non nisi rarissimis locis ille incidit, quamvis tam vasta mole scriptorum eadem modo paululum immutata ex suo ore referentium oppressum etiam errasse interdum eum non damnaret. — Accedit quod nusquam fere fontes suos nominatim affert nisi ubi testimoniorum in duobus fontibus

1) In eo solum mirum quantum errat, quod ultimam Idacii notitiam quam is satis clare anno III. Anthemii adscripsit (cf. Bibl. max. patr. VII. pag. 1238) ad an. 490. ponit (scil. In Mineo — praesentis anni) atque Idacium hucusque Chronica sua perduxisse ait, quamvis is ipse se jam tertio anno Valentiniani Placidiae filii (i. e. 427) episcopum factum tradat atque in tertio Anthemii sive XI. Leonis Imp. Orientalis anno Simplicii Papaee lectione memorata (quae omnia quadrant in an. 467 vel 468) Chronicon suum claudat, libelli de XII. scriptoribus auctor (cf. Fabric. Bibl. eccles. pag. 69. cap. VIII.) qui quidem eum anno VIII. Leonis Chronico finem imposuisse perperam tradit cum jam sub Leonis Imperio decessisse referat. —

lectorum diversitatem vel inconstantiam speciatim arguere velit — atque quod hoc gravius est — paucis tantum locis atque praecipue iis, ubi fontes jam tam tenues invenit, ut eos decurtare amplius non liceret, eos descripsit immo plerumque longinquas narrationes in brevia redegit excerpta, quibus summa rerum continebatur, atque hac ipsa brevitate se res bene perspectas habere procul omni dubio fecit. —

Attamen non eo modo ei deditus sum, ut eum fontium testimonia secundum eorum auctoritatem et vetustatem pensitasse existimem; nam eum scriptores rebus aequales cum aliis pluribus saeculis inferioribus et longe minori auctoritate nitentibus composuisse nec me fugit: sic ut e multis unum afferam exemplum scil. de Croci illius Vandalorum regis fabulosi et de Antidii Vesontionensis rebus. Nam quamvis apud Gregorium Turonensem tempore Valeriani et Gallieni imperatorum, Chrocum regem *Alemannorum* ut feratur matris iniquae consilio stimulatum cum gente sua Gallias pervagatum, cunctas aedes, quae antiquitus fabricatae fuerant, notissimumque delubrum quoddam Arvernense subvertisse, apud Arelatum vero comprehensum, diversis affectum suppliciis, gladio verberatum interiisse [1]) — rem igitur nisi propioribus testimoniis adjutam, certe statui Galliarum et populorum Germanicorum qualis Gallieno imperatore extitit non contradicentem [2]) legere posset, ad fabulam inde apud seriores confectam deflectit. Nam in Fredegarii Collectionis chronographicae libro III. [3]) eo, quem ex Idacio desumtum esse statuit quamvis hujus quidem narrationis in Idacii Chronico nullum inveniatur vestigium [4]) — Crocum regem *Vandalorum* cum

1) cf. Greg. Tur. I. 32. 34.

2) cf. Aurelii Vict. de Caesaribus cap. XXXIII. ap. Gruter. script. hist. Augustae pag. 745. Eutropii Breviarium lib. IX. cap. 8. Alamanni vastatis Galliis in Italiam penetraverunt. Bünau: deutsche Reichshistorie I. 373.

3) scil. Cap. II. ap. Canisium Lect. antiqq. ad. Basnag. II. pag. 191.

4) cf. de hoc libro Canisium. ed Basnage I. c. pag. 150. Archiv VII. 254.

gente sua Suevis Alanisque Gallias appetentem, a matre sua excitatum esse, ut, si novam rem facere nominisque celebritatem sibi acquirere vellet, omnia destrueret et populum quem superasset totum interficeret. Nam satis candide barbara mulier addidisse fertur — „nec aedificium meliorem a praedecessoribus facere potes, neque plus magnam rem, per quam nomen tuum eleves." Crocum igitur Rheno trajecto, Moguntiam vastasse, Mettas cepisse, atque Trevirensibus quidem in arena civitatis, quam muniissent liberatis, omnes urbes Galliae vel delevisse vel vastasse, denique cum Arelatum obsideret, a Mario quodam milite captum vinculisque constrictum atque per universas civitates quas vastaverat ductum impiam vitam digna morte finiisse. Trasemundum successisse in regnum. Alamannos porro adversus Vandalos arma commovisse; cumque in duorum virorum certamine singulari quo gentium lis decerneretur, Vandalus ab Alamanno victus esset, Trasemundum secundum placitum cum Vandalis, Suaevis et Alanis Hispanias appetiisse." — En fabula e Gregorii brevi narratione et fortasse mytho quodam inter Germanicas gentes pullulante qui qualis fuerit et num in aliis paeter hoc poesis documentis quodammodo recurrat, a Viris harum rerum peritis inquiri velim, connexa, in quam etiam quae Vandalis Galliam aetate Honorii Imp. ingressis acciderint recepta atque corrupta plane relatione reddita esse videntur.[1])

1) Vix memoro Trasemundum demum a 496. Vandalorum regnum adeptum esse, Vandalos vero. cum ineunte saeculo V. Gallias adepti essent, sive metu Gothorum (Jordanis Cap. 31.) de quo tamen cf. Papencordt l. c. pag. 386. sive intestinis Romanorum discordiis usos Hispanias appetiisse cf. Mascov. Geschichte der Teutschen I. pag. 347 — 348. 369. 373. Locum dedit confusae huic narrationi, quod Gregorius Tur. II. 2. de bellis inter Vandalos et Alemannos in *Hispania* gestis, de obitu Gunderici, et successione Trasamundi perperam tradidit. Ex recentioribus solus Loebell. Gregor von Tours. pag. 411. Croci rem attigit, dubito vero num satis recte cum Bunavio Marium, cujus nomen in hac tantum historiae forma prodit, qua Crocus rex Vandalorum saec. V. perhibetur triginta tyran-

Aimoinus lib. III. cap. 1. urbis Mettensis, regiae Sigiberti, filii Clotarii I. sedis mentione facta, *de ea, quid in veterum reperisset libris* enarraturus rem Croci e Fredegario recoquit. Auctor fabulam paululum ampliavit addens. Crocum a matre quaesiisse quid faciendo Magni nomen obtineret? atque in rebus Mettensibus aliquantulum inhaerens. — In Gesta Trevirorum[1]) Fredegarii narratio iisdem verbis transiit, nisi quod in rebus Trevirensibus paulo ampliora sunt et a fonte sua deflectunt, atque id „temporibus Honorii Imperatoris" evenisse addunt. Sigibertus, ut ad hunc redeamus, quantum e verborum similitudine conjicere licet, narrationem suam de Croco ex actis apocryphis Antidii Vesontionensis, libro medio saec. XI. scripto[2]) desumpsit, in quo et ipsa e Fredegario hausta nonnullisque amplificata exstat.[3]) Inde etiam Antidium daemone ipso inserviente Romam

---

nis (cf. Trebellii Poll. ap. Grutèr. l. c. pag. 397.) annumerandum esse conjecerit.

1) cf. recensionem vetustiorem ap. d'Acherii Spicileg. II. pag. 211.

2) Ea quidem non ante aetatem Hugonis Archiepiscopi (1031—1067) qua ossa S. Antidii in monasterium S. Pauli translata sunt, conscripta esse recte conjecerunt Chiffletius et Bollandistae. cf. Acta SS. Jun. Tom. V. pag. 40. —

3) Cap. III. Nr. 9. l. c. pag. 45. Nam in his actis „Honorio igitur Magni Theodosii filio cum prole fratris Arcadii minore Theodosio summam imperii moderante jure regio (i. e. post an. 408.) ea res gesta esse traditur, in his Antidium Vesontionensem ipsum, tum Desiderium Lingonensem et Valerium Archidiaconum (Vincentii nomen igitur error est scribentis) martyres tunc factos esse narratur; in his Cap. III. Nro. 13. pag. 46. „Crocus itaque cum Suevis et Alemannis Galliam Lugdunensem pervagans, cum Arelatum pervenisset, jam majori destitutus exercitu, captus *a Mario Praeside* catenis nexus per plures quas vastaverat urbes ad improperium *reductus*, victisque victor ad vindicandas injurias repraesentatus post multorum cruciatuum *tormenta* impiam vitam misero finivit obitu, — quae verba illis Sigiberti ad an. 411. similiora sunt, quam haec Fredegarii vel Aimoini. — Nicasium quem Acta S. Antidii inter martyres afferunt Sigibertus ex aliis fontibus ab Hunnis demum martyrizatum esse statuit ad an. 453.

vectum papam jam in peccata delapsum ad confessionem et poenitentiam adegisse et Missa vice ejus celebrata rediisse retulit.[1])

Quamvis igitur his et similibus in Chronicon receptis, aetatis suae moribus obnoxius esset, veritatem certe semper appetiit, atque vix unum locum quo de industria ea obnubilata mendacem se gesserit, afferre possim, pausissimos ubi hanc suspicionem incurrat. Quod nonnulla affert, quae partem ipsius pollilicam scil. imperatoriam confirmarent, sicut decretum illud Adriani I. modo disputatum, non est quod ei exprobrem, quia jam cum omni humani ingenii indole coaluisse videtur, ut quisque ea potissimum, quae amet, cupiat atque quae recta esse persuasum habeat, memoriae infigat posterisque tradat. —

Omnino vero nisi fallimur Sigibertum quadam castimonia animi sive — ut ita dicam — euphemia excellere contendere licet; nam quae regum reginarumque vel illustrium virorum dicta turpia et libidinosa in Gregorio Turonensi et Gestis, vel, quos ejus fontes postea percensebimus, apud Lindprandum et Baldericum legit, plerumque reliquit, neque usquam historia eo modo abusus est, ut eam scelerum hominum ordine et potestate egregiorum quasi florilegium quoddam exhiberet quem quidem ejus usum cum plures medii tum omnis aevi scriptores fecisse non latet. Nonnullis quidem locis in iis referendis justo parcior fuisse videtur. sic in eo, quod flagitia a Clodovaeo in propinquos commissa nullo tetigit verbo, quin etiam eo loco, ubi Gregorius Turonensis III. 7. 8.) „Theodericus rex Francorum regressus ad propria. Hermenefridum ad se data fide securum venire praecepit, quem et honorificis ditavit muneribus. Factum est autem dum quadam die per murum civitatis Tulbiacensis confabularentur, a nescio quo impulsus de altitudine muri

1) cf. Cap. II. Nro. 5—8. pag. 43—44.

ad terram corruit, ibique spiritum exhalavit. Sed quis eum exinde dejecerit, ignoramus: multi tamen adserunt Theuderici in hoc dolum manifestissime patuisse", ad an. 524. haec tradit: „Theodericus rex reposcens ab Ermenefrido rege pactum cum fratre Clothario insurgit in eum, eoque post nimiam stragem suorum de bello fugato, *et non multo post mortuo*, totam Thuringiam sibi subdunt" de funesto igitur Hermenefridi exitu et Theoderici dolo ne verbum quidem elocutus.

Attamen alius acrius quam hujus vitii a plerisque accusatur. Audio enim voces multorum hoc mihi occlamantium. Ampla quidem in Sigiberto fontium lectio, laudabile studium, summa industria in rerum memoria et servanda et posteris justo ordine tradenda conspicua: at in chronotaxi ita aberrat, ut pessimus fere chronographus sit et ne ex longinquo quidem, quanta ars esset tempora et annos recte accurateque distinguendi sensisse videatur. Hoc quo jure ei objiciatur statim videamus. In annalibus componendis non ipse ex annalibus hausit, sed plerumque scriptores qui populorum res gestas vel episcopatus et abbatiae cujusdam casus eventaque exposuerunt, Pontificum porro et Sanctorum biographos secutus est. — Quorum vetustiores aeram Christianam nondum adhibuerunt, plerique etiam juniores secundum regum Pontificum, episcoporum suorum annos rationes duxerunt, alii omnem temporum rationem neglexerunt, vel sibi ipsis contradixerunt. Ex his omnibus modicam quandam annalium seriem deducere difficillimum erat. Neque fugit Sigibertum haec difficultas. Sic in prooemio (cf. ad an. 479.) „se (apud Paulum Diaconum) certam quidem Winulorum originem legere sed certum originis eorum tempus non invenire; nam cum reges regnasse super eos legerit nominaque eorum didicerit, annos regni per tempora distinctos non invenisse" confitetur, notitias chronologicas in Fausti Vita S. Mauri allatas inter se pugnare recte notavit. — Quomodo vestigiis incertis usus sit plurima sunt exempla quae quamvis id ipsi plerumque minus bene cessisse demonstrent, studium ejus valde illustrant.

Vix explicari posset, unde ad an. 491 has congesserit notitias:

Britanni non valentes amplius virtutem ferre Anglorum, ut victi concessere in jus et nomen eorum. Et primus de genere Anglorum Elli, et secundus Celin, et alter alteri mortuo succedendo regnaverunt apud eos per annos LXX.

atque re vera usque ad an. 561. hos regni Anglorum septuaginta annos ducat, ibi vero Anglorum in Britannia tertium regem Edilbertum regnasse an. LVI. enarret, nisi solum Bedam ejus fontem fuisse in memoriam revoces. Ex eo Anglos ad an. 446. Britanniae oris appulisse conjecit,[1]) ex eo ab illo anno quadraginta quatuor annos vario belli eventu „usque ad obsessionem montis Badonici" pugnatum esse inter Britones et Anglos cognovit[2]) quippe quem Gildam qui cum librum querulum de excidio Britonum scriberet, quadragesimum quartum e tempore pugnae annum praeterlapsum esse testatus est,[3]) male audiisse atque pugnam illam haud dubie justo priorem statuisse[4]) jam constet. — Itaque etsi Sigibertus ab hujus pugnae, quamvis ipsa Britonibus satis feliciter cesserit,[5]) tempore bellum continuum desiisse atque Britones in Anglosaxonum ditionem sensim sensimque transiisse non sine jure quodam e Beda collegisse videatur, terminum tamen regni Anglorum falsum sibi eligere coactus est; cum porro ap. Bed. II. 5. Aedilberctum Regem Cantuariorum quinquaginta sex annos regnasse, atque anno p. Chr. 616. obiisse, „tertium vero in Regibus gentis Anglorum cunctis Australibus eorum provinciis, quae Humbra fluvio et contiguis ei

1) cf. Bedam I. 23. V. 23. in fine cf. Chron. ad an. 446. Lappenberg. Geschichte von England. I. 74. not.

2) Bed. I. 16.

3) Cap. 26.

4) cf. Lappenberg l. c. Literarische Einleitung. pag. XXXVIII. pag. 104. ex Annalibus Cambriae eam ponit ad an. 516. inde Gildae librum an. 560. scriptum esse conjicit.

5) Lappenberg. pag. 104.

terminis sequestrantur a Borealibus, imperasse" i. e. Bretwaldae munere functum[1]) esse atque Elli regem Australium Saxonum primum hujusmodi imperium, secundum Caelin „regem occidentalium Saxonum" tenuisse legeret, Aedilberti annum primum 561. esse statuit, his quos modo nominavimus septuaginta annos adscripsit in quibus quantopere erraverit vix latius exponimus,[2]) quamvis omnes illorum regnorum terminos neque hodierno tempore satis certo distinguere possimus. — Remigium episcopum Remensem natum an. 449. episcopum factum an. 471. mortuum an. 545. annotat haud dubie cum in Hincmari Vita S. Remigii[3]) ejusque sequace Flodoardo[4]) Remigium, viginti duos annos natum communi electione hanc adeptum esse dignitatem, postquam vero septuaginta quatuor annos episcopatum administravit, nonagesimo sexto aetatis suae anno (Id. Januar.) mortuum esse legisset,[5]) ut vero annorum illos terminos hoc modo cum aera Christiana connecteret, eo commotus esse videtur quod Hincmarum quo in antiquitatibus Francicis nullum testem meliorem eligere posse videbatur annum 852. p. Chr. trecentesimum octavum ab obitu Remigii esse in versibus ab ipso editis atque loco sepulturae sancti viri inculptis testari legeret.[6]) Hanc rationem ut

1) de quo cf. Lappenberg. l. c. pag. 127—130.

2) Nam Aella. jam an. 477. in Angliam venisse atque intra an. 514. et 519. diem supremum obiisse perhibetur. cf. Lappenberg. l. c. pag. 107— 109. Inter eum et Ceawlin (cujus avus fuit Cerdic, qui ipse demum anno 534. defunctus esse perhibetur l. c. pag. 112.) haud dubie alii hoc munere insignes fuerunt; Ceawlin demum an. 591. victum idem Aedilbercto Cantiae regi cessisse atque an. 593. obiisse constare videtur. cf. loc. cit. pag. 131.

3) cf. Hincmari Vitam S. Remigii ap. (Sur. Tom. I. pag. 290). Acta SS. Octob. I. pag. 136. Cap. I. Nro. 10.

4) Hist. eccl. Rem. I. 11. ap. Sirmond. .fol. 25. 2. Quam etiam Remigii aetatem Venantius Fortunatus indicavit. l. c. pag. 128. Nro. 2.

5) l. c. Cap. VIII. Nr. 111. pag. 160. cf. Flod. Hist. Rem. I. Cap. 17. pag. 45.

6) cf. Flod. Hist. Rem. I. 21. fol. 66.

sequerentur plures induxit[1]), donec Suyskenus Remigii chronotaxin rectius ordinavit.[2]) — Cum in Vita S. Gertrudis Nivialensis (Cap. 3.). Ittam relictam Pipini (Landensis Majoris Domus) „duodecimo anno" post maritum e vivis excessisse legisset[3]) atque quum vitiosum annos Dagoberti et Sigiberti regum ducendi modum secutus[4]) obitum Pipini illius in an. 647. posuisset, Ittam an. 658. obiisse retulit. Gertrudis igitur cum in eadem Vita, quo tempore pater moreretur quatuordecim annos nata[5]) quo vero ipsa diem supremum obiret tricesimo tertio aetatis anno fuisse traderetur,[6]) cum porro Gertrudis obitum die XVII. Martii[7]) in diem Dominicam incidisse legeret[8]) atque Begga Gertrudis soror Pipini junioris mater 35 post illam obiisse

---

1) Eodem modo Hermannus Contractus deceptus esse videtur. cf. Cod. Aug. ad an. 470. 544. 852.

2) Nam primum ejus annum fuisse 457. vel 458. 535. jam mortuum esse demonstravit. Acta SS. l. c. pag. 68—69.

Perspicuum est Sigibertum notitias plerasque Cap. 99. Libri de script. eccles. ex ipso Hincmari prooemio recepisse. De Testamento cf. pag. 167. et Comment. praev. §. XV. pag. 106. sqq. Suyskenus jam pag. 63. quaesivit, unde Sig. Vitam S. Remigii primo breviter descriptam extitisse compertum habeat, cum Hincmarus hoc minime tradat.

3) cf. Mabill. Acta II. l. c. pag. 465.

4) de quo vide infra ap. Vitam S. Sigiberti Regis.

5) cf. Cap. II. l. c. pag. 464.

6) cf. Cap. VII.

7) cf. Cap. VII. dictum S. Ultani, quo tamen pro: *hodie sextus decimus Calendas Apriles est dies* „hodie *septimus* decimus est" legendum: et infra pro XV. Cal. April. cum Henschenio XVI. Cal. April. cf. Mabillonii Notam a. ad pag. 467. et Henschenium Acta SS. Mart. II. pag. 592.

8) Ob eandem causam Henschenius etiam S. Gertrudem anno 664. obiisse tradebat, quia hoc anno cycli lunaris XIX. litterae Dom. GF. XVII. dies Martii incidebat in diem Dominicam. At cum Pipinus jam circa an. 640. defunctus esset, annus 659, quo etiam XVII. Mart. die Dom. erat, obitui Gertrudis multo aptior esse videtur, eoque statuto alia difficultas evitatur. Nam fabella Cap. XI. l. c. pag. 471. enarrata probatur, post S. Beggae obitum diem Gertrudis emortualem incidisse in sextam feriam quintae hebdomadae Quadragesimae quod evenit a. 696. Inde jam an. 695. vel 694. Beggam obiisse verisimile est.

ibidem perhiberetur [1]), hanc anno 699, illam anno 664 defunctam esse annotavit. Ubi talibus se in temporum descriptione vestigiis destitutum vidit, aliis partim satis accommodate partim minus feliciter uti studebat.

Nam cum e Gregorii Turonensis libro de gloria martyrum miraculum quoddam, quo Arianorum haeresis improbata dicebatur, cognovisset, idque ibidem in Vasatensi urbe, modo ab Hunnorum obsidione liberata obtigisse memoratum esset [2]), id anno 453, quo pugnam in campis Catalaunensibus gestam annotaverat adscripsit; cum vero in aliquo Gregorii Magni Dialogorum loco [3]), in H. M. integra repetito [4]) legeret, Paulinum, Nolanum Episcopum tempore, quo Vandali saeva crudelitate magnam partem Italiae depopulabantur, facinore egregio omnes captivos suae urbis in libertatem restituisse, id cum compilatore H. M. aetate Genserici factum esse conjiciens, anno 457 adscripsit, in quo tamen longe a vero aberravit. — Nam cum Paulinus anno 390 vir adultus memoretur [5]) atque S. Ambrosii aequalis et biographus fuerit, eundem, anno 455 jam diu mortuum esse putandum est neque Vandali illi, quorum animos admiratione sui ceperit, non possunt non iidem fuisse, qui cum Gothis anno 410 et tempore sequenti Italiam devastarint [6]). — In quo etsi errore se abduci passus est, ipsa tamen ratio, qua in quaestione tam difficili, ut ne recentiores quidem ab utilibus sub-

1) cf. Cap. 10. Vitae.

2) Greg. Turonensis liber de gloria Martyrum. I. 13. ap. Ruinart. pag. 736—738.

3) III. 1. l. c. pag. 279—280 cf. ad a. 403.

4) cf. Pauli Diaconi Eutropium continuatum et emendatum. lib. XV. pag. 121. supra pag. 34. Nota 1.

5) cf. Cap. LI. Vitae S. Paulini in Opp. omnium editione. Paris 1685. 2 Voll. 4. pag. 89—90.

6) Captivitatem ejus nonnulli intra spatium annorum 414 et 417 posuerunt. cf. Dissertationem VII de Captivitate S. Paulini in Opp. l. c. pag. 139—142.

sidiis ac veritatis indiciis multo instructiores hoc periculum satis caute evitarent, documento est luculentissimo Sigibertum non temere temporum ordinem turbasse, sed rectis normis usum, nunciis magis deficientibus, quam aliqua sua negligentia deceptum esse. — Neque tamen negare velim, eum vel ubi certorum annorum nota deesset ex arbitrio quaedam addidisse, vel ubi adesset, non sufficientibus argumentis ductum ab ea deflexisse; sic locos ex Einardi Vita de moribus Caroli M. atque opera, pauperibus alendis, sive aedificiis struendis, litterisque adjuvandis impensa — suum tantum judicium sequutus — ad annos 790, 794 et 795 retulit [1]). — Theodoro pontifici (qui re vera a mense Novembri 642 usque ad Aprilem 649 ecclesiae praefuit), cui Marianus Scotus annos 640 — 644, Anastasius rectius sex annos pontificatus adscribit, XII annos dedit (636 — 648); Vitaliano (qui re vera praefuit a Junio 657 usque ad Decembrem 671), cui Marianus annos 656 — 668, Anastasius rectius IX annos, XIV (661 — 670) impertiit, atque dubium videtur, utrum ex arbitrio an Catalogi alicujus auctoritate nixus, alteri detraxerit, quod alteri addiderit. Magis mirum adhuc, Sigibertum ad an. 417 „Valliam annos 22 regnasse" referre, quod quidem a vulgari opinione maxime recedit. Nam Idacius, Valliae initia an. 22. Honorii et Arcadii an. 24. ejus mortem assignans, eum duos tantum annos (416 — 418 vel 417 — 19), regnum tenuisse docet [2]);

---

1) ad a. 790. Carolus rex — diligenter correxit, ex Einardi Vita Caroli M. Cap. 26. ap. Pertz. l. c. pag. 457. Curabat — honestate. lin. 12 — 13.; Legendi — emendavit. lin. 17 — 18.

Circa pauperes — relevatio, ex Einardi Vita. Cap. 27.

ad an. 794. Carolus rex — eruditus, ex Einardi Vita. Cap. 25. Nec patrio — impendit, in init. ap. Pertz. II. 456; barbara et — mandavit, ex Einardi Vita Cap. 29. pag. 458; Inchoavit etiam — nominarentur, ex Einardi Vita Cap. 29. l. c. p. 458.

ad an. 795. Carolus rex — devehi fecit, ex Einardi Vita Caroli M. Cap. 26. ap. Pertz. II. 457.

2) Sic omnes recentiores: Tillemont. V. 630. 632. 639. 640. Asch

cum vero de Sigerico [1]) nihil afferens Valliam ad an. 22. successorem statuat Ataulfi perempti, quamvis tempore proximus, tamen rebus Visigotharum non plane imbutus fuisse probatur. — Chronicon Prosperi integrum nonnullas Valliae res gestas affert, de morte et annis regni silet (ap. Basnag. I. 300.); H. M. tantum memorat, quae cum Romanis egerit [2]); Chronicon Prosperi Pithoeanum ne nomen quidem ejus habet. Restat solus Jordanes, qui, quamvis tempus regni non definiat, aperte tamen expeditionem Valliae contra Vandalos instructam in annum duodecimum ejusdem rejicit [3]), unde eum, praesertim cum Valliam Genserico in Africam transmisso adhuc regnasse narret, in hac opinione fuisse apparet, illum diu adhuc post regem vixisse. Valliae successor erat Theodericus, rex longe celebratissimus, qui anno 451 in campis Catalaunicis victor occubuit (Sigibertus perperam 453); qui igitur Valliae mortem ponunt in annum 419, attribuunt Theoderico 32 annos regni, Sigibertus vero 439 eundem 14 vel 15 annos regnasse indicat. — Quas notitias de Valliae et Theoderici regnis num alicunde desumserit, scitu quidem dignum, sed nihil adhuc de ea re liquet.

Sigibertus enim, qui optimis undique cujuscunque aetatis testibus operose collectis et diligenter perlectis, fidem sibi optimo jure conciliavit, neque auctoritate sua unquam temere abusus, neque apertam mendacii suspicionem praebens si forte narrationi suae quaedam inserit, quae ad certum

bach: Geschichte der Westgothen, S. 108—113. Lembke: Geschichte von Spanien, S. 21—23.

1) de quibus vide Photii Bibliothecam ed. Bekker. (Berolin. 1824.) Tom. I. pag. 60. ex Olympiodoro.

2) H. M. XIV. 3. ap. Gruter. pag. 912—913.

3) Cap. XXXII. pag. 656. Ad hunc locum, quamvis e fonte quodam vetustiore haustus videatur, recentiores non satis attenderunt, solus Aschbach (S. 115. Note 10.) sine argumentis reprehendit Jordanem, quod expeditionem contra Vandalos an. 427. gestam (ap. Sigib. ad an. 432. enarratam) Valliae adscripsisset, quippe qui jam octo annis ante mortuus esset.

fontem minus probabiliter reduci posse videntur, ea potius e loco nobis ignoto vel codice integro fontium quam ex privato judicio suo aut fictione adduxisse existimandus est.

Sic collatis locis Augustini et Sigiberti de haeresi Priscillianorum:

Augustini
Liber de haeresibus. Cap. 70. l. c. pag. 17.

Priscillanistae, quos in Hispania Priscillianus instituit, maxime Gnosticorum et Manichaeorum dogmata permixta sectantur. — Quamvis et ex aliis haeresibus in eas sordes, tamquam in sentinam quandam horribili confusione confluxerint. Propter occultandas autem contaminationes et turpitudines suas habent in suis dogmatibus et haec verba: Jura, perjura, secretum prodere noli.

Hi animas dicunt ejusdem naturae atque substantiae, cujus est Deus, ad agonem quendam spontaneum in terris exercendum per septem caelos et per quosdam gradatim descendere principatus et in malignum principem incurrere, a quo istum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari.

Adstruunt enim fatalibus stellis homines colligatos, ipsumque corpus nostrum secundum duodecim signa coeli esse compositum, sicut hi qui Mathematici vulgo appellantur, constituentes in capite Arietem, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore et cetera nominatim signa percurrentes ad plantas usque perveniunt, quas Piscibus tribuunt, quod ultimum signum ab Astrologis nuncupatur.

Haec et alia fabulosa, vana, sacrilega, quae persequi longum est, haeresis ista contexit. Carnes tanquam immundas escas etiam ipsa devitat conjuges, quibus hoc

Sigibertus
ad an. 386.

Priscillianus in Hispania Episcopus condens haeresim sui nominis ecclesiam perturbat.

Hic personas sanctae Trinitatis confundebat, dicens, eundem esse patrem, quem Filium et Spiritum sanctum.

Carnium escas pro immundis habebat. Conjuges viros a nolentibus foeminis, foeminas a nolentibus viris separabat. Opificium omnis carnis non Deo bono et vero sed malis angelis adsignabat. [1])

Animas ejusdem naturae et substantiae, cujus est Deus esse dicebat, et eas ad agonem quendam spontaneum, *non* [2]) tamen in terris exercendum, per septem caelos et per quosdam principatus gradatim descendere, et in malignum principem incurrere, a quo mundum istum factum esse dicebat.

Atque ab hoc principe per diversa carnis corpora seminari, homines vero fatalibus stellis colligatos, corpusque nostrum secundum duodecim signa coeli compositum esse dicebat:

constituens Arietem in ca-

---

1) cf. haec in fine loci Augustini. Sigibertus igitur relationem de Priscillianorum haeresibus contrario more ordinat, neque insulse, quae de Christi natura conjecerunt, in fronte posuit, dum ap. Augustinum in calce adjectum est.

2) Ibi sive codicis auctoritate deceptus, sive falso interpretatus est Sigibertus.

Augustinus l. c.	Sigibertus.
malum potuerit persuadere, disjungens et viros a nolentibus feminis et feminas a nolentibus viris. — Opificium quippe omnis carnis non Deo bono et vero, sed malignis angelis tribuunt: hoc versutiores etiam Manichaeis, quod nihil Scripturarum canonicarum repudiant, simul cum Apocryphis legentes omnia et in auctoritatem sumentes, sed in suos sensus allegorizando vertentes quidquid in sanctis libris est, quod eorum evertat errorem. De Christo Sabellianam sectam tenent eundem ipsum esse dicentem non solum Filium sed etiam Patrem et Spiritum Sanctum.	pite, Taurum in cervice, Geminos in humeris, Cancrum in pectore, *Leonem in manibus, Virginem in ventre, Libram in umbilico, Scorpium in coxis, Sagittarium in virili, Aquarium in vesica, Capricornum in tibiis, Pisces in plantis.*

manifestum est, Sigibertum ex Augustino hausisse, sed ad mysticam doctrinam de comparatis partibus humani corporis cum coeli signis explicandam aliquae addidisse, quae unde desumserit, non satis constat. — Interdum etiam, si a fonte discrepat, id lectionibus codicum adscribendum videtur; sic haud dubie in codice libri Jordanis de successione regnorum in pugna inter Longobardos et Gepidas, his tam perniciosa, „utrimque LX millia eorum corruisse" legit [1]), cum in textu vulgari tantum XL perhibeantur. Similis haud dubie subest causa, si an. 546. regnum Gothorum „per annos circiter duo mille quadringentos durasse" Jordanem testem advocat, cum apud illum annus ille, quo Witigis Belisario se dedidit „millesimus et trecentesimus [2])" regni Gothorum nominetur.

Sigibertum etiam interdum erroribus indulgere, non nego; sed cum in longo opere fieri non possit, ut scriptor non talibus obripiatur, his nihil ejus fidei detrahi contendo. Ita, ut hoc utar, ad an. 402. ubi ab eo recte Prosperum citari vidimus, Sanctum Martinum etiam secundum Severum obiisse dicit, qui quidem „scribit in vita ejus, eum post mortem Pri-

1) Sigib. ad an. 547. Locus connexus est e Paul. Diac. de gestis Longob. I. 27. et loco Jordanis de successione regnorum in fine. ap. Lindenbrog. pag. 67.

2) cf. Jordanem de rebus Geticis. Cap. ult.

scilliani 16 annos vixisse." Cui dicto ut fidem pares frustra pervolves Vitam S. Martini, a Sulpicio Severo editam [1]), pro certis nunciis nihil nisi locos communes offerentem [2]), at cum in Dialogo de virtutibus S. Martini ejusdem auctoris aliis quoque locis a Sigiberto allato enarrationi eorum, quae in rebus Priscillianorum egerit, hoc additum legatur [3]). „Sedecim postea vixit annos, nullam Synodum adiit" clarum est, dictum Sigiberti ad Dialogum pertinere. Citat ad an. 529. Dialogorum Gregorii Magni librum *tertium*, quo idem Benedictum Casinensem non aliter vixisse quam docuit, testatum esse perhibet, quod vero occurrit in Libro II. Cap. 36 [4]). — Rebus ab Alarico in Italia gestis e pluribus fontibus conscriptis [5]) non solum in hoc cum Jor-

---

1) cf. eandem. Bibl. max. patrum. VI. pag. 349—355.

2) cf. de eadem judicium egregium V. Cl. Neander: Geschichte der christlichen Religion und Kirche. Tom. 2. Part. 3. p. 1480. Nota 2.

3) Dialogus III. Cap. 15. in Bibl. max. Patr. VI. 370.

4) l. c. pag. 275. Cujus si quis vult subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulae omnes magisterii illius actus invenire, quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere, quam vixit.

5) cfr. ad an. 403. „Stilico pacem fratrum imperatorum interturbare volens, Alaricum regem Gothorum fecit ordinari magistrum militum." ex Hist. misc. XIII. 30. ed. Gruter. Cassiod. Hist. trip. X. 24. nuncium valde confusum; nam Alaricus vere bis a Romanis magister militum ordinatus est, primum Arcadio ei honorem praefecti Illyrici deferente, quod vero antequam Italiam ingrederetur, evenit (Aschbach: Geschichte der Westgothen. S. 71.) deinde Stilicone jam occiso, ab Attalo, quem ipse imperatorem constituerat (Aschbach l. c.). Cassiodorus. X. 24. capite, e Sozomeno (VIII. 25.) hausto, perperam electionem, Eutropio et Arcadio moventibus, ab Honorio factam enarravit.

cf. ad an. 413. Alaricus — turpiter vincitur. e Jordane. Cap. 30 H. M. XIII. 26.; Honorius — occidit, ex Orosio. VII. 38. H. M. XIII. 29; Alaricus rupto foedere — indulget, e Jordane Cap. 30; tertia die — defungitur, ex Hist. misc. XIII. 27. Capta est — suae, ex H. M. XIII. 27.

dane et auctore H. M. errat, quod unam tantum expeditionem regis adversus Italiam susceptam memorat, sed etiam eo confusionis progreditur, ut victoriam Pollentinam, quae Gothis festo die Paschali, i. e. 29 Martii 403 contigit, atque direptionem Romae, quae demum IX. Cal. Sept. 410 accidit [1]), in unum eundemque annum 413 conjiciat, atque omnem hanc rem, quasi altera alteram statim secuta sit, proferat, denique Stiliconem ob cladem acceptam apud Pollentiam anno 413 occisum esse affirmet [2]). — Sic limites veri transgressus ad an. 450 enarrat, Childericum regem *Andegavos incendisse*, quamquam primus testis Gregorius Turonensis Childericum Andegavum cepisse, *eodemque die domum Ecclesiae magno incendio concrematam esse* refert [3]), et Gestorum auctor id ita — fortasse minus apte — explicat Childericum „*domum quae in ea civitate erat*, *igne combussisse* [4])." In enumerandis regibus Longobardorum omisit Arioaldum, quem Adaloaldo ejecto, priusquam Rotharith regno potiretur, duodecim annos regnasse Paulus perhibet IV. 43. et 44.

Ad an. 789 „Carolum regem Coloniae super Rhenum duos pontes construxisse et muniisse" perperam enarrat, cum omnes referant, secuti auctoritatem Annalium Laurissensium Carolum eodem anno, Rheno prope Coloniam trajecto, per Saxoniam usque ad Albim fluvium progressum, ibi duobus

---

1) Diem, quo capta est Roma, auctor H. M. ad excerpta sua ex Orosio et Jordane solum adjecit, quem inde Sigibertus mutuatus est.

2) Quem re vera post Rhadagaisi expeditionem, antequam Alaricus iterum Italiam aggrederetur, occisum esse nemo est qui nesciat.

3) II. 18. ap. Bouquet. II. 170—171. Veniente ergo Audovacrio Andegavis, Childericus rex sequenti die advenit, interemtoque Paulo Comite civitatem obtinuit. Magno ea die incendio domus Ecclesiae concremata est.

4) Cap. 8. in fine: Redeunte quoque Adovagrio de Andegavis, Childericus Rex cum Francorum exercitu ibidem advenit, interfecto Paulo Comite, qui in ipsa civitate praeerat, ipsamque urbem cepit et Domum, quae in ea civitate erat, igne combussit.

pontibus constructis, quorum in altero ex utroque capite castellum ex ligno et terra aedificaverit, Slavorum terras invasisse [1]); quae igitur de Albi dicta sunt, in breve coarctans de Rheno accepit.

Risum fere movet, quod ad an. 549 Sindual, quem Paul. Diac. Brebtorum i. e. gentis cujusdam Herulorum perhibet regem [2]), regem *Britonum* facit, unde Sigiberti Continuator Anonymus hunc in historia Britonum non reperiri valde miratur; conjicere tamen licet, Sigibertum etiam hac in re codice auctoris quo uteretur, deceptum esse.

§. 2.
De fontibus et concinnatione Chronici ab anno 900 *usque ad an.* 1077.

Sigibertum quem aequales vel remotarum ipsarum aetatum auctores cognovisse vidimus, quo propius Chronicon suum ad recentiores res deduxerit, eo pluribus fontibus usum fuisse atque ex optimo quoque eorum sua hausisse, non facile erit qui non persuasum habeat. — Id quod in periodo a Carolorum stirpe deficiente usque ad exortas illas inter imperium et pontificatum discordias, quibus ipse suppar erat, multis exemplis demonstrari potest.

Elegit enim — ut quoque ipsi certam nobis annorum decursus viam eligamus — *Widukindum*, testem probatissimum rerum Germanicarum, et *Liudprandum* rerum Italicarum, quorum libris diligentissime perlustratis, singulis annis ab anno 900—960 vel 970 quae maxime ad horum quemque pertinere videbantur, adscripsit [3]). Cum ipse multus sit in

1) cf. Reginonem et Annales Mettenses ad an. 789.

2) Paul. Diac. II. 3. l. c. pag. 775. „qui adhuc de stirpe Herulorum remanserat" cf. Librum Pontificalem ap. Muratori. III. 1. p. 133. laev. in Vita Joannis III, ubi *Heruli* fuisse dicuntur.

3) Widukindi Corbejensis Annalium libri tres. Secuti sumus editionem Hervagii. Sigib. Cap. 128. Libri de script. eccles. et Chron. ad an. 973. eundem etiam Ottonis Imperatoris vitam scripsisse tra-

utroque scriptore laudando nihil attinet multis documentis probare, cum his scriptoribus vere usum esse; satius est in regulas inquirere, quas sibi in utroque scriptore connectendo praescripserit, quamquam adversariis ei in harum observatione inconstantiam et in chronotaxi incuriam objicientibus multa concedi debent. — Enarravit enim ad a. 922. victoriam Henrici de Ungaris e Liudprando. II. 8. 9. ad an. 934. e Widukindo. I. p. 18—19. ed. Hervag. quasi fuerint duo bella, cum tamen uterque auctor idem diverso modo referat; exitum Thancmari a. 941. legem de jure haereditario ab Ottone latam ad an. 942. annotavit, cum Widukindus, cui utramque notitiam debet, hanc secundo loco illum prius retulisset. 946. Henricum fratrem imperatoris (hoc quoque perperam pro: regis) in urbe Mersburch a fratre obsessum, projectis armis ad pedes ejus procidisse et misericordiam ejus implorantem, in vincula conjectum esse, eodemque anno, Henricum Bajoariae ducem constitutum esse adjicit, cum tamen Liudprandus IV. 19. Henricum fratri subjectum, Ingelhemii detentum esse bello finito anno 941. enarret, Widukindus, antequam belli Rhenani narrationem exordiretur, Henricum primo rebellionis conatu frustrato, in urbe Mersburch cinctum supplicem se Ottoni prostravisse referat; quae igitur plurium annorum intervallo disjuncta sunt, laeso ordine composuit, quin etiam relationem Liudprandi IV. 19 — de archiepiscopo Moguntino, a civibus Moguntiae propter suspicionem proditionis in Ottonem Regem commissae intra urbis muros non suscepto, neque multo post a regis fidelibus capto, et custodiae in Saxonia tradito, denique mox dignitati

---

dit haud dubie vitio eodem, in quod multi recentiores inciderunt, commisso, qui „triumphos summi imperatoris militum" | quos Widukindus enarrasse ipse confitetur in primordiis Annalium, qui martyrum potius quorundam vitae fuere, res Ottonis esse opinarentur. (cf. Waitz in: Göttinger gelehrte Anzeigen. 1837. Nro. 208. pag. 2071.) De Liudprando cf. Chron. 891. Lib. de s. e. 126.

priori restituto — ex arbitrio suo annis 946 et 951 adscripsit, et anno 951 obsidionem Moguntiae adnexuit, quae anno 953 in bello civili inter Ottonem filiumque ejus Liudolfum accidit.

Excusandus tamen in hoc est, quod in aequalibus scriptoribus, quibus meliores adhibere non potuit, in egregia rerum gestarum enarratione annorum et dierum annotatio adeo omnis deest, ut ne nostra quidem aetate annalibus vel brevissimis ex omnibus monasteriolis accersitis, diplomatibusque undique coacervatis, chronotaxis firma atque ab omni conjectura libera constitui possit; neque negligendum est in his potissimum discordiis civilibus annorum 936 — 940 rerum connexionem tam dubiam esse, ut Widukindus, qui aetatem ipse, neque caligantibus oculis, vidit, his verbis lectorum benevolentiam captare ratum habuerit: (II. ed. Hervag. pag. 20.)

Quum ergo causae causis, ac rebus res ita copulatae sint, ut sententiarum ordine discerni non debeant, nemo me temporum vicissitudine accuset, dum posteriora anterioribus praeposuerim gesta."

Quis vero Sigiberto, duobus fere saeculis posteriori, praesertim cum Continuatorem Reginonis [1]) Treverensem

---

1) Pertz quidem, (quem et Contzen pag. 102. presse secutus) Monum. I. 610. eum inter fontes Sigiberti recenset; loci vero an. 915, de Hungaris ab Alemannis et Bajoariis graviter caesis, an. 917 et 918. 938. de Hungarorum ingressu, a. 939. de expeditione Ottonis regis in Bajoariam, an. 940. de obsidione Capraemontis per Ottonem, a. 944. de obitu Ottonis, ducis Lothariensium et successione Conradi, a. 956 de Guilelmo, filio regis Ottonis, archiepiscopi Friderici successore e Continuatore Reginonis ad an. 913. 915. 917. 933. 938. 939. 943. 954. etiam in Marianum Scotum verbis iisdem reservatis ad an. 913. 915. 917. 937. 939. 945. 954. transierunt, et inde a Sigiberto descriptos esse constat. — In pluribus aliis locis, sicut anni 931 de regibus Normannorum et Abodritorum ad Christianam fidem conversis jam verba singula probant connexum Mariani propiorem cum Sigiberto; in aliis Widukindi, sive

ignoraret parcis solum et seris Annalibus Mariani Scoti ducto, non ignoscat, cum ipsum Widukindum lapsum videat. —

Praeter Liudprandum et Widukindum tertium testem etiam attulit eumque non minus auctoritate quam elegantia insignem *Ruotgerum* dico *biographum Brunonis* Archiepiscopi Coloniensis, ad quem ipse candide lectorum ora convertit [1]). Hoc auctore an. 953. Brunonem reliquias quorundam sanctorum Coloniam transtulisse [2]), ad an. 957 monasterium sancti Pantaleonis construxisse, ad an. 958. plures Normannorum cum principibus eorum Christiana fide imbuisse narrat [3]), cujus quidem testimoniis et tam apte utebatur, ut loco ad an. 957. de Hungaris ab Ottone caesis e Widukindo excerpto, insereret ex hac Vita „Conradum ducem, ut proditionis antea in Ottonem commissae culpam solveret, a Deo obitum exorasse et impetrasse," [4]) et tam caute, ut cum apud eundem in notitia conventus cujusdam laetissimi, festis diebus Pentecostes anni 965 ab Ottone rege, fratribus sororibusque Coloniae habiti legisset:

„constare, nullum *aliquando* locum tanta celebritate, tanto splendore omnis generis hominum aetatum ordinum floruisse"

Liudprandi dicta praecedunt auctoritate, ita ut nullus locus restet, quem Continuatori Reginonis jure quodam adscribas.

1) ad an. 953. Mortuo Wigfrido, Coloniensium archiepiscopatum suscepit vir gloriosus Bruno, frater Ottonis Imperatoris, qui quantus qualisve fuerit apud Deum et homines lector ediscat in vita ipsius, quam Rogerus luculenter scripsit. — Liber de script. eccles. Cap. 130.

2) Ruotgeri Vita Brunonis, Cap. 26. ap. Leibn. Scr. rer. Brunsv. I. 282 — 283.

3) ibid. l. c. Cap. 23. 24. pag. 281 — 82. 35. pag. 286.

4) cf. Widuk. III. pag. 41 — 42. 43. ed. Hervag. Ruotgerus. Cap. 30. pag. 284. — Ceterum victoriam illam de Ungaris relatam esse (V. Id. Aug.) vigilia S. Laurentii anni 955 inter omnes constat.

ita verteret, ut „*in omni vita eorum* vix aliquid gaudii huic laetitiae potuisse aequiparari [1])" diceret. —

Post acta imperatorum maxima gravitas annalibus pontificum attribuenda est, iique eo magis digni esse videntur, in quorum fontes accuratius hic inquiramus, quod Sigibertum a Libro pontificali, fideli ejus ac constante usque ad annum fere nongentesimum comite desertum videmus. Eorum vero, quae proprio Marte praestiterit, examinandorum jam ipsis saeculi decimi initiis occasio se nobis offert. —

Formoso enim, Bonifacio VI, Stephano VI, Romano, Theodoro II, Joanne IX (a mense Septembri 891 usque ad Augustum 900.) regnantibus, discordiae quaedam intestinae ferverunt atque tales in regulis canonicis adhibendis dissensiones exortae sunt, quales in historia pontificum cautissimorum in observandis actis decessorum, rarissime vel nunquam inveniuntur. — Formosus enim [2]), Portuensis episcopus, qui a Joanne VIII anathemate perculsus, hac tantum lege ac conditione postea absolutus erat, ut nec Romam unquam redire nec episcopalem dignitatem repetere velle polliceretur, a Marino vero in episcopatum restitutus, cum neglecto promisso suo reversus atque partium studio post Stephanum V pontifex Romanus electus more consueto presbyteros ordinasset, inter successores ejus quaestio exorta est, utrum proscripti ordinationes ratae habendae essent necne.

Harum discordiarum Sigibertus se et tam gnarum praebet, quasi in suam aetatem incidissent, Formosi ordinationi-

---

1) l. c. Cap. 37. pag. 287. Etiamsi Sigibertus locum conventus falso nominet „*Aquisgranum*" in hoc tamen boni atque status rerum gnari historici officio functus est, quod sorores Ottonis filiosque earum a Ruotgero memoratos, rectis nominibus „Gerbergam scilicet reginam Francorum matrem Lotharii regis et Caroli ducis, et Hathvidem uxorem Hugonis, Parisiorum comitis, matrem Hugonis, postea regis" insignit.

2) cf. Sigib. ad an. 900.

bus tam amicum, ut primo obtutu jam non possit dubium esse, quin ipse defensorum illarum expositiones legerit. — Inter quos non est, quem meliorem sibi ducem eligere posset, quam *Auxilium Nolanum* quem etsi non suo ipse nomine tamen ex ore illorum, qui a Formoso ad munus episcopale evecti, timore ne et ipsi dignitate sua privarentur incitati erant, duobus libris ordinationes illas defendisse constat [1]. — Ex hoc Sigibertus didicit, quale fuerit juramentum Formosi ab anathemate absoluti [2]; ex hoc qui fuerit status causae litigantium de ordinationibus Formosi, ex hoc scivit Stephanum VI, alterum successorem Formosi (a mense Majo 896 usque ad Aug. 897) non solum synodo solemni acta et ordinationes illius sustulisse, sed etiam in memoriam ejus ita saeviisse, ut corpus e sepulcro protractum et papali veste exutum laicali indui et abscissis duobus digitis dexterae manus in Tiberim praecipitari juberet [3]; ex hoc tradidit, Theodorum II (a mens. Febr. usque ad Mart. 898) ordinatos a Formoso, quamvis iterata consecratione

---

1) cf. Auxilii Nolani libros de ordinationibus Formosi ap. Jo. Morinum de Ordinationibus. Paris. 1655. pag. 342—372. Sigib. de script. eccles. Cap. 112. de auctore cf. adhuc Mabillon Analecta. IV. pag. 610 — 626. Notas Pagii et Mansii ad Baronium XV. pag. 484—485.

2) cf. Sig. 900. Auxilii liber II. 20. l. c. pag. 369. II. 32. pag. 376.

3) Auxilii liber II. 30. Sig. 903. monet quidem, *legi Stephanum, neque Sergium* hujus criminis accusari; ad an. 907. tamen Sergii III simile facinus enarrat, auctoritatem Liudprandi I. 8. secutus, quem ibi erravisse jam anteriores (Acta Sanct. Mens. Maji. Tom. IV. pag. 147. 153. Baronius ex ed. Pagii. l. c.) cognoverunt. Auxilii testimonium, hoc loco haud dubie Liudprando praeferendum, confirmant Annales Fuldenses ad an. 896. et Flodoardus in Versibus de Pontificibus Romanis ap. Muratorium III. 2. pag. 318. Catalogus Pontificum Cod. Zwetlensis ap. Pez Thes. anecd. I. 3. pag. 375. — Idem statuit libellus, a Blanchinio (in editione Anastasii. Tom. IV. Proleg. pag. LXX.) promulgatus, qui inscribitur: Invectiva in Romam pro Formoso papa.

adhuc negata, in gratiam recepisse [1]), Joannem vero nonum (898 — 900) in concilio Ravennate synodi Stephani VI acta detestatum, omnes illos in integrum restituisse [2]). —

His igitur notitiis in aequali scriptore recognitis, restant tamen dicta quaedam Sigiberti, quorum fontem reperire non potui scil.

1. ad an. 900. „Formosum, sinistra olim suspicione Joannis VIII Papae in se admissa, aufugisse et cum a Papa revocatus redire noluisset, anathematizatum esse, et tandem ad satisfaciendum Papae in Galliam venientem, ad laicalem usque habitum degradatum esse [3])."

2. ad ad. 902. „Stephanum (VI) ipsum a Formoso episcopum Anagninensem constitutum esse," quod, quum ipse omnes ordinationes Formosi irritas proclamaverit, quam dubiae fidei sit, res ipsa probat [4]). —

3. ad an. 903. Theodorum (presbyteris, quos Stephanus deposuerat, in gratiam receptis) „libros abrenunciationis reddidisse et igne cremari praecepisse [5])."

---

1) Sig. ad an. 903. Auxil. II. 4.

2) Sig. ad an. 903. Auxil. II. 29.

3) Scil. verbis Sigib. 900. Hic Formosus — degradatus est. Damnatum eum potissimum, quia in legatione ad Bulgaros, cui Nicolaus I eum praefecerat, Joanni VIII Papae non satisfecit, neque, ut Romam reverteretur vocatus, jussui Papae obsecutus est, cognovimus ex epistola Joannis ap. Pagium, ad Baronium ad an. 876. XV. p. 291. ad a. 883. l. c. p. 388. ad an. 891. l. c. p. 451. cf. Flod. Hist. Rem. III. 20.

4) cf. Acta Sanct. Mens. Maji. IV. pag. 147.

5) De hoc papa omnes catalogi, qui Sigibertum aetate praecedunt, nihil nisi nomen diesque viginti pontificatus annotant. Praeter Auxilii locum sup. cit. solus Flodoardus de eo ita:

Hic populum docuit connectere vincula pacis
Atque Sacerdotibus concordi ubi junxit honore,
Dum propriis revocat dissectos sedibus, ipse
Complacitus rapitur decreta sede locandus.

unde eum de pace restituenda egisse jam clarum. Acuta est con-

4. eodem anno „a Joanne IX concilium (Ravennae) LXXIV episcoporum, praesentibus Francorum archiepiscopis et rege celebratum esse ibique combustam esse synodum, quam Stephanus in damnatione Formosi fecerit [1]).“

Haec — plerumque aliorum scriptorum auctoritate comprobata, interdum sola Sigiberti fide innixa, — unde noster sumserit, peritioris lectoris est investigare [2]).

Porro catalogum proponit Pontificum, satis rectum, atque in nominibus et numeris cum Flodoardo et catalogis optimis [3]) convenientem; uno tamen loco auctoritate Liudprandi deceptus post Joannem X medio anno 928 in vinculis

---

jectura Mansii (Concil. XVIII. pag. 182.) e loco quodam actorum concilii Romani Joannis IX. (ap. eund. pag. 221. vide infra. Nota 1.) etiam a Theodoro synodum de rebus Formosi institutam esse, cujus vero acta praeter illud dictum Sigiberti nos latent.

1) cf. Acta concilii Romani Joannis IX, quo acta Stephani VI detestatus est, ap. Baronium ex ed. Pagii. Tom. XV. pag. 529—531. Mansium Tom. XVIII. pag. 221—27. quae in synodo Ravennate, eodem anno 898 habita (cujus acta l. c. pag. 531—532. pag. 229—234.) recitata sunt. Ravennae Lambertum Imperatorem cum multis episcopis affuisse acta confirmant; numerum virorum religiosorum ibi congressorum nemo praeter Sigibertum attulit. — Canone VII concilii Romani decretum est „ut concilium Stephani igne cremaretur.“

2) De chronotaxi Sigiberti falsissima, qua plures scriptores, inter quos etiam Baronium a recto temporum ordine abduxit, hoc loco tacere satius duxi, quum jam Pagius annos et menses omnium pontificum a Formoso usque ad Joannem IX, et tempus conciliorum satis recte distinxerit. cf. Tom. XV. l. c. potiss. pag. 482—83. 493—496.

3) scil. cum illo ap. Eccardum. II, Vaticano, auctore, ut creditur, Pandulpho Pisano ap. Murator. III. 2. pag. 335, Zwetlensi ap. Pez. I. 3. pag. 375.

„Leonem (V) post triginta dies ordinationis suae a Christophoro presbytero captum et in carcerem trusum esse,“ Sigibertus an. 905. omnium — quantum scio — scriptorum primus e fonte nobis ignoto tradidit.

occisum, Joannem subrogatum esse refert [1]), addit tamen, rectiori fonte, fortasse Mariano vel alio Catalogo usus, alibi legi Leonem (scil VI) quem, quominus pro Joanne in catalogum reciperet, haud dubie eo impeditus est, quod anno 827 Gregorium IV et Leonem IV vocari retulit; Leonem igitur, quem catalogo suo antea perperam intrusit, ibidem expunxit. —

Post tenues nominum notitias plura ex historia pontificum inserere ratum habuit anno 963, quo Otto victor Romam ingressus, Joannem XII, qui regi a se ipso in auxilium vocato, primum fidem promiserat, post ad adversariorum partes desciverat, concilio solemni Romae (die sexto Novembris) habito ab officio pontificali removit, in ejusque locum Leonem, protoscriniarium ecclesiae Romanae, adhuc laicum substituit. In quo vix dicere opus est, Sigibertum potissimum Liudprandum praecipuum harum rerum omnium testem secutum esse [2]); sed documento hoc esse potest, quam accuratam habuerit rerum pontificalium atque canonum notitiam quod ipsa Acta Concilii Romani, tunc a Joanne, qui Leone fugato Romam reversus erat, habiti V Cal. Martii anni 964, quo omnia Synodi ab Ottone convocatae acta rescissa atque Leo anathemate perculsus est, affert [3]). Haec num Sigibertus e

1) Sig. ad an. 930. Liudpr. III. 12. Ajunt enim, quod cervical insuper os ejus (scil. Joannis X) posuerint, sicque eum pessime suffocarint. — Quo mortuo, ipsum Maroziae filium, nomine Joannem, quem ex Sergio papa meretrix genuerat, papam constituunt.
Errare Liudprandum ostenderunt Baronius et Pagius. XV. pag. 630. cf. Flodoardum et Catalogos. loc. cit. — Ceterum in Catalogis apud Eccardum et Pezium editis, in Hermanno Contracto, Mariano Scoto, Ekkehardo Uraugiensi et errores et lacunae variae, quae sigillatim perstringere longum est.

2) Sig. 963. Otto imperator — infamatur e Liudprando VI. 6. Qui tertio — substituitur. VI. 9. 10. 11. ab init. — jurejurando promittunt. Sig. Romani igitur a Papa Joanne — a Leone exordinatur, e Liudpr. VI. 11. usque ad fin. libri et operis.

3) Sig. 963. Ille synodo — a Constantino Neophyto. Acta ap. Ba-

fonte genuino, Statutis scil. Synodi Romanae hauserit, valde dubium est. — Nam in epistola a *Bernardo*, tunc Hildeshemensis prius Constantiensis scholae magistro (anno 1076.) ad Adalbertum ut videtur olim praeceptorem et Bernaldum olim discipulum Constantienses data, qua is eorum quaestionibus „de damnatione eorum, qui papam totamque Romanam Synodum deauctorizare tentaverunt et de Sacramentis damnatorum" respondit [1]) *eadem ejusdem* concilii decreta resque *eodem* ordine *iisdemque* verbis quibus haec omnia ap. Sig. enarrata sunt *tanquam ex iisdem gestis Pontificum, quarum priorem partem sub Anastasii nomine cognovimus desumpta* exstant. Utramque narrationem stricte cohaerere, atque ad alteram propius quam ad Acta ipsa (quamvis in rei capite cum ipsis sint consona) accedere manifestum est. Certe non temeraria videri possit conjectura, et Sigiberto et Bernardo ad manus fuisse librum Pontificalem, nonnulla etiam ad res Pontificum saec. X. pertinentia complectentem, unde loci an. 900. 903. 905. etc. supra memorati in nostrum redunda-

---

ronium ed. Pagius XVI. pag. 143. (Mansium XVIII. pag. 741.) Nro. VII. IX. et XIII. ubi eadem atque apud Sigibertum exstant verba decretorum de concilio Ottonis, de actis et ordinationibus Leonis VIII. in irritum redactis. — Porro negare non possumus, haec Sigiberti dicta quae cum Bernardo convenire infra probaturi sumus (ap. Miraeum litteris minusculis impressa) cum narratione plerumque e Liudprando hausta non cohaerere, et quasi separatim intrusa videri. Nam si ordo rerum temporumque observatus esset, locus quidem primus: Sic Leo — Apostolica: post: substituitur: sequeretur tum vero narratione: Romani — fugit: interjecta, illud: Nec longum — Neophyto: addendum esset.

1) ap. Ussermann. Prodrom. Germaniae sacrae II. pag. 188—214. Nro. XXXVIII. pag. 208—209. Quo reverti negante *Leo adhuc laicus* (cf. cum Sigib. ap. Miraeum litteris *majusculis*) „Sic Dominus Leo praesidens Apostolicae sedi fecit interim ordinationes et omnia quae erant Apostolici. Nec longum Romani alterata fide apud imperatorem papam recipiunt Joannem. Ille congregato etc." deinde: Statutumque est — a Constantino Neophyto promotos.

runt;[1]) atque si quis etiam Sigibertum sua e Bernardo derivasse statuat, Bernardi tamen testimonium talem libri Pon-

---

1) Quae quidem conjecturae, libri Pontificalis per saeculum decimum continuationem olim extitisse, cum omnes codices manuscripti refragentur, multis illa audacior videri possit; tantam tamen e lectione Bernardi habet commendationem ut quasi ultro se offerat. Hic enim, quo loco in epistola sua „Ecclesiastica Sacramenta nullo modo fieri posse a Simoniaco" demonstrare vult, ex Apostolico decreto quaecunque a Neophyto facta viderentur annullata esse omnia exemplo probarus profert pontificatum laici cujusdam Constantini, cujus, cum Paulo defuncto (768) sedem pontificalem repente occupasset, decreta omnia Synodus postea a Stephano III. legitimo Papa convocata irrita esse jusserit et ordinatos ab eo dignitatibus acceptis exuerit, qua in narratione ut ipse auctor est testimonio Gestorum Pontificum utitur. Ait enim (Cap. XXXV. pag. 207.) Nullus omnium ad pontificatus apicem promoveretur, nullus omnino ad altiorem gradum speraret, ne hic novitatis error in ecclesia Dei radicaret. Demum sancitum est, ut quaecumqne Constantinus invasor in sacramentis egerat, omnia iterarentur, ut *in gestis Pontificum legitur*, praeter sacrum baptisma et mysticum chrisma: atque in his nihil nisi excerptum e Vita Stephani in Anastasii Vitis exstante (cf. ap. Murator. l. c. pag. 174 — 77). edit. Idem cap. 38. in eadem re pergens, ut ad aliud exemplum viam sibi muniat, dicit: Scribam et adhuc *de gestis Pontificum* concilium papae de annullatis, quae Leo Neophytus usurpaverat, sacramentis: eaque adnectit quorum nonnulla cum Sigiberto convenire diximus, alia vero, quae ad explanandum statum rerum universum (scil. Anno — revocavit) praemissa sunt, cum fontibus aequalibus, et quae in Actis Synodi praeter Sigiberti dicta leguntur (scil. omni ecclesiastico — communione) cum Actorum textu genuino consentire videmus; Cap. 42. pag. 211. Bernardus ad eandem rem his verbis, quae apud eum et Sigibertum leguntur, respicit: „legens ego illam Leonis Synodum, vocatam non Synodum sed prostibulum favens adulteris." Accedit quod etiam Bernaldus ille (i. e. Bernoldus Chronographus de quo vide infra) pluribus annis post in *Tractatu de sacramentis excommunicatorum* praeceptoris doctrinae nimis severae oblocutus ejusque testimonia e fontibus vetustioribus non sine critica quadam arte sub judicium revocans, eum *e Romano Pontificali* duo illa exempla de profanatis neophytorum sacramentis proposuisse ait (cf. l. c. Nro. IX. ap. Ussermann. l. c. pag. 234.) idemque

tificalis continuationem extitisse satis certis argumentis evincere videtur. — Hic quidem locus an. 963. utrique textui Sigiberti communis; jam vero ab an. 946, quo textus vulgaris „Agapetum centesimum tricesimum" profert et Miraeus eidem „Benedictum CXXXIII." apponit in utraque editione catalogus plane diversus usque ad Benedictum IX. decurrit. Uter Sigiberti sit, quantopere is erraverit, et quomodo fontium vel inopia vel pessimo habitu excusari posse videatur, infra probabimus.

Eo uberioribus promptioribusque fontibus usus est, ubi ad res domesticae regionis, Galliae scil. Belgicae sive imperii Germanici aetati suae propiores progreditur. — In his enim eum adjuvabant scriptores recentiores, qui in monasteriis ipsi haud dubie notis, in iisdem finitimis episcopatibus vitam egerunt — Erant hi modo in originibus monasteriorum vel episcopatuum, quibus adscripti erant, explanandis tam copiosi, ut ex eis haud raro plura, quae ad historiam anteriorum temporum spectarent desumere posset, [1]) modo in distinguendis annis imperatorum vel episcoporum tam accurati ut ex eis historiae universalis filum per saecula X. et XI. perducere posset.

Paravit sibi *Annales Lobienses* (ab an. 900—982) Vedastinis quos in primo fontium catalogo jam nominavimus, annexos, [2]) quamvis multo breviori stylo scriptos, aequales tamen, gravissimisque notitiis vitarum imperatorum regumque Galliae repletos. [3]) — His adjunxit *Fulcvinum* abba-

auctor alio loco „libri de vitanda excommunicatorum communione etc. Canonum auctoritate (Cap. 37. l. c. pag. 334.) locum „*Romani Pontificalis*" citat de sexto concilio oecumenico, qui certo ibidem (ap. Murator. l. c. pag. 143—44) iisdem verbis reperitur. — Vita Joannis XII. in Catalogo ap. Eccardum II. aliisque locis exstante cum his excerptis non cohaeret.

1) cf. exempla infra ap. Vitas et in Append.

2) cf. pag. 29. not. 3. Annales ap. Würdtwein Nova subsidia diplomatica XIII. pag. 210—214. Pertz. Mon II. pag. 209—211.

3) cf. Annal. Lob. cum Sig. ad an. 923. Reges — confirmantibus. ad an. 924. cum Sig. 924; ad an. 926. cum 928. Ludovicus — regnat; ad an. 952. cum Sig. 953. ab init.; utrumque ad an. 961; 972. cum Sig. 972.

tem Lobiensem qui monasterii sui res ab initio ad suum usque tempus deduxit[1]) (†990) cuique Sigibertus ipse hanc laudem candide tribuit, quod Gesta abbatum Lobiensium describendo „per digressionem plura legentibus utilia subintroduxisset," tam promptus in laudanda ejus virtute, ut quas ille in Erlvinum primum Gemblacensis monasterii abbatem calumnias attulisset[2]) hoc loco silentio praetermitteret.[3]) —

Porro e libris duobus *Alperti* monachi S. Symphoriani Mettensis de diversitate temporum, quibus historiae universalis gravissimae res cum comitum primatumque discordiis fere privatis atque eventibus quibusdam aetatis illius, quae auctori mirae atque memoratu dignae viderentur, confusa[4]) leguntur, rejectis inutilibus vel minutae gravitatis rebus annales Ottonum II. et III. et Henrici II. notitiis pluribus haud spernendis replevit. — Uberiorem materiam praebuit *Baldericus*, qui tum primordia episcopatuum Cameracensis et Atrebatensis explicare studuit tum eorum historiam libro I. deduxit usque ad initia Gerardi I. episcopi (ab an. 1012.) qui ipsi suppar atque consuetudinis vinculo conjunctus[5]) ei hoc munus commisit[6]) tum quum Gerardus adhuc viveret

---

1) cf. edit. ap. d'Acherii Spicileg. ed. de la Barre II. pag. 730. sq. libr. de script eccles. Cap. 136.

2) infra ap. libell. de gestis Abb. Gembl.

3) Recurrit in continuatione Gestorum abb. Lobiens. Sigiberti judicium de Fulcvino similibus (cf. pag. 744. laev. lin. 5—7) locus ejusdem de Harigero Abbate cf. libr. de s. e. Cap. 137. iisdem verbis (pag. cit. lin. 35—43). Continuationis auctor, ad seriorem haud dubie aetatem (e Chapeavillio ad an. 1160.) pertinens ipse vetustioris scriptoris domestici *Gallici* verba ipsa affert. cf. pag. 744. dext. tribus locis. Et aliis locis „monumenta scripta, seniorum traditiones pag. 745. citat, quae nisi secundum aetatem et auctoritatem suam codicum ope distinguantur, modi, quo cum Sig. cohaereat, judicium vix fieri potest. — Equidem locos illos e Sigiberto desumptos esse credere malim.

4) ap. Eccard. Corpus hist. med. aevi I. col. 90—130. libr. de s. e. cap. 143.

5) scil. III. 9. pag. 258. cap. 17. pag. 269. . . . .

6) Nam Baldericum in praefatione libri I. Gerardum I. designasse,

libro II. res monasteriorum episcopatui subjectorum addidit, atque tertio libro, — Gerardo interea mortuo[1]) ejusque et Lietberti successoris (qui obiit an. 1076) res adnexuit. Opus illud veterum scriptorum uberi lectione, atque scriniis ecclesiae, certorum testium relatione, denique ipsius auctoris testis oculati fide nitens,[2]) optimis sane saeculorum X. et XI. libris historicis annumerandum est.

Sigibertus ad Leodiensium quoque Episcoporum gesta accessit. Cui jam obvia erant haec: Prima scil. Gestorum pars a S. Materno usque ad S. Remaclum pergens ab Harigero Abbate Lobiensi Notgeri Episcopi aetate atque eo haud dubie jubente[3]) scripta, altera deinde post obitum Wa-

---

collata praefatione libri II. manifestum est. Utimur editione Vir. Rev. Le Glay. Parisiis. 1834. ap. quem vide de Vita auctoris.

1) cf. loc. pag. 84. not. 5. citat. III. 23. pag. 277. III. 44. in fin. pag. 311.

2) cf. praefat. libri I. libri II. 1. 3. 5. etc.

3) Notgeri in libro quem Anselmus, et alii omnes Harigero adscribunt partem aliquam esse conjicere licet (cf. Chapeaville praefat. ad Auctores qui Gesta Pontific. Tungr. Traject. et Leodiens. scripserunt. Leodii. 1612. 4. Tom. I.) cum e Codice Ms. Eccles. Colleg. S. Martini Leod. qui nomen Notgeri prae se ferebat, tum ex eo, quod epistola a Notgero ad Werinfridum Stabulensem data (omissa quidem inscriptione qua addita ante Notgeri Vitam S. Remacli ap. Sur. Acta SS. V. pag. 17. legitur) Harigeri libello praemissa est. In hac quidem Vitam S. Remacli ab Abbatum Reverendissimo (scil. Werinfrido Stabulensi in cujus monasterio Vita S. Remacli vetusta olim scripta erat) sibi oblatam esse refert Notgerus, ut „eam non modo exemplari (exampliari) verum aliquanto lepidius mandaret poliri," huic se voto secundum auctoritatem aliorum virorum sapientissimorum obsecundasse fatetur, atque „ne labor hic — inquit — qui te adhortante susceptus est, inferaciter fiat non ejus modo cujus meminimus sancti scil. Remacli sed et caeterorum nostrae sedis Pontificum tempora et gesta, quae undecunque potuere corradi ad *nostra usque* tempora collegi, et cujus potissimum anhelabas desiderio vitam inde exceptam votis tuis porrexi." Eam igitur magis Vitae S. Remacli quam gestis epp. Leodiens. praescriptam esse patet. Cum porro excerptum ex hac Vita ipso prooemio descripto et ordine rerum ipsisque verbis consentientibus in Harigeri gestis (Cap. XLVII.

zonis scripta cujus et textus et auctor, quales re vera fuerint genuini, adhuc multum quaeritur. — Nam cum in codice vetustissimo[1]) ex quo liber tantum secundus Gestorum editus est, in prooemio hujus libri extitisse librum quendam *Alexandri* continentem Gesta epp. a Materno usque ad Wazonem rogatu B. Idae abbatissae S. Caeciliae Coloniensis conscripta eorumque quidem primam partem usque ad S. Remaclum secundum ipsius auctoris testimonium, ex epistola ejus ad Idam ut videtur, ibi allatum ex aliis scriptis excerptam esse, alteram vero partem (a Theodardo scil. Remacli successore usque ad Wazonem omissis prioribus libro Gestorum primo (scil. Harigeri) jussu priorum Leodiensium anno 1056. (utrum integra ea an in excerptum redacta sit incertum) subnexam esse narretur,[2]) in editione Chapeavillae[3]) primo Gestorum libro (praeter epistolam Notgeri ad Werinfridum) *Anselmi* „presbyterorum infimi" epistola dedicatoria ad Annonem Archiepiscopum Coloniensem praefixa legitur, in qua is Leodiensem Ecclesiam Annoni metro-

—LX.) inveniatur, non dubium mihi esse videtur, et hanc Vitam et omne Gestorum corpus esse ab Harigero scriptum, a Notgero cui Abbas ille erat familiarissimus editam, similiter atque in Vita S. Landoaldi factum esse traditur (vid. infr.) Alii, quos citant Hist. litt. auctores VII. pag. 198. communem esse in libro conficiendo Notgeri et Harigeri operam contenderunt. Num Harigeri et Notgeri gesta epp. Leod. ad *sua usque tempora* collecta unquam lucem viderint ignoratur.

1) scil. S. Huberti monast. Andaginensis, postea in bibl. Domini baronis de Crassier ap. Martene et Durand. Coll. ampl. IV. col. 837—912. Codd. Alnensis et S. Martini Leodiensis, a Chapeavillio citati (cf. Praef.) ad idem genus pertinent. cf. apud Chap. not. 5. ad Anselmi epistolam dedicatoriam cum Martene l. c. col. 843.

2) cf. Prooemium libri II. ap. Martene l. c. col. 843—845. ex *editorum* testimonio ab Anselmo scriptum.

3) In textu scil. quem Aegidius Aureae-Vallis (de quo infr. in Append.) secutus est, sec. quem editionem suam instituit Chapeaville cui plura alia exemplaria vel cum additionibus Aegidii, vel sine iis (sicut Cod. Conventus crucifer. Leod.) conformia sunt. cf. Chapeav. Praef.

politano *per se ipsum* suorum Pontificum gesta transmittere confessus postquam Harigerum primae partis auctorem esse declaravit, sic pergit:

„cui nos capitula praenotantes nostram cum capitulis suis elucubratiunculam coaptare studuimus. Et cum illa superior eorundem gesta Pontificum a primo usque ad sanctum Remaclum digesserit: *nos quoque opus nostrum quod precatu Dominae Idae Abbatissae conscripseramus, decapitantes* ne eadem replicando fastidium legenti faceremus a beato Theodardo coepimus, et ordinem Episcoporum usque ad Dominum Wazonem, quem quinquagesimum secundum esse constat prosecuti sumus:

se igitur libri quod Alexandri esse supra legere videbamur, auctorem proclamat. In prooemio libri secundi ap. Chapeavill. Tom. I. pag. 99., quod in universum excerpti e prooemio Marteniano speciem prae se fert, iisdem fere quibus in textu Martenii opus illud Alexandro vindicatur verbis Anselmo Canonico adscribitur, [1]) atque quae ap. Marten. ex ore Alexandri de operis sui indole leguntur, huic dicto sine ulla distinctione adjiciuntur. [2]) Ad conjecturam fugere, Alexandrum pariter atque Anselmum canonicos S. Lamberti idem opus Idae abbatissae rogatu suscepisse insanum videtur, itaque naturalis est pugna inter prooemia libri II. in utroque textu et inter Anselmi epistolam dedicatoriam a Chapeavill. editam et prooemium libri II., quam conjecturis quales a recentioribus prolatae sint [3]) sedari non posse

1) scil. Deinceps quae sequuntur (jussu priorum loci istius anno Dom. Inc. 1056. ap. Mart.) ex alterius opusculi libello, quem quidam ex canonicis S. Lamberti Alexander nomine (quidam S. Lamberti Canonicus *Anselmus* nomine ap. Chap.) composuit . . . . sunt annexa.

2) cf. ap. Chap. Quae igitur — negare non potui cum Mart. col. 844.

3) Cum prooemio libri II. sui textus Chapeavillius Anselmi epistolam ita conciliavit, ut in hac eum libere opus suum agnovisse, in illo tertia persona modeste de se locutum esse existimaret. Quomodo vero concilietur epistola cum prooemio libri II. Marteniani? (cf. quae in utroque scripto de Ebregiso leguntur cf. Chapeavill. pag. 66—68) Mart. et Durand. haerent inter opiniones, Anselmum Alexandri paulo postquam manum rebus Leodiensibus scribendis admovisset mortui opus *contractum* Annoni obtulisse porro ipsum textum esse sive Alexandri opus cum Anselmi prooemio, atque ideo apud Chap. extare integrum Anselmum cum prooemio abbreviato sive eum esse Anselmi, atque

perspicuum est. Liber Gestorum secundus qualem Martene et Durand exhibuerunt, — in quo igitur prooemii auctor (Anselmus) quae ipse duos libros connectendo praestiterit, ab Alexandri opere meritisque bene distinguere videtur — non solum in multis amplior illo apud Chapeavillam est[1]) sed pluribus locis aetate propiorem atque haud paucis auctoris aequalis testimoniis ornatum se praebet,[2]) plura continet, sic instituta ut archiepiscopo Coloniensi grata essent, benevolentiamque ejus captarent.[3]) Cum textus Chapeavill. his omnibus vel careat vel ea ita mutata et contracta[4]) afferat, ut omnem scripti rebus ipsis aequalis habitum amittant, atque loco eorum paucas tantum lectiones rectiores[5]) vel additamenta ex historiae universalis cognitione hausta[6]) vel ad res Leo-

---

Chap. epitomatoris; quae certe omnes vel falsae sunt vel rei explicandae non sufficiunt; neque his ea quae Hist. litt. Franc. auctores ad diluendum hoc dilemma attulerunt (VII. pag. 474—76). multo certiora sunt aut plus ponderis habent.

1) cf. multa exempla ap. Mart. et Dur.

2) e. g. loci Mart. Cap. VIII. l. c. col. 851.. „Testis est domnus *Thicuvinus* episcopus (successor scil. Wazonis) Cap. XXXIV. Reginardum triginta monachos sub abbate *qui adhuc superest* (scil. Stephano Abbate primo S. Laurentii Leod. qui obiit XIII. anno Theoduini cf. Hist. S. Laur. Leod. ap. Martene Coll. IV. col. 1067.) constituisse desunt ap. Chapeav. cap. XII. pag. 123. LXXII. pag. 265. Pro loco Mart. Cap. VIII. „quae *me* ante biennium a presbytero quodam nomine Waritio contigit audisse" Chap. Cap. XIII. „cujus praesbyter retulit. Eo modo semper fere in textu Chap. loci auctoris Mart. quibus certae personae vel sui ipsius testimonium interponit omittuntur, cujus rei permulta possunt afferri exempla.

3) Locus Mart. Cap. VI. in fine: Non ergo pigeat *sanctam Coloniam* etc.; deest ap. Chap. cap. XI.; locus Mart. Cap. XLVIII. (de Colonia) „sanctorum — concessus" deest ap. Chap. cap. XCII. pag. 292.

4) cf. e. g. iniquum modum, quo Capp. LX. et LXI. Martenii in Cap. CV. Chap. pag. 302—303 contracta sunt.

5) quamvis titulus cap. XXXI. pag. 147. „de aliis sex episcopis (falsae lectioni Martenii: septem Cap. XVI. praeferendus) e Codd. Alnensi et S. Martini Leod. desumptus esse videatur. cf. pag. 128. not.

6) cf. Chap. Cap. XXXVII. (coll. cum Cap. XVII. Mart.) Cap. LVI. (Mart. Cap. XXVI.).

diendses attinentia[1]) eaque haud raro rerum condicionibus minus accommodata[2]) substituat textum libri secundi Martenianum priorem et haud dubie Coloniam missum, Chapeavill. vero inde excerptum esse constare videtur; quae vero inter Alexandrum et Anselmum intercedat ratio codices gestorum integrorum utriusque generis accuratius perlustrati docebunt. Sigibertum — ut ad hunc redeam — utrumque libri secundi textum cognovisse nonnullis exemplis clarum esse videtur;[3]) annotavit in libro de s. e. praeter Harigerum script. gest. Leodiensium solum *Anselmum*;[4]) hunc igitur et communem morem secuti hoc nomen illi Alexandri praetulimus. —

Libro Annoni tradito subnectamus opusculum praedecessoris illius Herimanni Archiepiscopi Coloniensis aetate puplices scriptum *Vitam* scil. *S. Heriberti* Archiep. Colon. cujus *auctor Lambertus* monachus Tuitiensis postea factus est Abbas S. Laurentii Leodiensis.[5])

Fines vero proximos egressus, ut historiae universalis scriptorum copiam uberrimam sibi pararet, animum advertit Sigibertus *ad Glabri Rodulfi monachi Cluniacensis historia-*

---

1) Inter haec refero primum quod, quo dolo usus Notgerus castellum montis Caprarum destruendum curarit *„sicut a majoribus acceperit"* enarrat Cap. L. quae scil. narratio in Historia S. Laurent. Leod. col. 1042.; immutata legitur cap. XLIII. (coll. cum Mart. cap. XX.) additur de Richario episcopo (Hic) *in ordine catalogi* (quadragesimus); cf. porro Cap. XXXVII. de Francone coll. cum Mart. XVII.;

2) Cap. CIII. cap. CVI. Cap. CVII. cum Cap. LVIII. LXII. Cap. LXIII.

3) cf. e. g. Sig. libr. de s. e. cap. 125. de Stephano Episcopo Leodiensi. Scripsit etiam — congessit cum Anselmo ed. Martene Cap. XVIII. l. c. col. 859. (coll. cum Fulcvin. cap. 18.) qui quidem locus ap. Chapeavill. cap. 41. deest. Textus utriusque vestigia infr. ap. libell. de gestis Abb. Gembl. et ap. Vitam S. Lantberti. —

4) de s. e. cap. 164. Etiam Aegidius Aureae-Vallis eodem auctoris nomine utitur Chapeav. II. 1. — Citamus semper nisi ubi textus Chapeavill. adeundus est, edit. Martenii. —

5) cf. edit. Vitae in Actis SS. Boll. Mart. II. pag. 465. et prolog. auctoris pag. 467. cf. Historiam S. Laurent. Leod. col. 1067.

rum libros quinque[1]) eos quidem interdum abstrusos, fabulisque nimium indulgentes sed ei, qui rectiora inde eligendi facultate non careret, satis utiles et fructuosos. *Vitae* denique virtutumque viri, cui Glaber Rodulfus opus suum inscripserat, *Odilonis Cluniacensis*, testem adhibuit nisi principem, at certe disertissimum eumque fama sanctitatis insignem, *Petrum Damiani* S. R. E. cardinalem.[2])

Jam igitur, his enumeratis ad singula. Locos ad an. 984. „Lotharium regem Francorum ad invadendam Lotharingiam rursum laborantem, urbem Virdunum et Godefridum ipsius urbis comitem cepisse" sed „cum 985. Lotharium Ottonem Imperatorem virtute militum suorum proficere videret, et urbem et comitem reddidisse, e Balderici libro I. Cap. 104. non sine arte quadam composuit, fontem vero nobis inaccessum prodere videntur, quae ad an. 987. enarrat scil.

987. Ludovico Francorum Rege mortuo, Francis regnum transferre volentibus ad Karolum Ducem fratrem Lotharii regis *dum ille rem ad consilium differt* (defert) rem (regnum) Francorum usurpat Hugo . . . .

988. Karolus dux regnum Francorum ex paterna et avita successione sibi debitum contra Hugonem regem nepotem suum, repetit eumque bello perurgens Laudunum urbem cepit. Hugo autem rex Carolum in Lauduno obsidet, sed secundo obsidionis mense obsessi prosilientes castra obsidentium incenderunt et ipse Rex Hugo plurimis suorum peremptis turpiter fugiens vix evasit. —

Carolum Lotharii regis fratrem a potestate regia exclusum Lauduno potitum esse etiam alii enarrant,[3]) atque — ne ad Hugonem Floriacensem [4]) provocem — Gerbertus ipse simile quid de militibus regiis impetu obsessorum conturbatis castrisque eorum crematis in epistola tradit.[5]) Ri-

1) Apud Pithoeum Scriptores Hist. Franc. veteres. XI. ab init. Sigib. de script. eccles. Cap. 50.

2) in Opp. omn. ex edit. Constantini Cajetani. Paris 1743. Tom. II. pag. 192.

3) cf. Gerberti Epistolam ad Wilderoldum ap. Mansi Coll. conc. XIX. pag. 154. Hugonis Flaviniacensis Chron. ap. Labbeum Bibl. manuscr. I. 157.

4) scil. in edit. Aimoini (Paris. 1567). continuat. cap. XLIV. pag. 741.

5) scil. CXXI. (ap. Chesn. II. pag. 817.)

cherus, cujus excerpta quaedam in Annalibus Monacensibus a V. D. Hoefler[1]) in lucem sunt prolata Sigiberti narrationem confirmare videtur. — In his enim Carolus traditur suis convocatis proposuisse quantum malum sibi (regno erepto atque in alienam gentem translato) acciderit deinde iis ad auxilium ferendum commotis et artibus et vi Lauduno potitus eamque omnibus quae oppugnationi sufficerent instruxisse; primam oppugnationem quam reges (Hugo scil. ejusque filius Robertus) sex millibus adjuti tempestate jam iniqua (scil. hyeme anni 988 et 989) conati essent, irritam fuisse tradit Richerus deinde quum proximo vere Hugo cum octo milibus Laudunum appropinquasset, idque ingentibus belli machinis torqueret obsessis contigisse *castra hostium subito invasa incendere atque regem omni apparatu belli exutum ab urbe pellere.*[2]) Qua narratione ex altera parte facile persuaderer ut Richerum Sigiberto ante oculos versatum esse existimarem, nisi et eo, quod in hoc quidem excerpto nullam „secundi obsidionis mensis" ap. Sigibertum vero nullam duplicis vel iteratae obsidionis mentionem factam esse video et quod Richerum, medio aevo minus notum fuisse constat — commotus essem ut rem textu demum auctoris ipso inspecto dijudicarem.

Porro quae ad hoc locorum Sigibertanorum genus pertinere videntur et fonte certo adhuc carent, hic disputabo. — In haec ipsa intestinorum motuum tempora mortem Adalberonis Archiepiscopi Remensis incidisse (die vigesimo ter-

---

4) Münchener gelehrte Anzeigen Tom. V. 1837. pag. 137—192. cf. ejusdem librum: Deutsche Päbste.

1) Liceat ipsa Hoefleri verba repetere l. c. pag. 163. Richerus beschreibt nun ausführlich die gewaltigen Maschinen, mit welchen König Hugo die Stadt bedrohte: sie hatten aber bei der festen Lage Laon's noch gar nichts ausgerichtet, als es den Belagerten gelang, die Truppen des Königs zu überfallen, das Lager anzuzünden, und den König mit Verlust aller Kriegsgeräthe zur wiederholten Aufhebung der Belagerung zu zwingen.

tio Januarii an. 988.) in ejusque locum Arnulfum[1]) spurium regis Lotharii filium instigante potissimum Hugone rege ut sic animos eorum qui adhuc a partibus Carolorum stabant placaret electum esse, Arnulfum porro sacramento fidei quod Hugoni praestitisset mox violato Carolum urbem Remensem ingressum si minus advocasse at certe non armis propulsasse inter omnes quidem constat; quod Sigibertus addit „Arnulfum et aliquot primates captos et Lauduno (um) relegatos esse" cum excerpto Richeriano concinit.[2]) Prodit certe fontem singularem Sigibertus locis iis quibus ad an. 989. „Carolum ducem Montem — acutum expugnasse, ad Suessiones usque vastando peraccessisse inde Remos aggressum et Laudunum multa cum praeda reversum esse" ad an. 991. Carolum ducem mortuum eique filium Ottonem in ducatu Lothariensium successisse" enarrat. — Concilio Remensi (ad S. Basolum) ad an. 992. (perperam quidem, cum an. 991. habitum sit)[3]) enarrato pluribus de rebus Gerberti quae e Balderico et Glabro Rodulfo congessit[4]) interserit „Adelgarium presbyterum, qui Carolo Remos ingresso portas aperuisset, insol*a*biliter (ed. princ. insol*u*biliter) excommunicatum esse" quod unde desumserit, ignoro quidem, in actis vero concilii Remensis longe lateque enarrari[5]) compertum habeo. —

Porro cum ad an. 959. Balderico et Fulcvino connexis[6]) enarret Brunonem archiepiscopum et „*archiducem*" Lo-

1) Is enim Archiepiscopus, quem Hugo Rex praefecerat.

2) Höfler l. c. pag. 165. (Wo) sich Arnulf . . . dem Herzoge ergeben mufste und nach Laon abgeführt wurde. —

3) cf. Actorum Cap. I. ap. Mansi XXI. pag. 110.

4) cf. Glabr. Rodulf. lib. I. Cap. 4. ed. Pithoeus pag. 7. Bald. I. 110. Sigibertus perperam Arnulfum (quem Hugo constituit. vid. sup.) a Carolo archiepiscopum Remensem substitutum esse ait.

5) Cap. XI. ap. Mansi pag. 115. *portas aperui*, . . . Cap. LV. pag. 153. At episcopi *nulla miseratione* circa eum adducti. . . .

6) cf. Bald. I. 94. Fulcv. Cap. 26. Apud Fulcvinum Raginerus apud *S. Salvium* evocatus esse dicitur, quod vero idem esse ac „Valentianas" confirmat praeter Sig: ad an. 800. Balderic. II. 21. cf. De-

tharingiae Raginerum Longicollum comitem Montensem apud Valentianas evocatum cepisse et irrevocabili exilio damnasse pro eo quod regnum bellis inquietasset, addit fonte alio haud obscure indicato „vel quod verius fuisse dicitur, pro eo, quod mortuo Gisleberto duce consanguineo suo ea quae Gislebertus uxori suae Gerbergae sorori imperatoris in dotem contulisset, violenter ei auferre praesumpsisset." [1]) Simili fortasse vel eidem fonti debet ad an. 973. (ap. Struv. perp. 972.) „Raginerum et Lambertum filios Ragineri Longicolli a Francia reversos pugna cum Guarnero et Rainaldo (qui post Richarium comitatu patris a Brunone donati erant) apud Peronam inita illos cum multis aliis peremisse.[2]) Redolent quidem Baldericum quae ad an. 973. de castello Buxude[3]) super fluvium Hagnam a Raginero et Lamberto munito ad an. 974. (ap. Struv. perperam 973.) de eodem castello per Ottonem II. obsesso, capto diruto iisque qui in eo capti erant exsiliatis, ad an. 976. de bello ancipite inter Raginenerum et Lambertum et Godefridum Arnulfumque comites, qui post Guarnerum et Rainaldum comitatum Montensem acceperant gesto enarrat;[4]) — narratio vero anni 977 filios

---

lewarde Hist. de Hainant II. 196. E Thietmari (lib. VII. ed. Wagner pag. 227) testimonio Raginerus in Boemiam missus ibique mortuus est. — cf. Flod. 957. Cont. Reg. 958. Dönniges Otto I. pag. 65—66.

1) Hanc discordiarum fuisse causam innuit etiam Flodoardus ad an. 956. Neque tamen ejus dicta ad explicandum Sigibertum sufficiunt, neque Flodoardi Chronicon ad usum nostri venisse demonstrari potest. — Ragineri terram primum Richario a Brunone datam, et filios etiam patriis finibus ab eo eliminatos esse narrat Balder. bonis illius ad fiscum publicatis filios ad Lotharium confugisse — nescio unde tradit Sig.

2) Baldericus I. 94. Guarnero et Rainaldo defunctis Godefridum et Arnulfum *a Brunone adhuc Archiepiscopo* comitatu donatos esse referens caedem illorum in pugna apud Peronam ignorasse videtur. Thietmar. vero l. c. Lambertum cum fratre suo Reingerio Wirinharium et ejus germanum Reinzonem pariter occidisse tradit.

3) de quo cf. le Glay ad Bald. pag. 474.

4) cf. l. 94. 95. cf. Flodoardi Continuationem ap. Chesn. II. 623.

Ragineri Francorum auxilio et affinitate in terram patrum suorum relocatos esse — ut certo fonte caret — eo certe, quod ad explicandam rem addit auctor scil. Raginerum duxisse Hathvidem Hugonis postea regis filiam, Lambertum vero Gerbergam filiam Caroli ducis dubium redditur. Nam anno 977 neque Hugo, cujus pater demum an. 938. matrimonium cum Hathvide filia Henrici iniit,[1]) neque Carolus qui vel anno 945, vel, quod mihi quidem verisimilius, 953 natus est,[2]) filias habuerunt nubiles. — Quod porro eodem anno 977 legitur, Carolo fratri Lotharii regis Lotharingiae ducatum datum esse e Balderici lib. I. Cap. 100. ipsis verbis decerptum, novum vero scrupulum injicit notitia anni 980:

Otto Imperator et rex Lotharius convenientes super Carum fluvium pacificantur datis invicem sacramentis et rex Lotharius Lotharingiam abjurat:

cum ei explanandae neque Balderici de pace inter utrumque facta narratio (103) neque alius fons sufficiat, Trithemius vero — quem Richero usum esse V. D. Waitz docuit[3]) — in Annalibus Hirsaugiensibus ad an. 979. locum Sigiberto in phrasibus quidem similem, eo vero longe ampliorem atque accuratiorem afferat.[4]) Num is Richeri sit, textus docebjt. —

Cum Balderico ut Fulcvinum aliosque scriptores ita et Alpertum Mettensem pluribus locis connexuit. Postquam enim Balderici capp. 96 et 97. in breve collatis an. 978. Ottone cum pace Aquisgrani frueretur repente a Lothario perterritum mox expeditione in Francogalliam parata per duorum mensium spatium[5]) regnum adversarii peragrasse, in re-

---

1) cf. Flodoard. ad an. 938.

2) cf. Flodoard. ad an. 945. 953. ibid. ad an. 965. Gerbergam Reginam sororem Ottonis cum filiis Lothario rege *Karoloque puero* Coloniam venisse.

3) cf. Heinrich I. in Ranke Jahrbücher des deutschen Reichs etc. I. 1. pag. 27. 32. 44. 57. 85. pag. 198—200.

4) ed. San-Gallensi 1690. I. 121.

5) scil. Ottonem Calendis Octobribus Francogalliam invasisse circa festivitatem vero S. Andreae (i. e. 30 die Novemb. pro quo Sigib. constituit Cal. Decbr.) reditum disposuisse Baldericus diserte edicit.

ditu circa Axonam fluvium partem tantum impedimentorum amisisse enarravit sine dubio e fabula ab Alperto decantata haec addit „reclusum quendam praedixisse quod omnes hujus mali incentores ante septennium morerentur." — Pugnam porro ab Ottone II. contra Graecos et Saracenos gestam atque mirificam imperatoris quae cladem sequeretur fugam expondituro an. 982. utriusque narrationes ad manum erant (Balderici I. 103. Alperti II. 24.). Attamen ipse jam quod et hoc loco et iis quae de Gerberti nigromantia, et de Ottonis III. obitu aliisque locis confirmari videtur, cum scriptorum narrationibus vivacem vulgi famam connexuisse videtur, Sclavum enim cujus prudentiae Imperator salutem suam debuit ab Alperto non accuratius insignitum *negotiatorem* esse[1]) nescio unde didicit.[2]) —

Glabri Rodulfi vestigia persecuturus primum affero notitiam anni 977, quo quidem anno in textu Miraei „Sanctum Guicteth cognomento Adelbertum apud Vinidos clarere" legitur, in textu Struvii vero „eundem apud Brutios martyrizatum, multis miraculis glorificari" additur. Hoc additamentum, quamvis loco ipso minus idoneum eo ut Sigiberti esse statuerem commotus sum quod apud Glabrum Radulfum (I. 4.) martyrium Adalberti „ad gentem Bruscorum" egressi Ottonis II. aetati subjunctum esse legi atque cum noster fortasse certiori fonte careret hujus auctoritate se commisisse existimavi. — Ex eodem Rodulfo derivari videntur, quae ad an. 1001 de Crescentio ab Ottone III. victo atque foedissimo supplicio tradito leguntur.[3]) — Anno 1002 res ab Ottone Romae gestas secundum Baldericum 114. enarrat inter quae id quidem falsum sive ex fonte inaccesso haustum Ro-

1) Quaeri potest num forte Judaeus Calonimus, cujus Thietmarus lib. III. mentionem facit et Slavus hoc modo in unam personam sint confusi?

2) Theophaniam Imperatricem Romanorum clades in ludibrium traxisse ex Alperto l. c. tradit Sigib.

3) cf. Glabr. Rod. I. 4. pag. 7. cf. Lamb. Aschafnab. ad an. 998. cf. Böhmer Regesta Nr. 816.

manos *aliquot* Imperatoris *militibus* peremptis eum in palatio obsedisse cum B. Mazelinum tantum praeclarum juvenem, imperatori familiarem occisum referat. Quod vero addidit „Imperatori ab uxore Crescentii, quae eum spe regnandi ad amorem suum pellexisset dolente pro ejus decessu venenum missum, quo eum cônsumtum inter remeandum mortuum esse" — certo fontis dicto non nititur, verisimile vero fabulam quae inde in omnes fere posteriorum libros manavit e Glabri Rodulfi narratione I. 4.

Interea minus idoneo usus consilio praedicti Crescentii Joannis in suam uxorem assumens, *quam etiam paulo post, ut inconsulte acceperat divortium agens* dimisit. Tandem quoque nitens *remeare* ad Saxoniam morte superveniente in Italia obiit"

in qua jam occulta et quasi suppressa est sententia ex amore Imperatoris improvido causam obitus repentini repetendam esse et apertis verbis *Lamberti, biographi S. Heriberti.*[1])

non multo post in Patyrna castro per mulierem veneno perit, quod in gestis ejus si qua sint, plenius inveniet, si quis addiscere velit:"

rumore vulgi fonte qui criticorum subsidia omnia fugiat jam accedente connexam esse.[2])

Nostrum Lamberti Vitam cognovisse, plura sunt argumenta. Nam ad an. 997.[3]) Heribertum ordinatum Coloniensem archiepiscopum multa sanctitate claruisse memorat, ad an. 1002. notitiae Glabri Rodulfi de Ottonis corpore difficillime in Germaniam translato illam de discordiis inter Henricum II. et Heribertum e Lamberto adnexuit;[4]) quod autem ad an.

---

1) l. c. Cap. II. in fine pag. 470.

2) Vetustior his locis esse videtur ille Ademari Cabanensis ap. Labbeum Bibl. msptor. II. pag. 170. Otto vero Imperator haustu veneni in partes Beneventi periit sine filiis: quo vero de insidiis mulieris, totius fabulae cardine nihil traditur. —

3) cf. Vitam Cap. II. l. c. pag. 469. Heribertus Archiepiscopus factus esse videtur an. 999.

4) Locus Sigib. Milites transalpini — parant per Glabr. Rodulf. I. 4. Cernens — pervenientes et Vitam Heriberti Cap. II. Verum dedit ei Deus — reddidit, nisi ad verba, certe ad rem explica-

1021. reconciliationis inter imperatorem et archiepiscopum, fortasse duce Lamberto, mentione facta, Henricum Natale Domini Coloniae celebrasse annotat, id non solum non Lamberti testimonio confirmatur [1]), sed etiam eo refutatur, quod Henricum festo die Natalis Domini 1021. i. e. ex more illius aetatis die 25. Decembris 1020 adhuc castellum Ottonis comitis, Hamerstein oppugnasse, ante diem vero Palmarum anni 1021 (i. e. 26. die Martii) jam Walbecam in Saxonia petentem nuncium de obitu Heriberti, qui die decimo sexto Martii accidit, accepisse constat [2]). Tum non longe post diem Natalem Domini cum Heriberto collocutus illam „se invicem ulterius non visuros" prophetiam audiisse videtur.

Hac quaestionis via ad novum quendam, ex quo Sigibertus diem de quo diximus, cognoscere et desumere potuerit, fontem delegamur, qui cum ad Henrici II vitam pertineat, quam, licet ipsius operis nihil praeter fragmentum annos 1002 — 1004 complectens et ex Thietmari Chronico excerptum exstet, tamen ab *Adelboldo Episcopo Ultrajectensi* ad mortem ejus perductam esse non solum Sigibertus testari [3]) sed etiam Alpertus Adelboldi aequalis confirmare [4]) videtur, eo dignior censendus est, in cujus interiorem conditionem accuratius inquiramus. Ita spes est fore, ut quod in Chronico Quedlinburgensi [5]) per Chronographum Saxonem, in Richero per Ekkehardum Uraugiensem praestitum

---

tur; Vita Heriberti Cap. II. Imperialia — valuit. Cap. IV. Dicendum — tentaverit.

1) Ceterum narratio tota et reconciliationis et prophetiae legitur in Lamberti Vita S. Heriberti. Cap. IV. l. c. pag. 472—73.

2) Chron. Quedlinburgense ad an. 1020. 1021.

3) Sigib. Chron. ad an. 1024. *Hujus* (scil. Henrici) vitam Adelboldus episcopus Ultrajectensis scripsit. Liber de script. eccles. Cap. 138. *Adelboldus* ex clerico Lobiensi Episcopus Ultrajectensis *scripsit vitam secundi Henrici Imperatoris.*

4) cf. Alperti Liber de divers. temp. I. 5. vide infra.

5) cf. Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde. VI. pag. 689.

est idem nobis per Sigibertum praestetur, ut is vitae Henrici ab Adelboldo conscriptae, si modo integra unquam exstiterit, certiora fragmenta nobis suppeditet. Ad ea detegenda nulla via est, quam ut omnium notitiarum ad annos 1002 — 1024 pertinentium fontibus accurate examinatis ea, quae apud Sigibertum restant, qualia sint diligenter perquiramus.

Martyrium Abbonis ad an. 1003. e Glabro Rodulfo desumsit [1]), quae ad an. 1005. de comete, ad an. 1006. de fame ita invalescente, „ut sepelientium taedio vivi adhuc spiritum trahentes obruerentur cum mortuis" [2]) ad an. 1009. de Frisia a Normannis infestata atque Tiela oppido incenso, ad an. 1010. de repetito Normannorum incursu, atque Ultrajecto incenso [3]), ad an. 1012. de Godefrido duce cum exercitu in fines Bratuspantium misso, dicit, plane ex Alperto [4]) descripta sunt, nisi quod ad an. 1012. additur „exercitum ad obsidendum castrum Lovanium missum inefficacem rediisse", ad an. 1020. egregia ejusdem Alperti narratione (II. 14.) usus, paucis et valde distinctis verbis docet, quomodo factum sit, ut Henricus Burgundiorum rex consilium sese cum regno suo Imperatori subjiciendi, modo ceperit modo revocaverit. An. 1006. ab Henrico castrum Valentianas, quod Balduinus, Flandrensium Comes invaserat, obsessum esse e Balderico didicit [5]), eodem auctore, res ab Henrico cum Balduino an. 1007. [6]) gestas, miraculum

1) cf. Glab. III. 3.

2) utrumque ex Alperto. I. 6. l. c. pag. 96.

3) I. 8. l. c. pag. 96—98.

4) II. 10.

5) cf. Baldericum. I. 33. in init. pag. 36. I. 114. in init. Interea — audierit. pag. 186. 114. in fine. Ipse vero Balduinus — remeavit. pag. 189.

6) Sig. 1007. Henricus — auxilio esset e Bald. I. 115; postea ei etiam Vvalachras — addidit. e. III. 2. l. c. pag. 245. Valacris igitur post an. 1012. (in quo tertius liber Balderici exorditur) Balduinus donatus videtur, errantque qui Thietmari dicta secuti, (lib. VI. pag. 154.) eam donationem in anno 1006 et 1007 ponunt.

anni 1011. [1]) enarrat; ex quo etiam Ottone duce mortuo, Lotharingiae ducatum comiti Godefrido datum esse [2]) ad an. 1005. loco — quum Baldericus id ei intercessione Gerardi Episcopi Cameracensis, itaque post annum 1012 [3]) contigisse aperte confiteatur [4]) — minus accommodato annotat. Quid vero hoc existimandum censes: quod Sigib. jam anno 1004 eundem Gerardum Episcopum Cameracensem nominet, quod expeditionem Henrici Italicam, qua usque ad Trojam urbem profectus est, quam Baldericus post mortem Heriberti gestam esse tradit [5]), anno 1013 inserat? Majori certe jure anno 1013 excerptum e Balderico (III. 4.) de bello apud castellum Huwardas adscribere videtur; ad an. 1014. Gerardum comitem a Godefrido duce victum esse inde refert [6]); an. 1015. narrationem pugnae inter Godefridum Ducem et Lambertum (Lovaniensem) gestae ex eodem mutuatus est, quamquam causam belli „Godefridum comitatum Montensem depopulatum" atque in pugna „quadringentos viros occisos" esse addit et pro Herimanno comite, qui vere germanus frater Godefridi Ducis fuit, Hethelonem, vel, si quibusdam descriptoribus fidem habes, Gotelonem, qui et ipsi fratres Godefridi fuere, nominat [7]); cometen anni 1017 e Balderico definivit [8]); ibidem quoque plura de synodo Aquisgranensi atque de conventu Henrici Imperatoris et Roberti regis Francorum apud Evosium leguntur, quae Sigib. ad an. 1022. et 1023. adverba excerp-

1) III. 6. in fine, pag. 254—55.
2) III. 6. in init.
3) Bald. I. 118. cf. Chron. Quedlinburg. ad an. 1012.
4) III. 6. — Calmetium et plures alios, solum Sigibertum secutos, mortem Ottonis in annum 1005 rejecisse, vix moneo.
5) III. 12. pag. 261—262.
6) III. 8. pag. 259. haud dubie anno 1017 assignandum. cf. Thietmari lib. VII. ed. Wagner. pag. 238. pag. 257. Herm. Contr. Cod. vet. nov. et Augiens. ad an. 1017.
7) III. 7. 9. cf. ed. Miraei. ad an. 1005. Bald. III. 2.
8) III. 14.

sit [1]). — Ad an. 1018. pluribus de pugna illa qua Godefrido Duce cum Theoderico comite et Frisonibus congresso, Lotharienses jam victores, simulato quodam clamore fugae exorto perterriti et in fugam versi pene omnes peremti sunt, Dux vero captus est, e Balderico insertis, etiam Alperto, belli hujus causas accuratius explicanti operam dedisse videtur, quum ex eo tantum Godefridum „impetrata Frisonibus impunitate" e captivitate liberum restitutum esse tradere posset [2]); in hoc vero errat, quod eundem mox mortuum esse addit, quum Baldericus eum in conventu apud Evosium adhuc adfuisse et eodem tempore quo Henricum Imp. obiisse perhibeat [3]).

Neque desunt in annalibus Henrici II apud Sigibertum vestigia Gestorum epp. Leodiensium, quae Anselmus edidit; inde enim mutuatus est, 1008 Baldericum Ep. Leodiensem ordinatum esse [4]), 1014 eundem in insula Leodiensi coenobium sancti Jacobi fundasse [5]), an. 1017. eique Golbodonem successisse [6]), an. 1021. Durandum electum esse episcopum, quem cum ap. Anselmum loco inferiori natum esse legisset „quasi fabulam in theatro mundi" haud insulse atque satis apto documento ex quo et de ipsius et de temporis ratione judicium fiat, addidit [7]).

Porro Marianum Scotum, cujus quanta vis in componendo Chronico Sigiberti sit, mox videbimus, notitiae redolent an. 1002. Henricum a Willigiso archiepiscopo Mogun-

1) III. 30. 32.

2) Bald. III. 13. Alpertus II. 20. 21. pag. 118—121.

3) cf. III. 31. 32. cf. text. Mir. ad an. 1023. — Godefridum in pugna adversus Frisones (1018) „ab hoste salvatum esse" et postea Adelboldum cum Thiedrico hoste reconciliasse Thietmarus l. c. pag. 262 et 264. refert. Godefridus comes occubuit cf. Thietm. l. c. et Calendarium Merseburgense ad IV. Cal. Aug. (ap. Höfer etc. Zeitschrift für Archivkunde etc.)

4) Cap. 28. l. c. pag. 867.

5) Cap. 28.

6) Cap. 29. pag. 868. Bald. III. 10. pag. 259.

7) Anselmi Cap. 33. l. c. pag. 871.

tino regem unctum, imperasse an. 22, an. 1009. Brunonem episcopum martyrizatum [1]), Lambertum certe Aschafnaburgensem illae ad an. 1014. Henricum imperatorem benedictum, ad an. 1020. Benedictum papam in Galliam ad imperatorem venisse [2]).

Denique de iis, quae ex catalogo paparum supersunt, cum hic vel corruptus vel Sigiberto non proprie adscribendus sit, non est cur pluribus agam [3]). Notitias anni 1005. et 1008 de Chilperici et Burchardi libris e lectione eorum fluxisse perspicuum est [4]); de rebus Olberti Gemblacensis, an. 1012. adscriptis monuisse satis est, quippe quas haud dubie non ex alio auctore transscripserit; Henricum ecclesiam Babenbergensem omnium bonorum suorum haeredem fecisse, repetunt tot illius aetatis documenta, ut unde Sigibertus hoc cognoverit, vix opus sit quaerere; Glaber certe Rodulfus Henricum pluribus locis hanc ipsam ob causam laudibus effert [5]); gentem Hungarorum Henrici regis aetate ad Christianam fidem conversam esse idem Glaber tradit [6]), etsi Sigibertus eandem rem accuratius tractat; ultimum vero, quod de Henrico affert, scil. eum „consulentibus sibi principibus super substitutione regni Conradum designasse" adeo et aequalium omnium enarrationibus et universae rerum conditioni contrarium est, ut, quamvis plures auctores idem re-

1) e Mariano Scoto ad an. 1002. (1008.) de quibus locis vid. infra.

2) cf. Lamb. Aschafnab. ad an. 1014. 1019. de locis edit. Mariani ad an. 1012. et 1019. vide infra.

3) vide infra ap. Libellum de gestis Abb. Gemblac.

4) cf. de Chilperico Cap. 145. et infra ap. Computum, de Burchardo et Olberto Cap. 141. 142. Lib. de script. eccles. — Vestigia Burchardi supra pag. 39—41. enucleavimus.

5) cf. Prologum libri III.

6) cf. I. 5. III. 6. — Anno 1015 sive Sigibertus ipse, sive, quod rerum naturae magis consentaneum est, continuator quidam inseruit notitiam martyrii Adalberti (cf. p. 95. de loco an. 977. in text. Struv.;) 1016. occurrit notitia de sancto Symeone, de qua vide infra; 1009 et 1023 eclipsis et 1013 terrae motus — nescio unde — annotatur.

ferant [7]), nihil tamen nisi fabulosa quaedam facinoris illius egregii Conradi I, quo Henricum Saxonem adversarium principibus regem commendaret, repetitio esse videatur, cujus originem quis tam demens est, ut ex Adelboldi scriptoris et aequalis et in negotiis publicis versatissimi libro repetendam esse censeat.

His omnibus, etsi aliquot notitiae excerptis ex fontibus ductis additae videntur, non efficitur, ut Sigibertum integram Henrici vitam ob oculos habuisse statuamus. Ceterum in annalibus Sigiberti ab anno 1002—1024 haec leguntur:

1002. (Henricus Dux) conciliatis sibi animis quorundam principum regni (ungitur in Regem).

1003. Henricus Imp. potentiores regni viros bella sibi concitare volentes celeriter devincit et Reges gentilium in interiori Germania commorantes, qui Vinidi dicuntur, tributarios sibi fecit.

1004. Unde — rebellat.

1009. Henricus — convenit.

Jam si quis haec Adelboldo attribuenda esse censeat, eum velim nobiscum ea contempletur, quae Alpertus Adelboldi esse testatur. (I. 5.)

Multa praeclara de hoc viro (scil. Henrico II) nobis scribenda sufficiunt: qualiter facile, gratia Dei donante, ad apicem regni pervenerit, *qualiter illustres viros et summos potentiae bella adversum se concertantes celeri victoria in deditionem venire coegerit*, *qualiter reges in interioribus Germaniae partibus, qui sunt Winidi vocati, suae ditioni tributarios effecerit* et Mettim diu contra se male cogitantem et compluribus annis obsessam pene ad internecionem vastaverit, et tandem multis incommodis illatis, sibi subegerit.

Sed quia Domnus Adelboldus Trajectensis Episcopus haec omnia pleniter in uno volumine luculento sermone comprehendit, a nobis pars, quae alioquin nostris scriptis necessario occurrit, praetereunda visa est, ne historia tantis et tam venustis documentis edita a nobis tanquam ab insidiantis latratu obfuscaretur.

Eadem igitur de bellis intestinis et externis, quae Alpertus apud Adelboldum reperiri docet, in Sigiberti librum

---

7) Quorum locos Stenzel Geschichte der fränkischen Kaiser. I. 9. Nota 28. collegit.

translata sunt. Num scriptorem ullum, qui Adelboldi opus integrum cognovisset, Alperto tam vile excerptum eripere voluisse existimes? num Sigibertum, qui haud raro fontium fontes perscrutatus sit, in hac notitia acquievisse credas? Pro explorato potius habendum est, Sigibertum genuini Adelboldi ignarum secundum Alperti auctoritatem illum Henrici II. biographum praedicasse.[1]) —

Superest vero, quod Alpertus Adelboldum de Mettis ab imperatore devictis dixisse testis esse videtur et apud Sigibertum ad an. 1009. de eadem re quaedam leguntur, quae aliorum narrationes optimè supplent. — Nam post mortem Adalberonis episcopi Mettensis,[2]) fratris Theoderici ducis Mosellanorum sive Lotharingiae superioris Theodericum fratrem

1) Re enim saepius perpensitata, dubius haesi, num Adelboldi dictum (ap. Leibn. pag. 431.). „Ottone defuncto *cisalpinos* qui cum eo fuissent cum maxima difficultate cadaver ipsius reportasse" a Sigiberto in verbis: Milites *transalpini* etc. redditum esse, cum similia certe apud alios legeret cf. pag. 96. not. 4. — Quod ad an. 1004. affert. „Adelboldum Ultrajectensem Episcopum magnum in Ecclesia et in palatio haberi" e pluribus Alperti et Balderici locis concludere potuit (cf. Alp. II, 21. Bald. III. 17.).

2) De cujus anno et die mira est pugna inter fontes pari auctoritate dignos. Vita enim Adalberonis (de cujus auctore vide infra) eum XIX. cal. Januariis (ap. Labbeum Bibl. Manuscript. I. pag. 670. 681). anno 1005. Ind. III. anno Henrici VI. (IV. cf. pag. 682.) prima hora sextae feriae mortuum atque secunda feria, quarto a transitu die sepultum esse tradere videtur. Signa haec omnia in annum 1005. quadrant; in epitaphio (ap. Baluze Miscellanea IV. 553.) Adalbero viginti duos annos (a die XVII. Cal. Novbr. 984) sede occupata, die quartodecimo Decembris obiisse traditur. — Nihilominus Synodo Trotmanniensi cujus Acta Nonis Juliis anni 1005. edita sunt (ap. Thietmar. lib. VI. pag. 147.) interfuisse traditur *Thiedericus* Mettensis, cujus cum XXV. annus die II Idus Maji 1030 volveretur (cf. Sigib. Vitam Theoderici Cap. XXII. vid, infr.) inter diem 14 Maji et septimum Julii anni 1005. episcopatum occupasse, et Adalberonem an. 1004. obiisse contra coaetanei et oculati testis dicta statuere opus esse videtur. cf. Meurisse Histoire de Metz pag. 342.

Cunigundis Imperatricis illegitime Thietmarus,[1]) excluso quodam Adalberone (filio scil. Theoderici) sedem episcopalem occupasse, Alpertus[2]) quamvis subobscuris verbis tradunt. Thietmarus captivitatem Theoderici ducis, Mettarum obsidionem, episcopi et fratris ejus Henrici ducis conculcationem, denique pacem Imperatoris clementia restitutam ex ordine temporum digessit.[3]) Num vero narrationem an. 1009. quamvis verissimam et notitiam anni 1004. Deodericum Mettensem ob episcopatum Babenbergensem institutum contra imperatorem rebellasse ex Adelboldo petitas esse credas, cum Sigibertum apud Mettenses plures harum rerum testes oculatos adhuc convenire et percontari potuisse scias. — Quod vero ex eo, quod Alpertus apud Adelboldum de Mettis obsessis legi auctor esse videtur, colligitur, Adelboldi Vitam tum jam integram vel longius, quam quae nobis relicta est, continuatam extitisse, ego ne hoc quidem sufficiens argumentum esse statuo, cum Alpertus consilio Adelboldi cognito vel primordiis Vitae jam inspectis eam continuatum iri conjicere, et quia quae Henricus in Mettenses egerit, ipse Theoderico subditus ejusque episcopatum arrogatum indignans silentio transmittere cogebatur satius consultiusque putare posset, lectores ad Adelboldum relegare.

Denique Vitam integram ab Adelboldo emissam esse etiam hoc refutatur, quod apud Annalistam Saxonem quem intra annos 1002—1004. Adelboldum exscripsisse satis

1) VI. pag. 158. „prioris non immemor (Henricus) in germano ejusdem Thiedrico non praemeditatae constitutionis."

2) Nam e prophetia de nominibus Episcoporum Mett. (de qua cf. Sigiberti Vitam Theoderici Cap. IV.). Adalberoni item „Adalberonem" succedere debuisse ait; hanc litteram illius, qui tum substitutus sit, nomini minime congruere, illum igitur „transgressione populi suppositum neque computatum in numero Pontificum a pluribus" innuit.

3) cf. Thietmar. lib. VI. pag. 169. 170. (Chron. Quedlinburg. et Herm. Contr. Cod. vet. et Aug. ad an. 1011) pag. 175. 178. 181. 189. VII. 205—206. pag. 234.

Die Cartons sind an den

constat,[1]) ad anno 1004—1024 Adelboldi vel obruti cujusdam fontis vestigia continua non extant. —

Attamen his demonstratis iterum viam nostram ingrediamur. Sigibertum Odilonis Vitam a Petro Damiani conscriptam cognovisse jam supra docuimus, neque difficile est, ejus vestigia in notitiis anni 993 de normis vitae Odilonis atque munere per quinquaginta sex annos egregie gesto,[2]) et anni 998 de fabulosa religiosi cujusdam narratione, qua audita Odilo ad instituendum festum Omnium Animarum diem commotus esse dicitur[3]) deprehendere, atque quamvis Petrus ipse Jotsaldum primum Odilonis biographum ducem habeat singulis locis accurate collatis ea nihil aberrantes persequi.[4]) —

---

1) cf. Stenzel. II. 110. cf. imprimis ap. an. 1002. ap. Eccard. I. pag. 379. Haereditarium — Imperatricis. pag. 382—83. Sed dux Herimannus — plurimi; ad an. 1003 pag. 393. Inde ad silvam — exhibuit.

2) cf. Vitam l. c. Tom. II. pag. 195. In promulgandis — damnari. Jotsaldus II. 14. ap. Mabill. Acta VI. I. pag. 690. Odilonem nocte Circumcisionis anni 1049. (cf. Sig. ad an. 1048) 56 anno ordinationis suae obiisse ait, quod repetit Petrus l. c. pag. 201. de chronotaxi cf. Mabill. l. c. pag. 636—637.

3) cf. Cap. XVII. pag. 197—198. Lappenberg: Archiv. VI. pag. 814—815. acute notavit, verba Sigiberti loca illa (in vicinia insulae cujusdam saxosae ad quam mare „quod a Sicilia versus Thessalonicam protenditur" transgressi procellarum vi appellere coacti sunt, non Siciliae ipsius, quam Sigibertus Petrum falso interpretatus, tanquam reclusi illius habitaculum attulit) eructantia flammarum incendia „*ab incolis vocari Olla Vulcani*" in fonte non legi. Quod vero vocabulum, cum pro igne purgatorio medio aevo saepius adhiberetur (cf. exemplum ex Adone a Lappenbergio allatum), a Sigiberto intrusum esse, eo minus mirum est, quo certius e Greg. Magni Dialogo IV. 30. cognovit (Hist misc. XV. 20.) Theodericum regem Ostrogotharum a solitario quodam apud *Liparam* insulam inter Joannem (II.) Papam et Symmachum patricium discinctum et discalceatum deduci et in ollam Vulcani vicinam demergi visum esse. cf. Chron. ad an. 523.

4) cf. locos Jotsaldi I. 8. pag. 684. Erat — damnari cum loc. pag. 105. not. 1. Jotsaldi II. 13. cum loc. not. 2. citatis. — Ideo locum an. 1025. Sig. (de quo vid. infr. ap. libell. de gestis Abb. Gembl.) etsi

gen Orten einzuschalten.

Post memoratum Henrici II. obitum Sigibertus annales Conradi Salici et Henrici tertii plerumque e fontibus jam a me indicatis replevit. Hi vero cum breves rerum ab aliis longius expositarum notitiae sint, ubi ubi a vero aberrant, facili negotio ex illis corrigi queunt. Hoc nobis certe probabile videtur, neque Wipponem [1]) neque Hermannum Contractum [2]) a Sigiberto in iis conscribendis adhibitum esse. Nam ut de illis, quae si Wipponem et Hermannum evolvisset haud dubie non intacta reliquisset taceam, in his certe, quae edidit ab utroque non raro plane differt. Sic Sig. Henricum puerum filium Conradi an. 1027 antequam patrem in Italiam profectum atque Imperatorem consecratum esse traderet, Aquisgrani regem electum esse perhibet, quamquam Wippo

---

dictum Jotsaldi II. 14. „Odilonis et fratrum interventu" Sigiberto propior videri possit, e Petro excerptum esse existimo. —

1) Sunt quidem in utroque eadem eodem anno enarrata. cf. Wipponem ap. Pistor. Scr. III. pag. 464—465. cum Sig. 1024. de electione Conradi; Sig. ad an. 1036. et 1037. de rebus Odonis Campaniensis ad Wipponem l. c. ad an. 1032. 1033. 1034. pag. 477 478. 1036. pag. 481. non propius quam ad Glabr. Rod. III. 9. accedit. cf. Sig. ad an. 1036. de Henrici matrimonio cum Wipp. ad an. 1036. pag. 480. quae tamen ad hoc demonstrandum non sufficere putavi.

2) Collatis et Codice veteri sive Epitome, et Codice Augiensi Hermanni quem Ussermann edidit, et Codice novo, cujus textum Bernoldus instauravit, inter locos ad aetatem Hermanni spectantes, quippe cum in anterioribus eorundem vel similium fontium usus quandam utriusque similitudinem efficiat, proxime accedere existimo. Cod. vet. nov. Aug. 1044. Gozzilo dux — pio regi praesumit. cum Sig. ad an. 1044. Gothelo — rebellat; Cod. vet. et Aug. ad an. 1046. Fridericus — constituitur ad an. 1047. in fine Cod. Aug. et nov. cujus ducatum — tradit. 1048. Cod. vet. et Aug. Eodem etiam tempore Godefridus — constituitur cum Sig. ad an. 1048. Albertus — obtinet ad an. 1052. Cod. vet. Mur. Inde ipse cum Turegi — cum eo mansit cum Sig. 1052. Rex Hungarorum — id frustra fuit; tamen et in his singula differunt, et Sigibertus, quamvis brevior, propriis tamen notitiis locuples.

id anno 1028, Conrado ex Italia reverso evenisse tradit [1]). Sic ab Hermanno discedens, regem Boemannorum, adversus quem Henricus III bella gessit, Odelricum (qui vere jam anno 1037 mortuus est) perperam nominat, post res priori anno male gestas [2]), leviter attactas an. 1041. Henricum *auxilium Dei per orationes sanctorum virorum sibi procurasse*, Hermanno id minime innuente [3]), memorat. In expeditionibus Hungaricis Henrici enarrandis multo ceteroquin Hermanno parcior [4]), addit tamen „Henricum lanceam insignem regis (Abbonis sive Ovonis) recepisse" quod apud illum quidem omissum, Bonizonis Sutriensis testimonio [5]) confirmatur. — Quin etiam si quod Sigibertus de bellis intestinis per Godefridum (Barbatum) Lotharioorum ducem concitatis refert, Hermannum Contractum, qui quidem haec eodem fere modo atque ordine enarrat [6]), redolere existimes, scire velim, ubi apud eundem, Godefridum anno 1045 „hortatu quorundam Dei fidelium ad recu-

1) cf. Wipponem ap. Pistor. III. pag. 475.

2) cf. Sig. ad an. 1040. Heinricus — inefficax redit. Herm. Contr. Cod. vet. et nov. 1040. Heinricus — nihil dignum efficere potuit. ap. Urstis. I. pag. 323. Cod. Aug. 1040. Heinricus rex — discessit. ap. Ussermann l. c. pag. 209—210.

3) de qua expeditione cf. Herm. Contr. Cod. vet. et nov. 1041. Henricus rex Boemiam — coartat. Cod. Aug. 1041. Henricus Rex reddito — mox factis implevit. Lambertum Aschafnab. ad an. 1041.

4) de quibus cf. omnes Hermanni codd. ad an. 1041. 1042. 1043. 1044. Lambertum Aschafnab. ad eodem annos. Sig. 1042. 1043.

5) libro de persecutione ecclesiae ad amicum apud Oefele Scr. rer. Boic. II. 801.

6) cf. loc. ad an. 1044. et 1048. pag. 106. Nota 2. citatos. — De eo vitio Sigiberti ad an. 1044, quo pro ducatu *Ripuariorum* sive Lotharingiae inferioris posuit *Mosellanorum*. cf. Stenzel: Geschichte der fränkischen Kaiser. I. pag. 144—150. II. pag. 113—122.

perandam imperatoris gratiam adductum" [1]), tum cum ab imperatore captus esset, „filio suo obside dato, relaxatum [2]) eo vero in obsidatu defuncto, iterum ad rebellandum grassatum" esse legas, ubi quamquam et Hermannus Leonem IX Papam in Gallia et Germania commorantem Godefrido et Balduino, Flandriae Comiti (qui et ipse anno 1046 et 1047 cum Godefrido rebellaverat [3]), cum imperatore reconciliandis operam dedisse tradit [4]), Balduinum tandem „*Aquis condicto die*" imperatori satisfecisse" [5]), ubi „Balduinum an. 1051. invaso Haginoensium comitatu, iterum rebellasse" eundem an. 1053. „Lotharingiae terminos incursantem, Hoium oppidum incendisse" invenias? [6]) Cum vero a duce Godefrido et comite Balduino nec temporum nec locorum nimio spatio diremtus viveret Sigibertus, cum et cognovisse haec et plenius enarrasse non admodum mireris.

Majori jure quispiam in hoc offendat idque omni operis rationi male congruere existimet, quod Sigibertus in

---

1) Nam apud Herm. Contr. Cod. vet. et Aug. ad an. 1045 tantum: Gotefridus dux rebellioni suae desperans, regique ad deditionem veniens in custodiam mittitur. cf. Lamb. ad an. 1046.

2) Apud Herm. Contr. Cod. vet. et Aug. ad an. 1046 Sanctum autem Pentecosten Aquisgrani faciens (scil. imperator) Gotefrido duci e custodia relaxato, sibique procedenti terratenus prostrato ducatum suum misertus reddidit.

3) cf. Sig. ad an. 1046. Instinctu Godefridi — rebellat. Herm. Contr. Cod. vet. et Aug. 1047. Per idem tempus — esse nuntiatur.

4) cf. Herm. Contr. Cod. vet. et Aug. ad an. 1049. Secuta aestate, cum Imperator — pactum cum Imperatore fecit. cf. Lamb. Aschafnab. ad an. 1050. et dux Godefridus — exspectavit.

5) Sig. ad an. 1050.

6) Cum loco Sig. ad an. 1053 de nuptiis Godefridi ducis Lothariorum cum vidua Bonifacii marchionis (scil. Tusciae, Beatrice) atque iterata rebellione, cf. Herm. Contr. Cod. vet. ad an. 1054. Godefridus — accepit. Cod. Aug. eod. (ap. Ussermann pag. 235.) Gotefridus — copulavit. Lamb. Aschafnab. ad an. 1054. ap. Pistor. ed. Struv. I. pag. 320.

vita Leonis IX exponenda longior, Graecae Latinaeque ecclesiae discordias, frustra ab illo animorum reconciliatione tentata, denuo recrudescentes nimis copiose persequitur, quamquam idoneis eum fontibus usum esse nemo negabit. Excerpsit enim *e vita pontificis, a Wiberto Archidiacono duobus libris conscripta* [1]), res ad an. 1048. annotatas [2]), inde eum ad an. 1052. laudat, quod Gerardum Leucorum quintum ante ipsum episcopum in sanctorum numero habendum decreverit [3]). Tum ad res Byzantinorum transiens non in eo se continuit, ut quae a Wiberto *e libro Humberti cardinalis (qui* Michaelis patriarchae et Leonis Acridani Bulgarorum archiepiscopi et Nicetae Pectorati libellis, ecclesiam Romanam calumniantibus, in latinam linguam versis et refutatis, a Leone Papa cum Petro Amalfitano et Frederico *Byzantium delegatus res illic gestas breviter enarravit)* [4]) excerpta invenerat, repeteret tantum, sed *ad ipsam Humberti narrationem* se convertens, ex utroque fonte, quinam et quot disceptationum libri fuerint [5]), ut epistolae commonitoriae Leonis Papae et ad Constantinum Imperatorem et ad episcopos plurimos missae sint [6]), quibus haeresibus adversarii illius dissociati fuerint [7]), porro

1) ed. ap. Muratori Script. rer. Italic. III. 1.

2) cf. Sigib. Hic cum ad — et non afflictionis. Wib. II. 2. l. c. pag. 292; Hic cum in papatu — obstupuit. II. 13. pag. 298.

3) cf. Wib. I. 4. Nam videbat — invitatae. II. 6. pag. 295. Inde repetito — miraculis.

4) Exstat „*Brevis et succincta commemoratio eorum, quae gesserunt Apocrisiarii sanctae Romanae et Apostolicae Sedis in regia urbe, et qualiter anathematizarunt Michaelem cum sequacibus suis*" (fons Sigiberti) ap. Baronium Annal. eccles. edit. Rom. XI. pag. 206 — 208.

5) cf. Sigib. Chron. ad an. 1054. Liber de script. eccles. Cap. 147. 148. 149. 150. cf. Wip. II. 9.

6) cf. easdem ap. Baronium l. c. XI. p.197 -200. cf. Wip. et Humb. l. c.

7) cf. Sig. ad an. 1054. qui ut simoniaci — praeponebant: eademque repetita Cap. 149. libri de script. eccl. e charta excommunicationis, quam legati super altare sanctae Sophiae Constantinopolitanae posuerunt. in brevi commemorat. Humberti. l. c. pag. 207.

legatos, imperatore Constantino eorum rebus propitio, Nicetam quidem ab errore revocasse, populi autem animis a Michaele patriarcha, solemni ritu excommunicato, ad seditionem incitatis, vitae periculo vix ereptos mox reversos esse, denique imperatorem, ut animum suum pacis cupidum probaret, Michaelem cum complicibus ejus e conspectu suo removisse [1]), actaque legatorum per Paulum quendam in Graecam linguam translata [2]) Byzantii diligenter servanda curavisse — ut ipse accuratissime cognoverat, ita evulgavit planissime.

Deinde ad res imperatorum et pontificum reversus, incidit in aetatem discordiarum illarum, quibus Germanorum populi, Henrico IV regnante, se ipsos lacerabant. — Quae qua violentia, quibus injuriis, quibus utriusque partis fallaciis eo provenerint, ut praeda omnis Romano Pontifici jam saevum totius orbis imperium molienti contigerit, id omnium quos hoc saeculum tulit scriptorum longe et ingenio et dicendi copia praestantissimus et omnibus a posteritate laudibus ac honoribus cumulatissimus — *Lambertus Aschafnaburgensis* memoriae sempiternae tradidit.

Sigibertum hunc legisse atque testem adhibuisse, equidem etiamsi in libro de script eccl. nulla ejus mentio inveniatur atque in textu Miraei tantum „Lamberti Chronicon anno 1077 desinere" annotetur, neque in brevissimis notitiis, in quas ibi Sig. annales excurrunt, ulla accuratioris usus vestigia deprehendantur, non video, quid nos negare cogat. [3])

Nam unde noster, in rebus orientalis Germaniae finitimarumque illi regionum nusquam fere versatus ad an. 1073

---

1) cf. Humbertum. l. c. pag. 207—208. Wib. II. 9. pag. 296. dextera B. seq.

2) De translatore, Paulo ejusque filio Smaragdo vide Cap. 151. libri de sc. eccl. ex Humberto l. c. pag. 208. in fine. Wib. II. 9. in fine.

3) V. D. Waitz in: Göttinger Gel. Anz. 1837. Nro. 208. pag. 2073. Sigibertum Lamberto usum esse negat..

compertum habuisse existimandus est „duorum fratrum Russorum regum de regno contendentium, alterum a consortio regni pulsum, Henricum Imperatorem interpellasse” nisi e Lamberto, qui eadem latius ad an. 1074. enarrat [1]), eodem quo Sigibertus dicto usus, intestinis discordiis impeditum esse, quominus Henrici auctoritas in rebus Russorum componendis valeret; qui fieri potuit, ut ad an. 1071 inter medias imperii res de sancta Thebaeorum legione, Treveris sepulta quaedam proferret, nisi Lambertum ad an. 1072. praeeuntem secutus esset [2]). — Inde quoque, apud Anselmum Leodiensem quibusdam de ecclesia sanctae Mariae Virdunensi per Godefridum Lothariorum ducem incensa lectis [3]), eundem „Neomagense palatium incensum, irreparabiliter destruxisse, urbemque Virdunum devastasse” didicit; Balderici Cameracensis narrationi, Henricum de Balduino Flandrensi victoriam retulisse, ad an. 1054. excerptae [4]), praemittit notitiam Lamberti [5]), Henricum puerum Aquis coronatum esse, denique Victorem papam gloriose susceptum ab Henrico obitui ejus interfuisse an. 1056. ex eodem recepit [6]). — Quo-

1) ad an. 1074. l. c. pag. 380. Paucis post diebus — donec legati reverterentur. ad an. 1075. pag. 390. Nec multo post Burchardus — nullo modo vacabat.

2) ad an. 1072. l. c. pag. 352. Sigibertus situm corporum singulorum, et notitiam S. Felicis reliquias e Frisia allatas esse e quadam accuratiori notitia rerum Trevirensium hausisse videtur. cf. Gesta Trevirorum ex edit. Leibnitzii (in Access. hist.) Cap. LVII.

3) Ans. Cap. 50. l. c. col. 890. Lamb. ad an. 1046. Inter alias, quas Reipublicae intulit clades, *Neomagum domum regiam miri et incomparabilis operis incendit, civitatem Verdonensem cepit, majorem in ea ecclesiam concremavit.* Sigib. ad an. 1047.

4) e Chron. Bald. III. 60. 61. 62. 63. 64. pag. 334—339.

5) ad an. 1054. pag. 321. Sig. Henricum puerum perhibet quinquennem, quamvis Lambertus eum ad an. 1051. natum annotet.

6) Lamb. ad an. 1056. pag. 321—22.

modo Henricus rex puer Agnetis matris tutelae ereptus sit et illa ipsa ut obstrueret ora calumniantium regno renunciarit secundum Lambertum, etsi non eisdem verbis usus, enarrasse videtur [1]). Cometen anni 1066 — et apud alios notatum [2]) — tempore paschali apparuisse ex eo didicit [3]); paullo negligentius — sive haec est veteris, sive Miraei textus lectio — gelu hyemis anni 1076 et 1077 ex eodem memoravit [4]).

Inter utriusque narrationem aliquam similitudinem intercedere ex hoc potest judicari, quod Lambertus ad an. 1066 [5]), Sigibertus 1067 Conradi martyrium enarrat, qui cum ab Imperatore Henrico suadente potissimum Annone Archiep. Coloniensi ad suscipiendum archiepiscopatum Treverensem missus esset, a parte quadam, liberum electionis jus defendente,

---

1) cf. Sig. ad an. 1062. Lamb. ad eundem annum. pag. 326—27. Quas calumnias in Agnetem regis matrem protulerint silentio premit Sigibertus; e Lamberto vero discimus, eam cum Sigifrido Ep. Augustensi consuetudine illicita uti accusatam esse populi rumore. In eo tamen errat Sig., quod Agnetem statim Romam abiisse dicit; nam e Benzone (cf. Stenzel pag. 230.) constat, eam adhuc 1063 in Germania versatam, Honorio Antipapae auxilium imperii postulanti responsum dedisse; postea verisimile an. 1067. (cum ap. Lamb. an. 1072. jam sex annis ibi commorata esse dicatur) in Italiam profecta, primum in monasterio Fruteria religioni tantum intenta vivebat (cf. Otton. Frising. Chron. VI. 34. ap. Urstis. pag. 136.) deinde Romam se contulit.

2) cf. Marianum Scotum ad an. 1066. (Flor. Wigorn. ad an. 1066.)

3) ad an. 1066. pag. 337.

4) Legitur enim ap. Lambertum ad an. 1076. p. 417. Vis atque inclementia hyemis hoc anno adeo jugis solito asperior inhorruerat, ut a festivitate sancti Martini Rhenus fluvius, glaciali frigore constrictus pene usque ad calendas Aprilis pedestri itinere transmeabilis maneret. — In textu Miraei gelu a calendis Novbr. usque ad aequinoctium vernale, in vulgari usque ad medium Aprilem perdurasse dicitur.

5) l. c. pag. 336—37.

duce Theoderico comite, adolescente natura feroci, tunc majore domus ecclesiae Treverensis occisus est. Verumtamen Sigibertus cum Conradum, quem Lambertus praepositum Coloniensem perhibuit „primicerium" vocat, caedis modum distinctius enarrat, „corpusque ejus foliis sylvae obtectum" a rustico inventum et ad villam quandam delatum, deinde a Theoderico Virdunensi Episcopo in monasterium Tholeiense translatum esse refert, accuratiori harum rerum cognitione se instructum fuisse probat — quam quidem iis, quae in *Vita Conradi* illius a *Theoderico quodam monacho Tholeiensi* conscripta atque Theoderico Ep. Vird. dedicata [1]) enarrantur, comprobari constat, quamvis Sigibertum eadem Vita usum esse non pro certo affirmare audeam [2]).

His Sigiberti fontibus omnibus percensitis, ultimo loco accedimus ad Marianum Scotum, non quod eodem tantum

1) Edita est Theoderici monachi Tholeiensis coaevi Vita Conradi in Actis Sanct. M. Jun. Tom. I. pag. 127 sq. (excerpta ap. Hontheim Prodr. hist. Trev. I. pag. 671—73) cf. Cap. I. p. 128. Nro. 1. 9. 11. II. (Corpus exanime vepribus et frutetis operuerunt, suoque Domino tale nuntiare gaudium abiere). III. (inde in proximae villae, hoc est Lonseti convicanei pietate moti, tandem clam elevavere et apud eandem villam VI Idus Julii, ante foras ecclesiae honore quo potuerunt sepelierunt). 18. 21. pag. 133. — Neque Gesta Trevirorum Cap. 58. (ap. Mueller et Wyttenb. pag. 156.) neque Bertholdus Constantiensis ad an. 1066. (ap. Usserm. II. p. 9.) tam late martyrium et sepulturam enarrant, ut fontes Sigiberti haberi possint.

2) Nam Sigib. ad an. 1068: Deodericus Comes Trevirorum de martyrizato Cunone apud Deum et homines reus, exsiliatur ab Imperatore, et suscepta peregrinatione Hierosolymam eundi, *quid de eo*, et de omnibus, qui in comitatu ejus pergebant, *actum sit, adhuc nescitur*: quamquam Theodericus, Vitae auctor Cap. III. de eodem Comite: (Nro. 21. l. c. pag. 133.) Non post multum temporis, nescio quo spiritu tendens Hierosolymas, naufragium passus motus incurrit maris, et ad ima descendens profundi, irrevocabili

in ultimis Chronici sui pagellis usus sit, sed quod illi auctori Chronici universalis aetate proximo summam auctoritatem tribuit eumque quasi signiferum ubique adhibuit atque in ejus Chronico perlustrando, ut initium ita finem omnis sui laboris posuit. — Nam cum Jordanis liber de successione Regnorum jam in primordiis saeculi sexti claudatur, quae vero alii [1]) de vetustioribus rebus afferebant, breviora ei videri possint, in ingenti fontium multitudine nullum se ei commendabat opus, quo res omnium a tertio usque ad undecimum saeculorum gravissimae annis aerae Christianae adscriptae breviter enarrarentur, praeter illud Mariani scriptum. Ex quo, ut rationem annos Christi ducendi universam [2]) cognovit, ita et singulis rebus quas haud raro pleniores alicunde desumpsit, certos annos adscripsit; brevibus ejusdem notitiis haud dubie saepe impulsus est, ut eadem, quae ibi tradebantur, e fontibus vel aequalibus vel melius instructis quaesita Chronico suo insereret [3]), neque abstinuit, quin, medias inter res ex testibus coaetaneis enarratas, dicta quaedam Mariani, comitis assidui, etsi brevissima, tamen utilia neque alio

---

fato, Deo judice, solvit poenam sui sceleris. — Mariani Scoti ad an. 1064. locus, Theodericum Hierosolymam pergentem vitam finiisse, et consentaneos ejus mala morte periisse haud dubie textui illius obtrusum, cum et ap. Florentium — Wigorniensem non inveniatur. cf. Annal. Hildesh. ad an. 1059. et infra.

1) scil. Regino, Lambertus Aschafnaburgensis, quamvis et his Sigibertus hic illic eodem modo usus sit, quae in singulis demonstrare longum est.

2) de qua cf. infra ap. libellum de computo.

3) cf. ad an. 607. Sig. Hic in concilio — sacerdotis cum Mariano Scoto ad an. 608. Anastasii Vit. Pontif. ap. Murat. III. 1. p. 135. laev. B. cf. ad an. 765. (ap. Mir. 764.) Chrodegangus — tradiderat cum Mariano (Ann. Fuld. et Lamb. Aschafn.) ad an. 765. Pauli Diac. Gest. epp. Met. ap. Pertz II. p. 268. 792. Pipinus — perimuntur cum Mariano Scot. (Ann. Fuld. 792. Lamb. 793.) ad an. 793. Einardi Vita Caroli M. Cap. 20.

loco ab ipso lecta, interjiceret [1]). Itaque non unius tantum aetatis sive populi res ex eo excerpsisse, sed multiplicem fructum sibi paravisse multa docent exempla [2]). Obest tamen, quominus, quae ejus vis et auctoritas in Sigiberti Chronico struendo fuerit, in unoquoque loco explicemus, editionum Chronici Mariani natura, in quibus, cum omnes ex editione principe Heroldi [3]) e Codice Francofurtano saec. XIV. desumpta [4]) repetitae sint, non solum plurima ab editore pessime lecta vel ex arbitrio mutilata sed etiam plura haud dubie per Dodechinum, continuatorem Mariani (ab anno 1084—1200) illi codici adnexum ex Ekkehardo et Annalibus Hildeshemensibus aliisque intrusa, multa contra quae Mariano genuino propria erant, omissa reperiuntur [5]). — Quare cum veram textus lectionumque rationem ex ipsis codicibus cognoscere non liceret, a locis, qui cum Ekkehardo et Ann. Hildesh. consentiunt [6]), vel alio modo alienae originis se praebent, afferendis ubique abstinuimus, ceterum cum Florentium Wigorniensem, ineunte saeculo duodecimo Chronicon rerum Anglicarum, Mariani Chronico universali superstructum, edidisse [7]) idque cum vetustissimis codicibus, Cot-

---

1) cf. ad annum Sig. 570. (ap. Mir. 569.) Armenii fidem Christi suscipiunt. cum Mariano Scoto ad an. 572. (ap. Pistor. ed. Struv. I. pag. 619.). ad an. 639. de Judaeis in Hispania per Sisebodum ad Christianam fidem conversis cum Mar. Scot. ad an. 637.

2) cf. supra. pag. 51. 74.

3) Basil. 1559. fol. inde in omnibus Pistorii scriptorum editionibus.

4) de quo cf. Gerken Reisen. IV. p. 181. 378—380. cf. Archiv. II. p. 207.

5) cf. Gerken l. c. Stenzel. Archiv. IV. p. 105—120. V. p. 768. sq. Geschichte der fränkischen Kaiser. II. 112.

6) Sic ab iis quae ad an. 1041. 1042. 1043. 1044. de expeditionibus Henrici III adversus Bohemos et Hungaros susceptis tradita sunt.

7) Editum cum Matthaei Vestmonasteriensis Floribus historiarum. (Francofurti. 1601. fol. typis Wechelianis) cf. de eo Lappenberg: Geschichte von England. I. p. LVIII—LIX. II. 210. 294. 385.

toniano [1]) et *Gemblacensi* [2]) in plurimis ad verbum consentire constet, eodem pro codicis auctoritate usi, quae apud Florentium quoque invenirentur, ea Mariano propria esse statuimus [3]). Ex illo autem, — ut nonnullos proferamus — hos locos in Sigib. translatos esse certum est: anni 970 de Nicephoro occiso [4]), ad an. 1031. et 1050. de Bardone archiepiscopo Moguntinensi electo eodemque defuncto [5]), an. 1058. de Paderbornensi monasterio incenso, quo Paternum monachum quendam Scotum diu reclusum periisse dolet Marianus [6]), an. 1065. de itinere Hierosolymitano infelicissimo [7]), an. 1080. de Moguntia maximam partem incendio consumta [8]). Ipsis verbis an. 1068. notitiam de miseriis Anglorum e Mariani Chronico ad an. 1070. descripsit [9]); ubi

---

1) de quo cf. Stenzel Archiv. IV. l. c. inprimis p. 109. 110. 119.

2) cf. Miraeum ad Sigib. an. 853. e codice ipso, et C. R. Hausen De antiquissimo codice Chronici Mariani Scotti Gemblacensi, exemploque illius Schottiano ad edendum parato. Dessaviae. 1782. 4. ubi p. XI — XIV. lectiones quaedam e Schottiano apparatu (cf. Stenzel. l. c. inprim. pag. 106. 114.) editae sunt, quae paucissimis exceptis, ad syllabam cum Florentio consentiunt.

3) cf. papas Agapetum et Basilium (supra pag. 51. Nota 1.) ap. Flor. Wig. ad an. 885. 889. locos p. 74. Nota 1. citatos apud Flor. Wig. ad an. 913. 915. 917. 931. 937. 938. 939. 943. 954. locum anni 1002. pag. 101. Nota 1. ap. Flor. 1002. locos pag. 114. Nota 3. citat. ap. Flor. Wig. ad an. 608. 766. — adduxit (transtulit.) 793. p. 115. Nota 1. ap. Flor. 573. 637.

Contra loci ad an. 1012. et 1019. (vide supra pag. 101. Nota 2.) cum Ekkehardo Uraug. consentientes, et illi an. 1041. 1042. 1043. 1044. (pag. 115. Nota 6.) non apud Florentium exstant. cf. etiam pag. 113 — 114. Nota 2.

4) cf. Marianum et Flor. ad an. 969.

5) cf. Marianum et Flor. ad an. 1031. et 1051.

6) cf. utrumque ad an. 1056.

7) cf. utrumque ad an. 1064. 1065.

8) cf. Mar. ad an. 1081. Flor. ad an. 1080.

9) Hic locus non eodem modo apud Florentium legitur, cum is res Anglicas multo fusius enarret; eum tamen Mariano ipsi deberi

porro concilium Vormaciense (anni 1076) enarrat, pluribus e Lamberto desumtis hoc e Mariano accuratius addit, viginti quatuor patres ibi convenisse [1]).

Difficilior est quaestio de iis locis, qui, quamvis in editione Mariani desint, et apud Sigibertum et apud Florentium inveniuntur. — Quorum si nonnullos — quos a Sigiberto non ex alio fonte translatos esse verisimile est — inter se conferas. [2])

Florentium. ad an. 824. l. c. pag. 579.	Sigibertum. ad an. 824.
Haistulphus Archiepiscopus Moguntinus obiit. Otgarius successit. Qui cum ad Italiam (ob discordiam filii) ab imperatore cum aliis directus, Papiam venisset, quidam clericus cum reliquiis S. Severi Ravennae urbis episcopi, necnon uxoris ejus Vicentiae, filiaeque ejus Innocentiae, quasi furto abstulerat, ad eundem Otgarium se contulit, et ei quid egisset innotuit. Otgarius autem gaudens, easdem reliquias suscepit, et eas Moguntiacum secum adduxit, atque in monasterio S. Albani, S. Vincentiam ad australem plagam, sanctam vero Innocentiam ad aquilonalem posuit, sanctum vero Severum juxta altare S. Albani, cujus postea reliquias ad Erfesfurt transtulit.	Corpora sanctorum Severi Ravennatium episcopi, et uxoris ejus Vincentiae, et filiae Innocentiae ab Otgario Archiepiscopo Moguntiam translata sunt.

comparatio cum Ekkehardo aliisque probare videtur. cf. etiam Mar. et Sig. ad an. 1066.

1) Sigib. ad an. 1077. Henricus imperator — judicant. Mar. ad an. 1077. l. c. Lamb. ad an. 1076. l. c. pag. 404. Flor. ad an. 1077. In consilio — esset: qui adhuc propius ad Sigib. accedit.

2) cf. praeter hos Flor. ad an 388. l. c. pag. 536. S. Patricius — loquebatur cum eo cum Sig. ad an. 394. Sanctus Patricius — fruitur. Flor. ad an. 372. Sanctus Patricius — civium. Mar. et Flor. ad an. 432. cum Sig. ad an. 432. (cf. Flor. et Mar. ad an. 491. cum Sig. ad an. 492.) Flor. ad an. 457. l. c. p. 543. Post hunc — finivit. cum Sig. ad an. 485. Honoricus — expiravit; Flor. ibid. Cui tertio — revocavit cum Sig. ad an. 487. Gunthamundus — Episcopum. 492. Gunthamundus — revocavit; Flor. ibid. Quo regnante — parceret cum Sig. ad an. 528. Gilemer — parceret.

Florentium.	Sigibertum.
l. c. p. 580. ad an. 829. Corpora sanctorum Valentini et Genesii in Augeam insulam 6 Idus Aprilis venerunt.	ad an. 828. Corpora sanctorum Valentini et Genesii in Augiam monasterium translata sunt.
l. c. pag. 603. ad an. 942. (Marinus Papa 130.) Hujus Papae tempore sanctus Udalricus Romam venit, et ab eodem mortem Episcopi sui audiens, simul etiam se ipsum Episcopum futurum agnovit. — Sed Hiltinus post Adalberonem 15 annis Ecclesiae Augustensi praefuit. Moxque Udalricus in Episcopatum successit.	ad an. 942. Marinus Romanae Ecclesiae 129 (131) praesidet. Ad hunc sanctus Udalricus Romam veniens, ab eo agnovit se futurum Episcopum Augustae Vindelicorum, quod post annos XV factum est.
l. c. pag. 625. ad an. 1047. [1]) Nix in Occidente tanta cecidit, ut sylvas quoque frangeret.	ad an. 1047. Nix tanta in Occidente cecidit, ut silvas frangeret.

non dubium videtur, quin haec ab editore Mariani rejecta, e textu illius genuino a Florentio descripta, a Sigiberto vero ex more suo interdum in breve coarctata sint.

Graviora his sunt, quae Sigibertus ad ultimos fere annos Chronici Mariani (scil. 1077 — 1081) cum Florentio saepius ad verbum consentientia affert, scil. ad an. 1077. (memorato Concilio Vormaciensi, quo Henricus Hildibrandum Papam deponendum decrevit) addunt:

Flor. l. c. pag. 639.	Sigibertus.
Papa autem praedictus regem cum suis sequacibus seu consentaneis in Quadragesima excommunicavit tribus ex causis prima ob infamiam peccatorum suorum. 2. propter unitatem suam cum simoniacis. 3. propter distributionem ecclesiae inter papam et alios. Inde *quasi justa ex causa primates regni, regi quasi excommunicato contradicunt*, eumque de regno projicere tentant.	Hildibrandus e contra Imp. Heinricum Romae excommunicat, *sub hoc obtentu, ut primates regni quasi justa ex caussa excommunicato Regi contradicant.*

1) Etiam locus Sigiberti ad an. 1009 (cf. pag. 101. cum Nota 1.): Bruno episcopus martyrizatur: iisdem verbis legitur ap. Florentium ad an. 1010. l. c. p. 613. (Brunus Episcopus martyrizatus est:) locus vero textus Mariani ad an. 1008. Brunus — petiit: cum Ek-

Deinde uterque ita:

Florentius.	Sigibertus
an. 1078.	an 1077.
Henricus rex et Hildebrandus papa convenientes in mense Martio in *Longobardia*, invicem *pacificantur*, sed *falso* ut postea claruit.	Ipse Papa occurrens Imperatori *in Longobardia*, sub *falsa* eum *pace* absolvit.
Convenientes interim Suevi et Saxones et Welfus Dux Bavariorum et episcopi de Saxonia 7, aliique numero quinque id est Pataviensis, Salzburgensis, Wirziburgensis, Wormatiensis et Moguntinus, Rodulphum regem Suevorum in Forancheim super se regem constituunt, et in Quadragesima Moguntiae in regem ungunt, *Alpesque contra regem Henricum muniunt.*	De electione Rodulfi cf. apud Sigib. ibidem (Omnes — aufugit.)
Quo cognito Henricus rex *Radisponam per Aquilejam* post Pascha *venit*, et contra Rodulphum cum exercitu properavit. Rodulpho vero cedente, Henricus *Sueviam depraedando* invasit.	Imperator *Alpium aditibus contra* se ubique *munitis*, omnes eorum insidias frustratus (statim) *per Aquilejam venit Radisponam*, et Rodulfum adortus, eum fugere compulit, et iterata expeditione *Sueviam depopulatur.*
1079.	1078.
Henricus rex iterum *Sueviam* venit, non cessans *depraedari et castella frangere.*	Henricus Imp. *Sueviam* pervagatus, *castella frangit*, *et omnia depopulando* inimicis suis formidinem, amicis addit fortitudinem.
ad an. 1080. pag. 640.	/ ad an. 1079.
Henricus rex Hildebrandum papam *in Pentecosten Moguntiae decernit deponendum et Wigbertum Ravennae urbis archiepiscopum* in Natali S. Johannis Bap. pro eo fecit papam.	Heinricus Imp. *in pentecoste*, conventu habito *Moguntiae decernit Hildebrandum* a papatu esse *deponendum*, et Langobardiam petens, *Guicbertum Ravennae Archiepiscopum pro Hildebrando Papam designat.*

quibus adnectenda notitia utriusque ad an. 1080.

Florentius.	Sigibertus
Moguntia civitas magnum terrae motum Cal. Decembris sensit.	Moguntia magnum terrae motum persensit, Kalendis Decembris.

Haec omnia certo quodam modo inter se cohaerere perspicuum est [1]); legitur quidem opinio, Florentium jam Sigiberti

---

kehardo Uraugiensi ad an. 1008. (Ed. Argentorat. pag. 164.) ad verbum consentit.

1) Sigibertum ad hos annos plura quae non ap. Flor. inveniuntur de rebus Pontificis et Imperatoris afferre, vix mirum est, cum et ipse

Chronico usum esse [1]), qua facile aliquis induci possit, ut haec e nostro in illum translata esse conjiciat. — Eam vero cum utroque auctore iterum iterumque collato, nullo satis certo argumento inniti, persuasum habeam [2]), potior mihi visa est conjectura haec Mariano deberi, ab editore vero illius cum pluribus omissa esse. Accedit, quod quae textus Mariani solus ad annos 1074—1083 affert, satis iniquo studio com-

---

harum rerum aequalis atque in discordiis illis quam maxime versatus sit. (de notitiis ejus atque de ratione, qua his Mariani dictis usus sit, vide infra in §. 3.) — Nihilominus jam loci allati demonstrant, Florentium in narratione struenda Sigiberto haud raro ampliorem atque exquisitiori rerum cognitione imbutum esse; cf. etiam ap. eundem ad an. 1078. Eodem quoque anno — discesserunt; ad an. 1080. Henricus rex — non tamen intravit. 1082. Multis homicidiis — sunt occisi. 1083. Henricus urbem — rediit.

1) Joh. Baleus in testimonio de eodem (cf. in praefat. ad edit. pag. 461.) ita: Gildam, Bedam, Adonem, Marianum, *Sigibertum* et similes religiose secutus.

2) Nam si qui loci ante annum 1082 vel 1083 quo Marianus († 1086) Chronico suo finem imposuisse videtur [Sigibertus ad an. 1082. eum illud usque ad hunc annum, quinquagesimum sextum aetatis suae, qui tamen erat annus Christi 1084 (cf. Mar. et Flor. ad an. 1028.) perduxisse testatur] cum Sigiberto consentiunt, eos e Mariano fluxisse vel argumento certo vel conjectura probabili constat; post illum vero annum nihil fere cum nostro comparandum occurrit; nam de loco. an. 1084. vide infra. §. 3. loci porro de rebus Germanorum, potissimum ille anni 1086. Henricus rex — permisit abire, de pugna Wirciburgensi, quem, quamvis gravissimum recentiorum nullus adhibuisse videtur, et quae de expeditione cruciferorum ad an. 1097. l. c. pag. 648. Christiani — Sabbato. 1098. Antiochia — habuerunt ad an. 1099. Idus Julii — potiti sunt victoria. 1100. Interea — repatriavit. 1101. Filius Eustachii — Balduinum, tradit, plane a Sigiberto discedunt. — Stellarum et cometarum quasdam apparitiones annotant quidem interdum iisdem annis et temporibus (cf. Flor. ad an. 1097. Stella quae — affirmabant. cum Sig. ad an. 1097. Cometes — Octobris; Flor. ad an. 1098. Splendor — emicuit cum Sig. ad an. 1098. Multis in locis — tempore. Flor. ad an. 1104. Tertia

pilata [1]) minime opusculi coaetanei habitum prae se ferunt, atque Dodechino, Henrici IV partibus infesto quam maxime congruunt, Florentii contra notitiae ad an. 1074. in Codice *Gemblacensi* [2]), ad an. 1080. et 1082. in Codice quodam Bruxellensi [3]) iisdem verbis reperiuntur. Inde et haec, et quae aliis locis ap. Sigibertum cum Florentio ad verbum

---

feria — aliquo illorum cum Sig. ad an. 1105. Duo orbes — coelestis. Flor. ad an. 1106. In prima autem septimana — decima quarta luna. cum Sig. ad an. 1106. Quarto nonas — a sole; Pridie idus — cadentes. Toto pene — apparuit. Flor. ad an. 1110. Stella — est visa cum Sig. ad an. 1110. In mense Julio — ad austrum.) annotarunt, cum vero in iisdem explicandis semper inter se differant, hoc non tam connexum eorum probare, quam fidem utriusque augere videtur. — Denique vix credibile, Florentium, qui ad annum 1117 Chronico finem imposuit, et anno 1118 mortuus est, jam in Anglia Sigiberti Chronicon legisse.

1) cf. ad an 1077. Dominus Hanno — constituitur cum Annal. Hildesh. ad an. 1077. ap. Leibn. Script. I. pag. 732. 1078. Bellum juxta Strovi — occubuit cum Ekkehardo Uraugiensi. l. c. pag. 170. infra. Annal. Hildeshemens. ad an. 1078.; ad an. 1079. Bellum — commissum est cum Ekkehardo et Annalibus Hildesh. l. c. ad eundem annum. ad an. 1080. cum iisdem; ad an. 1081. cum Ekkehardo etc. — Anno 1075 in pugna Henrici contra Saxones gesta occisus esse traditur: „comes Gevehardus *pater Lutgeri, qui postmodum imperium assumpsit;* (cf. Dodech. ad an. 1106.) anno 1079 insertum est decretum Gregorii de presbyteris conjugatis, quod in textu Florentii loco multo magis accommodato ad an. 1075. pag. 638. legitur; inter res anni 1081. Gregorium VII Salernum fugisse et Henricum cum Bertha uxore sancto die Paschae a Vvigberto Romae coronatos esse enarratur. — Sic omnia commixta atque confusa; quorum, quae interpolatori vetusto, quae editori (cf. Gerken l. c. pag. 379.) adscribenda sint, accuratior collatio cum codice Francofurtano demonstrabit.

2) cf. Hausen. l. c. pag. XIV. Verisimile etiam notitia Flor. ad an. 1077. ibidem legitur.

3) cf. Pertz. Archiv. VII. pag. 439. 462. ad an. 1081. Magnum terraemotum — (cf. supra pag. 119.) — intravit. 1082. Prima — esse deberet.

convenientia invenimus [1]), Mariano adscribenda duximus, quamquam in hac etiam — ultima fere de Sigiberti fontibus — quaestione codicibus manuscriptis nos non adjuvantibus atque textibus scriptorum plerumque adeo mutilis atque negligentibus minime omnia dissolvi posse, atque non raro multiplicum laborum hunc finem esse, ut genuinam rerum condicionem non certo explicare possimus — ingenue confitendum esse videtur.

Ex his igitur — quos modo vel memoravimus vel accuratius collatos proposuimus — fontibus omnia fere, quae Sigibertus de rebus singulorum regnorum et populorum, de actis pontificum, aliisque argumentis gravioribus in opere suo enarravit, hausta esse patet [2]); cum jam in eo simus, ut hanc illius partem, in qua is res ipse ut aequalis vidit memoriae tradidit, attingamus, hoc loco ut etiam de iis, quae ex illis quidem enucleare non potuimus, et quae adhuc ad certos fontes revocare non licuit, libere quaedam moneamus modestia postulare videtur.

Ad quae digerenda si quis accedit, hoc quidem concedet, multa semper esse in vasto eruditissimi viri opere, quae unde didicerit, vix certo demonstrari potest. — Sunt haud dubie plurima, quae e lectione continua sacrae scripturae [3]), e consuetudine monastica [4]), e studio rituum ecclesiastico-

---

1) cf. de catalogo papar. ap. Libell. de gest. Abb. Gemblac.

2) De pluribus, quae sive ex his, sive e quibusdam aliis fontibus hausta sunt, infra ap. Vitas Theoderici, SS. Sigiberti, Theodardi, Lantberti agemus, quia cum rebus ibidem enarratis quam maxime cohaerent. De locis Chronici ad artem chronologicam spectantibus infra ap. Libellum de computo, de notitiis literariis ap. Libellum de script. eccles. disputabimus.

3) cf. supra pag. 34—35. Nota 1. ad an. 465. cf. ad an. 542.

4) Inde haud dubie ad an. 426. loco de institutis Coelestini Papae

rum,[1]) ex universa temporum locorumque cognitione[2]) sua fecit; quae vita denique ipsa suppeditante notitiis e fontibus excerptis adspersit, quae quamquam quibusdam in locis attigimus, in pluribus de industria intacta reliquimus.

Sunt praeter haec plura inprimis in parte Chronici ab anno millesimo post Chr. nat. quae ad res sedibus Sigiberto vicinas sive stirpem ducum Lothariorum et comitum Flandriae Hannoniaeque, sive vicissitudines ecclesiarum Mettensis et Leodiensis pertinent, quorum jam nonnulla in hac secunda nostrae de Chronico commentationis parte attulimus, plura in disquisitionibus de regionis illius statu politico adhibere licebit. — De horum igitur fontibus quaerere superfluum est, eaque ab eo satis recte posteritatis memoriae tradita esse grato animo confiteri nos decet.

Restant denique haud pauca, quae vir quem fere nullus aetatis suae doctrinae copia aequiparavit, de vita meritis et miraculis quorundam Sanctorum, de translationibus reliquiarum, aliisque fabulis ecclesiasticis Chronico suo inseruit, quorum quidem fontes nos saepius latere libere confitemur, quae tamen neque historiae scrutatoribus valde cordi esse neque doctrinae vel litterarum copiam magnopere augere et plerumque non ab uno nostro Sigiberto tradi constat. — Ne igitur his cum Actis Sanctorum ex quibus haud raro explicari possunt, vel cum incertis Martyrologiorum, in editionibus semper multis additamentis depravatorum testimoniis[3]) fusius comparatis commentatio nostra de fontibus Sigiberti

excerpto ex Anastasii libro pont. l. c. pag. 117. cum nota 4. e codd. B. et C. coll. cum Mariano Scoto ad an. 430. (Flor. ad an. 429). nonnulla adduntur.

1) cf. ad an. 488. 835.

2) Ad an. 1023. loco Evosii, quo conventus Roberti et Henrici celebrabatur (vide supra pag. 99) addit distinctionem „super *Carum* fluvium" de qua cf. le Glay ad Bald. pag. 522. cf. etiam sup. pag. 92.

3) Citat Sigibertus in libro de s. e. Cap. 85. et Cap. 128. Usuardi et Wandalberti Martyrologia cf. infra ap. libell. de script. eccles. quosdam locos cum Usuardo collatus.

in nimiam commentarii perpetui molem excresceret, ea nisi si quae graviora ex iis eligendi vel propter dubiam eorum auctoritatem in appendice de eis tractandi occasio esset oblata — intacta relinquere, atque morem tantum quem et in prima Chronici parte perlustranda observavimus secuti de nonnullis hujus generis praecipuis annotationes quasdam subjicere duximus. [1])

---

1) Notitiis, quae aperte ad monasterium Cluniacense pertinent 895. Hoc tempore claruit — Gigniacensem (cf. Testamentum Vvillelmi Ducis ap. Mabill. Acta Bened. V. pag. 78—80. et ibid. pag. 74—76) ad an. 898. Odo — abbate. 912. Berno abbas — denariorum (cf. Testamentum Bernonis ap. Mabill. l. c. pag. 86) ad an. 937. Obiit — Ademarus. 943. Ademarus — Majolum 975. Majolus claret, quas quidem omnes excepta illa ad an. 975. „Majolus — claret" apud Miraeum litteris minusculis scriptas esse fateri oportet, ad certum quendam fontem nobis quidem inaccessum respicere videntur. Abbatum ordo quem Glaber Rodulfus III. 5. attulit, iis explicandis non sufficit. Res quidem ap. Sig. satis recte enarratae, chronotaxis tamen falsissima cf. Quercetani Biblioth. Cluniacens. col. 1617. et 1632. Mabill. Acta l. c. pag. 81. 88. 125. sq. 315. sq.). — De loco an. 921.: Ziptinaeus dux Boemiae ad fidem Christi conversus juste et religiose in Boemia principabatur et post eum Vatizlaus filius ejus (*Post Vatizlaum Vvenzeslaus filius ejus* additur ap. Miraeum) justitia et sanctitate praeclarus, cui frater Bolizlaus nimis adversabatur: a pluribus jam disputato (cf. Dobner. ad Hagecium III. pag. 491. Waitz Heinrich I. p. 146. qui vero lectionis diversitatem non attendi) tacui, quia vitam vetustissimam S. Wenceslai a Gumpoldo jussu Ottonis II. scriptam, in tertio libri Dobrowskii „Kritische Versuche die ältere Böhmische Geschichte von späteren Erdichtungen zu reinigen" fasciculo editam non ipse legere potui; acquiescendum tamen fortasse opinioni Dobrowskii (fascicul. I. pag. 43.) Sigibertum ei notitiam de Ziptinaeo aëtate Henrici I. ad fidem Christianam converso (cf. Vitae locum ap. Dobner. III. pag. 288. 491. Waitz l. c.) debere, cum a Sigiberto aetate Ottonis II. Vvenceslaum Pragam miraculis illustrare annotatum esse videas. — In utroque textu Vvatislaus qui Spitignaei frater erat, ejus filius praedicatur, in textu veteri Vvenceslao plane omisso errores cumulantur. Locum an. 938. de martyrio Vvenceslai fortasse etiam Widu-

§. 3.

De annalibus Sigiberti ab anno 1077. *usque ad an.* 1112.

Elegimus annum 1077. secundae partis commentationis nostrae terminum quamvis Sigibertus et post eum interdum alios sequatur fontes, et ante eum propria quaedam afferat, eo potissimum ducti quod annus ille, quippe victoria illa famosissima a Pontifice de Imperatore relata gravissimus, crisin quandam in hac nostra Germanici imperii historia adducit. legem igitur secuti eam, ut quae in minutis his de singularum narrationum fide lucubrationibus invenimus, ea

---

kindo (II. ed. Hervag. pag. 21.) inspecto scripsit. — Num notitias an. 893. S. Udalricum in Bajoaria natum, an. 976. eundem obiisse et mox miraculorum gloria effulsisse primae Vitae S. Udalrici ab Anonymo (Gerardo cf. Mabill. Acta V. pag. 415. Acta SS. Jul. II. pag. 95; ibid. Cap. XI. Nro. 81. pag. 121) vel tertiae Vitae a Bernone Abbate Augiensi scriptae (cf. in Marci Velseri Opp. omn. 1682 fol. Cap. 29. pag. 616) debeat, dubito, cum utraque Vita l c. aetatem Udalrici quidem 83 esse annorum enarret, annum vero obitus 973 statuat, porro eum Alemannorum gente natum esse dicat, locus vero an. 942. sup. pag. 118 citatus ad Florentium (Marianum) propius accedat, quam ad fusam Vitae narrationem. l. c. Cap. I. Nro. 6. pag. 99. (de qua narratione vide ibid. pag. 75.). Secunda Vita S. Udalrici auctore Gebehardo episcopo est imperfecta. cf. Velser. l. c. pag. 595 et Bernonem ibid. pag. 596. — Verisimilius est, locum de S. Symeone ad an. 1016. (cf. pag. 101. not. 6.) ex *Evervini* Abbatis aequalis Vita *S. Symeonis*, Popponi Archiepiscopo Trevirensi dedicata excerptum esse (cf. ap. Mabill. VI. 1. Cap. 2. lin. 1—2. lin. 9—12. pag. 372. Cap. 4. in fin. pag. 373. Cap. 11. pag. 376. Cap. 12. in init. ibid. Cap. 15. pag. 378. Cap. 17. pag. 379.) — Locos an. 1050 Sanctus Theobaldus — meruerunt an. 1066. Obiit — inclusus cf. cum Vita S. Theobaldi a Petro Abbate Vangadiciae, aequali scripta ap. Mabill. VI. 2. pag. 156. sq. potiss. Nro. 2. pag. 159. 8. pag. 152. 22. pag. 166. 24—28. pag. 167—168. — Locus Chronici S. Columbae Senonensis. ad an. 1066 ap. Pertz. II. pag. 156. e Sigiberto excerptus esse videtur. —

historiae universalis cursui tanquam scholia quaedam subnectamus, ne unquam haec omnia ei perfectius illustrandae atque veritatis colore penitus perfundendae inservire obliviscamur.

Sigibertum operam dedisse, ut longas fontium narrationes in brevem annalium formam redigeret, sufficientibus a nobis argumentis demonstratum videtur. — Quodsi igitur proprium cujusque rerum scriptoris ingenium maxime ex rerum sua aetate gestarum narratione aestimari posse jure censetur, id quantopere de Sigiberto valeat, manifestum est. Nam contra morem eorum qui paucis notitiis omnes res ab origine mundi complectentes uberi rerum aetatis suae descriptione inconcinne claudunt annalium libros ipse aequabili omnibus partibus cura adhibita etiam in aetate sua indolem operis servavit. — Dolendum est, virum, tali eruditione praeditum condicionum politicarum haud dubie gnarum, liberoque animo insignem res suae aetatis non ampliori modo enarrasse; quod si contigisset Lamberti Bertholdi et Bernoldi Annalibus e parte imperatoria probatus testis opponi posset, atque, ut multis testibus de hostium Imperatoris, quales in Saxonia et Suevia praevalebant, machinationibus edocti sumus, sic etiam amicorum et propugnatorum ejus atque status regionis Lotharingicae, tunc egregiis viris minime orbatae atque rerum, memoriae posteritatis dignarum theatri accuratiorem vindicare possemus mentionem. Quae enim Sigibertus enarrat, ea eum vel accuratissime ipsum cognovisse vel ex genuinis relationibus et publicis actis fide dignis petiisse plerisque locis demonstrari potest neque exiguum modestiae documentum esse arbitror, quod suam ipsius personam nusquam immiscet, neque ad testimonium suum provocat.[1])

---

1) Semel tantum ad an. 1095. In comitatu Namurcensi panem subcinericium quasi sanguine infectum *vidimus.* — Quantopere igitur

Confirmantur enim aliorum testium aequalium scriptis, quae ad an. 1081. 1082. 1083. 1084. de bellis Henrici IV in Italia gestis enarrat [1]); res Saxonum, quamvis leviter, recte tamen ad an. 1085. 1087. 1091. 1092. 1103. memorat; prudentem se gerit aequalem, quod Conradi filii Henrici seditione vires Imperatoris maxime fractas esse statuit. Neque in minoribus minus accuratum se praebet; consentit enim in morbo atque obitu Victoris III (1086) annotando cum pluribus aequalibus [2]); inundationem anni 1086, sterilitatem atque famem anni 1090, pestem anni 1094, denique coeli miraculum anni 1098, quod pestis secuta est, pariter ac Bernoldus Constantiensis [3]), diligentissimus fere hujus aetatis scriptor, cometas semper cum aliis coaetaneis memorat [4]).

Notitiam anni 1087 de reliquiis S. Nicolai Barim translatis ex *ipsa narratione Joannis Archidiaconi Barensis* hausisse videtur [5]); in tota certe serie narrationum, quamquam

---

differt a scriptoribus hujus aetatis, qui annos ortus, conversionis, itinerum suorum annalibus intrudunt!

1) cf. Stenzel. l. c. pag. 473—84. Narrationibus accuratioribus scriptorum Italicorum haec Sigiberti dicta quidem amplificari, corrigi tamen non possunt.

2) Waltrami Numburgensis liber de unit. Eccl. II. 17. ap. Goldast Apologiae pro Henrico IV. pag. 117. Ottonis Frising. Chron. VII. 1. ap. Urstis. pag. 140.

3) cf. eundem ap. Ussermann. pag. 124. 144. 160. 164. 175.

4) cf. Ekkehardum Uraugiensem p. 187. 189. de cometis anni 1097 et 1106, ap. Chronicon Casinense IV. 35. (ap. Muratori Script. IV. pag. 513.) cf. Sig. supra pag. 120 — 121. cum Florentio collatum.

5) cf. eandem apud Mosandri Appendicem ad Surii Vitas prob. Santorum. pag. 399—406. Conscripta est haud dubie jam circa an. 1088. jussu Ursonis Archiepiscopi Barensis, translationi ipsi aequalis (cf. Ughelli Italia sacra. VII. 607.) quum auctor et relationes eorum, qui affuerint, citet. (l. c. pag. 400.) Libellum illum jam proxima aetate in externis regionibus divulgatum esse, probat excerptum Orderici Vitalis lib. VII. ap. Chesnii script. rer. Normannic. pag. 650 — 53.

Joannis expositio multo plenior ac copiosior est, tanta similitudo observatur, ut connexus quidam appareat, cui id minime adversatur, quod ille tres, noster quatuor monachos Myreae inventos, ille XLIV, juvenes noster XLVII cives Barenses sepulcrum aggressos esse dicit [1]), cum Sigibertus — codicum fortasse errore deceptus in talibus numeris saepius a fonte suo discrepet.

Cruciferorum expeditioni magis quam aliis, quae sua aetate evenerunt, intentus candide ad an. 1096. enarrat, „Christianos loca sancta liberaturos, alios ab aliis animatos, Duces, Comites, potentes, nobiles ac ignobiles, divites et pauperes, liberos et servos, episcopos, clericos, monachos senes et juvenes, etiam pueros et puellas" omnes uno animo undique terrarum concurrisse et dubium, ex animi sententia an per ironiam, lusu quodam verborum usus, addit:

Et *quanto* quisque hactenus ad exercendam mundi *malitiam* erat *pronior*, *tanto* nunc ad exercendam ultro Dei *militiam* fit *promtior*.

Praestantes in hac expeditione duces satis recte percensuit. In enarrandis vero rebus in Asia anno 1097. 1098. 1099. usque ad Hierosolymas captas et pugnam Ascalonensem gestas, quippe quas ipse non oculis viderit, fontem secutus est haud spernendum, scil. *Epistolam ab archiepiscopo Pisano*, *Godefrido duce et Regemundo comite sancti Aegidii ad Paschalem papam datam* [2]), atque fortasse a Roberto quodam comite, qui anno 1100 in Europam reversus est, delatam [3]). Haec igitur si aut fallitur aut veritatis modum trans-

1) l. c. pag. 399—405. Ordericus Vitalis pag. 651. — Sigibertus annum depositionis S. Nicolai aliunde cognovisse videtur, cum 745 annos abinde usque ad an. 1087. effluxisse tradat, quamvis Joannes Archidiaconus ipse „ducentas Olympiades praeterlapsas esse." annotet.

2) Exstat ap. Dodechinum ad an. 1100. ap. Pistor. Scr. rer. ed. Struv. I. pag. 664.

3) Ekkehardus Uraug. eadem et in Chronico et in Libello de expe-

greditur [1]), Sigibertus ejus vestigiis ingrediens non sua culpa labitur. — Magis vero dolendum est, quod inter narrationes, quas inde desumsit, pugnarum orientalium ipsi dies falso indicati sunt.

Sic secundum bellum apud Nicaeam III Nonas Martii 1097 gestum esse memorans fallitur; nam cum Godefridus cum exercitu duobus diebus ante Natalem Domini 1096 ad portas Constantinopolitanas advenisset [2]), atque demum initio temporis quadragesimalis i. e. die 17 Februarii 1097 in Asiam exercitum trajecisset [3]), Pascha die 5 Aprilis Chalcedone celebrasset, dubium non potest esse, quin pridie Nonas Maji demum prope Nicaeam castra posuerit [4]), atque omni exercitu

---

ditione Hierosolymitana usus, *eam a comite Ruperto delatam* perhibet, Chron. ed. Argentorat. pag. 179. cf. Semler: Versuch. pag. 145.

cf. Sig. ad an. 1097. Exercitus autem Dei — venderetur, cum Ep. Etenim quum — acciperentur; 1098. Obsessa Antiochia — comedere compulsi sunt, cum Ep. Praeterea etsi — jam comesta sint (ibi Sigib. ordinem locorum Marrae et Barrae commutat; nam in Ep. Barra (Albara) recte ante Marram memorata, cum haec ante diem primum Novembris 1098, illa die 11. Decembris ejusd. anni occuparetur). 1099. Exercitus Dei — repatriant. cum Ep. Denique cum — usque ad finem.

1) Sic Ep. Antiochiam nono obsidionis mense captam esse refert, quamquam oppugnatio vere a die 21. Octobris 1097. (cf. Gesta Francor. lib. IV. 12. ap. Bongarsii Gesta Dei per Francos. pag. 9. Guib. Novig. ibid. IV. 3. pag. 449. Bald. Dol. II. ibid. pag. 100. Rob. Mon. II. in fine pag. 45.) usque ad tertium Junii 1098 (Gesta. IV. pag. 15. Alb. Aq. IV. 25. pag. 247. Raimundi de Agiles pag. 149.), ideo per septem menses et 13 dies duravit. — Intra obsidionem vix *centum* bonos equos in exercitu inventos esse memorat (an. 1098) cum Alb. Aq. III. 60. l. c. pag. 235. et ipse inopiam exercitus conquestus „non amplius quam mille", Anselmus de Ribodimonte in Epistola ad Manassen Archiep. Remensem (ap. d'Achery. III. 432.) septingentos exstitisse dicant.

2) Gesta l. c. pag. 2. 3. Rob. Mon. II. pag. 36. Bald. pag. 91.

3) Gesta pag. 13. Alb. Aq. II. 11.

4) Gesta II. pag. 5.

interim ibi collecto, usque ad 27. diem Junii urbem obsederit, neque Christianos ullo modo tertio Nonas Martias ibi versari potuisse verisimile est.

Hinc notitiam huic praemissam primum bellum fuisse ad pontem *Pharphar fluminis* IX Cal. Martias 1097 falsam esse patet; Pharphar enim fluvius, qui hodierno tempore nominatur Ifrin [1]), Antiochiae, ad quam demum die 21 Octobris 1097 accesserunt Christiani contiguus; Albericus [2]), hoc vitio jam cognito, Sigibertum indicasse fluvium Bardarum (Wardari) in Bulgaria, apud quem Boemundus dux Apuliae cum Graecis pugnavit, conjecit. — Accidit vero pugna illa quarta feria, quae est caput jejunii. i. e. die 18 Februarii 1097 [3]) atque Sigib. in sua pugna multos Turcas occisos esse memorat. — Magis verisimile videtur, quoddam proelium, quod intra tempus obsessae Antiochiae, V Idus Februarii, pridie ante caput jejunii 1098 apud fluvium Pharphar gestum esse plures scriptores memorant [4]), apud nostrum falso die et anno annotatum esse. —

Tertium bellum anno 1098. IV. cal. Julii post Antiochiam (III Nonas Junii) a Christianis expugnatam gestum esse recte atque cum fontibus fide dignis consentiens enarrat [5]); quartum vero bellum in Romania fuisse calendis Julii falsum isque error omni explicatu caret, nisi pugnam ad Dorylaeum statim post Nicaeam captam die primo Julii 1097 [6]), commissam anno

---

1) cf. de hoc fluvio Vir. Ill. Wilken librum Geschichte der Kreuzzüge. I. 171. cum Nota 27.

2) ad an. 1097. ap. Leibn. Access. hist. I. pag. 152.

3) quae illo anno in hunc diem incidit. Gesta. I. 4. Bald. I. p. 93. cf. Wilken. pag. 125—126.

4) Gesta IV. cap. 17. Alb. Aq. III. 62—65. pag. 236—238.

5) Gesta IV. 29. pag. 22. Alb. Aq. IV. 47. pag. 255. Raim. de Agiles. pag. 155. Guib. de Nov. VI. 10. pag. 523. Guil. Tyr. VI. 17. pag. 723. 22. pag. 727.

6) cf. Gesta pag. 7. in fine libri III. Fulcher Carnot. ibid. pag. 387. Rob. III. 42. Wilken. pag. 154—55.

1098 insertam statuas. Diem expugnatae urbis sanctae etiam noster recte cognovit (1099. Idibus Jul. feria VI [1])) pugnam vero Ascalonensem, quae pridie Id. Aug. feria VI prospero Marte pugnata est [2]), falso IV. Cal. Aug. fuisse annotavit. — Unde falsos hos dies hauserit, non liquet; verisimile tamen est, eum brevem quandam pugnarum notitiam ab aliquo, qui expeditioni ipsi non interfuerit, conscriptam legisse, cui cum non minorem quam epistolae fidem tribueret, dies illos desumere non dubitavit. [3])

Contra in rebus Germanorum etsi brevior, tamen accuratior. Litteras, ab Henrico V Imperatore anno 1106. ad Philippum regem Franciae datas legit [4]), Henrici V encyclica de rebus mense Februario anni 1111 Romae gestis, parce quidem, tamen apte usus est. [5]) E privilegio, quod rex mense Aprili anni 1111 Paschali papae extorsit, pauca exscripsit. — Quid igitur est, quod miremur, eum, quae ad se suamque regionem propius pertinuerint, Hermanni regis interitum an. 1090. [6]), translationem corporis S. Clementis Mettensis an. 1091, caedem Conradi Ep. Ultrajectensis an. 1098 [7]), Ducatum Lotharingiae Henrico Limburgensi post plures dicordias an. 1102. datum, anno 1106. vero propter perfidiam detractum atque 1107. armis contra eundem a Godefrido Lovaniensi defensum esse [8]), an. 1106. ultimam expeditionem Henrici Imperatoris atque victoriam ab eo apud

1) Gesta. IV. 38. pag. 27. Wilken pag. 300.

2) Gesta. IV. 39. pag. 29. Alb. Aq. VI. 50. pag. 288.

3) Addidit etiam. an. 1097. Laodiceam captam, an. 1098. Antiochiam Boemundo duci commissam esse.

4) cf. ad an. 1106. in utroque textu: Henricus — Francorum. vide de epistola ipsa in textu Miraei infra in Append. II.

5) cf. ad an. 1111. *in textu veteri* et infra in Append. II.

6) cf. Anonymi vitam Henrici ap. Goldast. pag. 211. Waltram. l. c. I. 3. pag. 58. I. 14. pag. 79.

7) cf. Magn. Chron. Belg. pag. 126. e Chronicis Pontif. Traject. Bernold. Constant. ad an. 1099. l. c. pag. 176.

8) de his. cf. Stenzel. I. pag. 568—570.

Visetum oppidum Leodiensibus finitimum relatam [1]), accuratius quam alios aequales enarrasse. Denique ad an. 1112. historiolam de Gualdrico Laudunensi episcopo a civibus rebellibus occiso — etsi e more clericorum illius aetatis foederibus illis civium quae vocantur *communiae* infestus [2]) — retulit, stylo tam accurato, ut eundem diem caedis, (VII Cal. Maji feriam V hebdomae Paschatis [3]), eadem de concrematione palatii et ecclesiarum, ac Guibertus Novigentinus [4]) et Hermannus Laudunensis [5]), testes harum discordiarum oculati perhiberet, tam prompto, ut etiam „regem Francorum haec civium scelera inaudito modo ultum esse" annotaret, atque sic vel moriturus scriptoris munere functus esse videretur.

Attamen audio voces clamantium, Sigibertum non propter negligentiam, neque propter errores castigari, sed in illis, quae de rebus Pontificum atque discordiis illorum cum Imperatoribus illa aetate exardescentibus memoriae tradiderit, refutandum atque pro schismatico habendum esse, et quae falsa litteris mandaverit, ea non errante calamo sive aliorum testimoniis deceptum, sed iniqua mente proposuisse vel adeo ipsum effinxisse [6]). — Agedum, quibus haec adversariorum

---

1) cf. loco omnium Hist. Andaginensis Monasterii ap. Martene et Durand. Coll. ampl. IV. col. 1022.

2) Nam ipse: Gualdricus Episcopus Laudunensis cives ipsius urbis a sacramento *perperam juratae communitatis* revocare nisus etc. cf. loco omnium Venerabilis Guiberti Abbatis de vita sua libri tres. ed. d'Achery. Parisiis. 1651. fol. lib. III. Cap. 6. pag. 502.

3.) quae anno 1112 vere in hunc diem incidit.

4) cf. loc. cit. Cap. VIII. pag. 505—507.

5) Hermanni Monachi de miraculis b. Mariae Laudunensis libri III. ed. d'Achery. l. c. I. 1. I. 3. pag. 528. III. 1. pag. 543.

6) cf. Jo. Fr. Mariae Brachisellensis Indicem librum expurgandorum (Bergomi. 1608). Tom. I. pag. 248. de locis ad an. 854. (de quo

dicta argumentis nitantur, inquiramus. Quibus de discordiis ad an. 1074. his verbis agit „novo atque inconsiderato exemplo Gregorii factum esse, quod interdicto presbyteris matrimonio laicos missas uxoratorum audire vetaret", atque quae inde mala in Ecclesiam ingruerent, dolenti animo exponit. — In hoc quid spectaverit, mox videbimus; id vero omnibus, qui candido animo verba ejus legunt, patet, eum mala discordiarum acerrime conquestum, concordia commendata ea tollere voluisse; porro ad an. 1084. utriusque partis sententiam de Clemente Antipapa allata his verbis:

> his qui pro Imperatore erant, contendentibus juste Hildibrandum esse depositum, tamquam majestatis reum, qui contra Imperatorem alium Regem ordinaverit, et rebellandi audaciam adsumserit; his autem, qui contra sentiebant, reclamantibus universalem Papam non universali concilio, paucorum judicio, laicali censura, imperiali potentia, non posse a pontificatu amoveri, et quod gravius est, in loco viventis Episcopi aliquem suffectum contra canonicam auctoritatem agere, et caetera id genus. [1])

neque hanc neque illam tuetur, immo etiam parti pontificiae in quibusdam accedere videtur. Neque minus etiam Imperatoris jus divinum tutatur; ad an. 1088. eos, qui novam quandam doctrinam, juramentum regi praestitum revocari atque rumpi posse, disseminarunt, acerrime insectatus, locis sacrae scripturae allatis, malos quoque reges cum a Deo sint instituti propter peccata populi, ferendos esse demonstrat [2]).

In singularum rerum expositione parti quidem Henricianae se praebet addictum. Silentio praeterit — quod e Lamberto aliisque ei haud dubie notum fuit — quae Adalberti Bremensis fuerit vilitas atque violentia in republica admini-

---

in append.) 1074. 1076. 1080. 1085. 1088. repetit. in praef. ad edit. Miraei et Struvii.

1) Deest hic locus gravissimus Sigiberti in textu veteri. vide supra pag. 20 Nota, infra in Append.

2) vide haec omnia in libello Sigiberti adversus Paschalem uberius exposita.

stranda, quale dedecus omnibus muneribus ecclesiasticis vendendis, quam grave Henricus foedo, matrimonium legitimum rumpendi consilio odium in se contraxerit, quam Thuringorum animos prorsus, decimis archiepiscopo Moguntino, qui ad illud perpetrandum vile auxilium promiserat, adjudicatis, a se averterit, quam turpiter Saxones, omni majorum jure posthabito, oppresserit, atque perfide paciscendo (1075) novam tantum belli et excidii eorum occasionem petierit. — Attamen anno 1085. Henricum ea conditione, ut proscriptis bona restituerentur, cum Saxonibus pacem fecisse, eamque, quod hoc non factum sit, ruptam esse memorat, an. 1086. pugnam Wirziburgensem enarrans, quatuor millia partis Imperatoriae, quatuordecim tantum partis Saxonum occisos esse tam candide enarrat, ut cum accerrimo hoste Henrici, qui ipse pugnae intererat, Bernoldo Constantiensi plane consentiat [1]). Hermanni Mettensis episcopi exsilium an. 1078 et 1085. memorat; an. 1085. addit „Imperator in episcopatu Mettensium unum et alterum [2]) mercenarium supposuit, sed oves Christi non audierunt vocem alienorum." — Notum enim, Henricum Hermanno expulso, primum Gualonem quendam, atque cum is episcopatui renunciaret, Brunonem filium Adalberti comitis Calvensis episcopum instituisse, qui tamen luxuria vitae, rapinis atque omni violentia ita exosum se reddidit, ut cives Mettenses eum expellerent, neque Henricus recusaret, quin Hermannus religione egregius revocaretur [3]). Anselmi Lucensis, quamvis acerrimi pontificiae potestatis propugnatoris, sanctitatem miraculis declaratam esse ipse ad annum 1086 confitetur [4]).

1) l. c. pag. 132., quin etiam Bernoldus nescire, quot millia adversariorum, quindecim vero suae partis occubuisse, fatetur.

2) in textu veteri tantum: *alterum*. lectio tamen Miraei potior videtur.

3) cf. Meurisse Histoire de Metz p. 375. e Chronico S. Trudonis. Bernold. ad an. 1088. 1089. 1090. Waltram Numburg. II. 30.

4) Consentit in hoc et in memorandis scriptis Anselmi, scil. tractatibus in Jeremiam et in Psalmos, et libro pro Hildibrando Papa,

Hinc manifestum est, Sigibertum in partibus quoque Henrici inter ea, quae laudanda et quae vituperanda fuerint, satis bene distinxisse.

In rebus Gregorii VII regumque, qui contra Henricum quartum electi sunt, enarrandis illum interdum justo acriorem se praebere, quae ab aliis relata acceperit, in malam partem vertere atque quae iniqua vulgi fama ferrentur ut validis argumentis firmata narrare — negari non potest. — Itaque cum — si conjectura satis probabili uti licet — apud Marianum ad an. 1077 legisset „primates regni, quasi justa ex causa, regi quasi excommunicato contradixisse, eumque de regno projicere tentasse" id ita vertit, ut Hildibrandum *sub hoc obtentu* „ut primates regni quasi justa ex causa illi contradicant," Henricum excommunicasse referret, quod, credo, cum Lamberti dicto „sub obtentu religionis principes ab Henrico paulatim defecisse [1]," hoc ipsum Gregorii consilium fuisse non satis patifieret — praeter adversariorum opinionem non habuit, quo posset defendi. Ipso porro rerum statu refellitur, quod ad an. 1077 „principibus Saxonum, qui in deditione imperatoris erant, relaxatis per eos, quibus commissi fuerant, Saxones rebellasse *instinctu Hildibrandi Papae*" liquet enim e fusa Lamberti [2], Brunonis [3], aliorumque narratione, Henricum, Burchardum Episcopum Halberstadensem captivum in Ungariam abducere conatum, auxiliantibus Boemis marchiam

---

(cf. etiam lib. de s. e. Cap. 161.) et in loco et anno obitus ejus afferendo cum biographo (B. discipulo et Poenitentiario) illius cf. potiss. Cap. 21. 27. 35. ap. Mabill. Acta SS. ord. Bened. VI. Pars 2. pag. 479. 481. 483. quam tamen ei ob oculos fuisse vix conjicere audeam. De miraculis cf. etiam Bernold. ad an. 1086. p. 133.

1) cf. ad an. 1076. in quem excommunicatio Henrici vere incidit. l. c. pag. 408.

2) cf. Lambertum ad an. 1076. l. c. pag. 405. 406. 408—409. 412.

3) cf. Brunonem de bello Saxonico ap. Freher Scr. rer. Germ. I. pag. 209.

Misnensem ingressum, atque multimode in Saxones debacchatum, iteratam illorum rebellionem ipsum excitasse.

Verius, etsi mordacius ad an. 1077, poenitentia Regis Canusina silentio suppressa, dictum Mariani „regem et Hildibrandum falso, ut postea claruerit, pacificatos esse [1])" ita adhibuit, ut regem a papa „*sub falsa pace*" absolutum esse similem in modum contenderet ac Waltramus Numburgensis „pacem Canusinam fuisse, qualem Judas simulasset [2])" scripserit. — Jure quidem omnes, qui prius Hildibrandum abjurassent, perjurium perjurio cumulantes imperatorem abjurasse dicens, tecte in Sigifridum Archiepiscopum Moguntinum aliosque clericos invehitur, qui antea omnis violentiae regis socii, atque in promulgando decreto Wormaciensi promptissimi, Regem excommunicatum atque in extremum discrimen adductum foede deseruerunt [3]). Quod vero Gregorium Papam adeo cum principibus Germanorum, qui Rudolfum Suevorum ducem (quem noster ducem Burgundionum vocat) elegerunt consiliorum communitate junctum fuisse opinatur, ut illum Rudolfo jam ipso tempore electionis coronam [4]), cui inscriptum erat famosum illud:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho,

misisse atque anno 1077 „*omnes adversantes Henrico ab infidelitate et perjurio absolvisse*" tradat [5]), in eo haud dubie

---

1) scil. ap. Florentium an. 1078. vide supra. pag. 119. Falsas Mariani notitias, conventum Wormaciensem fuisse mense Martio anni 1077 (1076), cf. p. 117. Not. 1. et Henricum cum Hildibrando convenisse mense Martio anni 1078 (1077) [cum potius conventus ille in dominicam Septuagesimae anni 1076 (cf. Lamb. pag. 403.) i. e. die 24. Januarii (cf. Stenzel. II. pag. 266.) poenitentia Canusina intra dies 25. et 28. Januarii 1077 incideret] Sigibertus omisit.

2) I. 6. II. 15. ap. Goldast. l. c.

3) cf. ap. Stenzel I. pag. 383. 391. 395. 398. 421.

4) Sic ipse: Omnes . . . abjurant, et Rodulfum Ducem Burgundionum super se Regem statuunt: *corona ei a Papa missa.*

5) Nisi quis Sigibertum ibi decretum excommunicationis a Gregorio contra Henricum mense Febr. anni 1076. emissum (cf. ap. Brunonem. l. c. pag. 200. Stenzel. II. pag. 266.) tetigisse dicat.

falsus est, quum ex accuratissima aequalium narratione [1]) crebrisque actorum testimoniis [2]) satis superque constet, Gregorium ab anno 1078 per duos annos neque ab Henrico, neque a Rodulfo palam stetisse sed inter utramque partem se quasi medium et arbitrum fore pollicitum esse atque excommunicationem Henrici, quam ipsius legatus Bernhardus die 12 Novembris anni 1077 Goslariae proclamaverat, ignorare se simulantem ipsorum Saxonum iram atque indignationem in se concitasse [3]), donec eorum precibus commotus, atque ne res Rudolfi in Germania plane collaberentur, die septimo Martii anni 1080 coram concilio Romano Henricum iterum anathemate afflixerit omnesque a juramento illi praestito absolverit [4]). — Inde clarum est, Gregorium, si unquam, tantum intra Martium et Octobrem anni 1080 (quo Rudolfus occubuit) coronam illam ei dono mittere potuisse [5]). — Cum etiam alii et quidem utriusque partis scriptores [6]), Rudolphum regem jam ipso die consecrationis simultate inter milites ejus et cives Moguntinos exorta, sive Moguntia discessisse sive inde ejectum esse traderent, noster ironice eum cum Sigifrido Ar-

1) cf. Stenzel. I. pag. 418 — 460. II. pag. 148 — 153. de partibus, quas Gregorius in eligendo Rudolfo egerit, ex quibus quidem, Gregorium Rudolfi rebus favisse, manifestum est, non minus tamen illum non ante an. 1080. solum Germaniae regem agnovisse probabile est.

2) sic in epistolis ap. Brunonem. l. c. pag. 216. utrumque Regem vocat, quorum uter ex arbitrio ecclesiae regno pellendus sit, dubium relinquit.

3) vide eorum epistolas ad Gregorium ap. Brunonem. p. 218 — 224. de quibus cf. Stenzel. II. pag. 153 — 156.

4) cf. Baronium. XI. 540. Bernoldi Constant. Chron. ad an. 1080. l. c. pag. 115. Stenzel. I. pag. 460. II. pag. 276.

5) Coronam, cui haec verba inscripta erant, Rudolfo missam esse confirmat Otto Frisingensis de rebus gestis Friderici. I. 7. cf. Stenzel. I. pag. 460. Nota 8.

6) cf. Brunonem de bello Saxonico. l. c. pag. 213. Ekkeh. Uraug. ad an. 1077. l. c. pag. 170. Waltram II. 9. et locos ap. Stenzel. I. 423. cit.

chiepiscopo *noctu aufugisse* retulit, Hermannum porro alterum antiregem, quem nullum in Lotharingia in rebus bellicis et divitiis aequiparare potuisse Ekkehardus praedicat [1]) despectu quodam „militem Hermanni Episcopi (scil. Mettensis)" vocat [2]). —

Denique duo restant, quae Sigiberto a scriptoribus curiae Romanae semper vehementissime crimini data sunt.

1. Refert enim ad an. 1080:

Hildibrandus Papa quasi divinitus revelatum sibi praedixit, hoc anno falsum regem esse moriturum. Et verum quidem praedixit, sed fefellit eum de falso Rege conjectura, secundum suum velle super Heinrico rege interpretata. Rex enim Heinricus Saxonibus gravi proelio congreditur, et in congressu falsus Rex Rudolfus cum multis Saxoniae principibus exstinguitur."

Quae prophetia, qualis re vera fuerit, quoque spectaverit, ut altius perspiciamus, adjuvat nos ipsius Gregorii dictum in epistola ad Episcopum Tridentinum data [3]), cui promittit: „*festum beati Petri non prius transeundum, quam in cunctorum notitia certissime clareat, illum justissime esse excommunicatum.*" Poenam igitur acerrimam Henrico inflictum iri sperare videtur. Id quod anno 1080 evenisse Bonizo docet, ipse partium Gregorii indefessus defensor, qui Pontificem secunda feria post Pascha apud sanctum Petrum, cum Regem excommunicasset, coram populo proclamasse testatur; „*Omnibus vobis notum sit, quod si usque ad festivitatem S. Petri Henricus non resipuerit, mortuus erit aut depositus, quod si hoc non fuerit, mihi credi amplius non oportet* [4])." — Idem dictum Benno inimicissimus Gregorio [5])

---

1) ad an. 1082. l. c. p. 172. cf. tamen Anonymi Vitam. l. c. p. 211.

2) Num vere talis ratio inter Hermannum regem et Herm. episcopum intercesserit, rerum Mettensium scriptoribus perlustratis, non cognoscere potuimus.

3) in Cod. Udalr. Babenb. Nro. 152. ap. Eccard. II. 176.

4) locum Bonizonis Stenzel. II. pag. 156—58. primus attulit.

5) de vita Hildibrandi lib. I. ap. Goldast. Apolog. pag. 4.

ita amplificavit, ut Pontificem dixisse „Regem Henricum usque ad proximum S. Petri festum sine dubio moriturum, aut a regno penitus dejiciendum, in tantum, ut ulterius non posset congregare quam sex milites," atque adjecisse „nullo modo habete me pro Papa ulterius, sed ab altari me evellite si usque ad praedictum festum prophetia haec effectum non habuerit" — perhiberet. — Hanc narrationem multum Sigibertus superat, qui non solum Gregorium Henrico mortem praedicasse, sed ita praedicasse testatur, ut ipso dicto suo Rudolfum regem falsum atque divina poena affligendum prostitueret. Licet igitur Gregorius ardore quodam, justos fines superante tale quid emiserit, id jam uniuscujusque ore ampliatum, a Sig. vero prorsus commutatum vidimus, neque digna narratio ejus videtur, quae a recentioribus repetatur.

2. Ad an. 1085. Sigibertus ita [1]):

Hildibrandus Papa apud Salernum exsulans, moritur. De hoc ita scriptum repperi: Volumus vos scire, qui ecclesiasticae curae solliciti estis, quod Domnus Apostolicus [2]) Hildibrandus [3]) nunc in extremis suis [4]) ad se vocavit unum de XII Cardinalibus, quem multum diligebat prae ceteris, et confessus est [5]) Deo, et sancto Petro et toti Ecclesiae, se valde [6]) peccasse in pastorali cura, quae ei ad regendum commissa erat, et suadente [7]) diabolo contra humanum genus odium et iram concitasse [8]), postea vero sententiam, quae in orbe terrarum profusa est [9]), pro augmento Christianitatis cepisse [10]) dicebat. Tunc demum misit praedictum confessorem suum

---

1) secundum textum Miraei.

2) ap. Florentium (de quo in textu infra) *papa* post Apostolicus.

3) in textu veteri additur: *qui et Gregorius*; *nunc* deest apud Flor.

4) in textu veteri legitur pro: suis: positus; lectionem vero Miraei confirmat Florentius.

5) ap. Florentium inter est: et: Deo: *omnipotenti*; *prae ceteris* deest.

6) ap. Flor. valde se.

7) ap. Flor. suadenteque.

8) ap. Flor. incitasse.

9) in textu veteri et ap. Florentium: effusa.

10) *se* cepisse ap. Flor. *Coepisse* ap. Struv. error sive scribae sive typographi.

ad Imperatorem, et ad totam Ecclesiam, ut optaret [1]) illi indulgentiam, quia finem vitae suae adspiciebat. Et tam cito [2]) induebat se angelicam vestem [3]), et dimisit ac dissolvit vincula omnium bannorum [4]) suorum Imperatori, et omni populo Christiano, vivis et defunctis, clericis et [5]) laicis, et jussit suos [6]) abire de domo Deoderici [7]), et amicos Imperatoris adscendere.

Hoc a Sigiberto temere fictum esse acerrimi tantum rerum Imperatoris adversarii contendere potuerunt; cum potius cum documentum illud legisse non desint argumenta. *Idem enim exstat apud Florentium Wigorniensem ad an.* 1084. [8]) omissis tantum primis verbis (Volumus — Domnus) adjectis vero in fine post: ascendere: his „*teste Moguntino archiepiscopo. nec multo post obiit*", unde haud dubie clarum fit, et Florentio ob oculos fuisse testimonium illud

---

1) ap. Flor. optarent.

2) ap. Flor. melius *tacito.*

3) sic in edit. princ. et ap. Flor. ap. Struv.: Angelica veste.

4) ap. Florent. bannorum omniumque.

5) ap. Flor. *ac.*

6) sic et in textu veteri. ap. Flor. *eos.*

7) ap. Flor. *Theodorici.*

8) Varias lectiones, quae ap. Florentium inveniuntur, supra in notis attulimus. — De loco actorum synodi cujusdam a partibus Guiberti Romae an. 1098. habitae libello Bennonis de vita Hildibrandi adnexorum (cf. Baronium. XI. pag. 716 — 717.) quo excerptum ex eodem documento de poenitentia exstat (cf. ap. Goldast. Apolog. p. 17. Hiltebrandus — erat commissa; et supra p. 139. l. 16. Hildibrandus — lin. 22. commissa erat. Atque hunc — veniam et supra lin. 25. Tunc demum — p. 140. l. 2. indulgentiam) taceo, quia in codice manuscripto Bennonis et aequali, et in aliis textu edito longe ampliori, qui nunc Bruxellis exstat, eum deesse video. cf. Archiv VII. pag. 873. — In Cod. Musei Britannici Cotton. Nero. C. V. S. XI. exstat fol. 1. *Nota de Hildibrandi poenitentia dum in extremis jaceret* (cf. A Catalogue of the manuscripts in the Cottonian library, deposited in the British museum. 1802. fol. auctore J. Planta, p. 234. Pertz Archiv. VII. 73) una cum aliis, inter quae celeber ille Marianus Scotus de quo cf. pag. 115 — 116.

de poenitentia Gregorii, fortasse a Vecilone, qui tunc archiepiscopatum Moguntinum tenebat [1]), in Germania divulgatum quod num in ipsum Chronicon Mariani receptum fuerit quidem dubito, ab alio tamen clerico Moguntino illi adjectum esse non a verisimilitudine abhorrere conjicio [2]. — Hoc Sigib. ita, ut verba, quibus testis ipse ad lectores se convertit, integra reciperet, Florentius ita, ut illis omissis et narratione tantum descripta, qui sit testis in fine apponeret, usus est.

Narrationem vero ipsam esse falsam atque fictitiam, vix dubitari potest. Ut enim de Gregorii indole et animo atque totius vitae regulis, omnibus iis, quae in ea continentur, plane contrariis taceam, narratio Pauli Bernriedensis [3]), qui Gregorium moriturum de his, quos excommunicasset, interrogatum, num quam dispensationem facere vellet, respondisse „*Praeter Henricum regem dictum et Guibertum Apostolicae Sedis invasorem* et omnes illas principales personas, quae aut con-

1) qui Sigifrido, anno 1084 defuncto, successit. cf. Bernoldum Constantiensem ad an. 1084. l. c. pag. 124—125.

2) vide p. 140. not. 8. Qualis vero est illa nota de Hild?

3) Vitae Cap. 110. ap. Mabill. Acta Sanct. Saec. VI. Tom. II. pag. 453. cf. Hugonis Flaviniacensis Chron. ap. Labbé: Bibl. manuscriptorum. I. pag. 232. qui ita enarrat: compulit (Gregorius) eos (scil. Cardinales convocatos ad eum, quum mortem sibi instare cognosceret) Apostolica auctoritate, singillatim sibi dexteras dare, promittentes quod haereticum illum invasorem sanctae et Apostolicae Ecclesiae nunquam reciperent, nisi forte canonice resipiscens puram confessionem Cardinalibus Episcopis offerret nudatus omni Ecclesiastici ordinis dignitate, contestans et affirmans, omnes simul in perpetuum condemnandos, quicumque communicare praesumpsissent Heinrico Archipiratae, usurpatori Imperii, nisi deposita dignitate secundum praeceptum eorum et reliquorum religiosorum in Theutonico regno commorantium condignam poenitentiam ageret. . . . . Demum absolvit omnes, qui in fide ista, quae per illum innotuit, usque ad finem perseveraverint, ab omnibus peccatis suis. cf. Vitam S. Anselmi Lucensis Cap. 32. l. c. pag. 482. cf. Baronium XI. 539. Stenzel. pag. 522—23.

silio aut auxilio favent nequitiae vel impietati illorum, *omnes absolvo et benedico*, quicumque me hanc habere specialem potestatem in vice Apostolorum Petri et Pauli credunt indubitanter" — refert, huic plane contradicit. Accedit primum, quod Victor III statim post electionem „judicium sui antecessoris piae memoriae Gregorii papae super Heinricum et omnes ejus fautores" (i. e. excommunicationem) confirmabat [1]), idque in colloquio Spirensi Cal. Aug. 1087 publice proclamatum, nunquam igitur sublatum videtur; deinde quod jussum illud Papae, domum Theoderici i. c. turrim Crescentii, sive castellum S. Angeli Imperatori tradendi, eventum non habuisse certum est, quippe quum arx illa usque ad an. 1091 in potestate partis papalis et Normannorum esset [2]), denique quod testimonium Vecilonis, qui a partibus Imperatoris stabat, atque Romae excommunicatus est [3]), spurium hoc documentum tueri vel ullam ei auctoritatem comparare non potest. — Gregorium omnes (praeter Henricum et Guibertum aliosque adversae partis principes,) sive paucis ante obitum, sive ipso obitus die [4]) solemni quodam ritu ab anathemate absolvisse, atque quaedam de vitae suae normis, consiliisque in posterum adhibendis adjecisse, non solum Pauli Bernriedensis et Hugonis Flaviniacensis narrationibus [5]), sed etiam testimonio testis oculati (Aganonis) Episcopi Augustodunensis [6]), viri — ut rebus ab eo gestis

---

1) cf. Bernoldum ad an. 1087. pag. 134. ad an. 1089. pag. 140.

2) cf. Bernold. ad an. 1084. pag. 122. 123. ad an. 1091. pag. 144.

3) de quo cf. Bernold. ad an. 1084. loc. sup. cit. ad an. 1085. pag. 127. 129. ad an. 1088. pag. 138.

4) Obiit die 25. Maji anni 1085. Paulus Bernriedensis diem actus illius non certo definit; Hugo Flaviniacensis XV. cal. Junii, Episcopus Augustod. die ipso obitus evenisse tradit.

5) Has inter se paululum discrepare, primo aspectu patet; Hugo ornato magis stylo enarrasse videtur.

6) quod primum Mabillonius (Annal. Benedict. Tom. V. pag. 214.) „e veteri quodam Codice monasterii S. Petri Catalaunensis" excerpsit, Waitz nuperrime (Archiv. VII. 220.) ex eodem Cod. edidit. Est igitur tale:

probatur — nec pravi et partibus pontificum addicti [1]) confirmatur. — Hunc jam, quae audierit, in eo falso retulisse quod Gregorium „cunctos quoscunque modo a se anathematizatos" absolvisse enarrat, manifestum est; ex hoc actu vero adversarios Gregorii, eadem, quae ille moriturus publica Cardinalium concione egerit, tanquam peccatoris confessiones coram uno teste (Cardinali) acta esse, illum hoc secreto colloquio Imperatori ab anathemate absoluto omnia cessisse, seque ipsum omnium discordiarum reum proclamasse vel de normis vitae suae haesitasse [2]) — divulgandi occasionem cepisse neminem fugere potest.

Sigiberto vero facile condonabis, quod illis fidem dederit et quae parti Pontificum adversarentur, nimio interdum studio receperit, si quae ejus, eorumque, quibus adhaerebat, condicio in discordiis inter regnum et sacerdotium fuerit, intelliges.

Episcopus Augustidunensis post biennium rediens ab Hierosolimis interfuit depositioni Domni pape Gregorii et asserit, ante octo dies diem et horam obitus praedixisse, nec omnino lectulo decubuisse, sed ipso die sui transitus ecclesiam adiit allocutusque publice cum clero populum totius Salerne urbis primo de credulitate corporis et sanguinis Domini nostri, deinde *de intentione totius sui operis imposita sibi stola absolvit cunctos quoscunque modo a se anathematizatos*, ac post incedens genibus et manibus altare adiit viaticum corporis et sanguinis Domini inde sumens sicque domum reversus hora qua praedixerat, obiit, praedicto pontifici superinponens totum suae sepulturae officium, etiam divisionem modicae quam habebat substantiae.

1) In testimonio quidem nomen Episcopi omittitur, cum vero Agano ab anno 1055 sive 1059 usque ad an. 1098. episcopatum Augustodun. teneret, hunc obitus Gregorii testem fuisse cum Mabillonio l. c. et auct. Hist. litt. Franc. VIII. 462. conjicimus. — cf. de eo praeter hos etiam Galliam Christ. IV. col. 383—384. et prob. col. 79—83.

2) Quantum haec distent a dicto illi Gregorii egregio: Dilexi justitiam etc. (cf. apud Paul. Bernried. Hugonem Flaviniac. et biogr. S. Anselmi loc. cit. Ottonis Frising. Chron. VI. 36.) vix moneo.

II. DE VITAE SIGIBERTI RATIONE POLITICA EJUSQUE LIBELLIS POLITICIS.

Sigibertus jam ad virilem aetatem progressus erat, cum primae inter Imperium et Pontificatum discordiae exorirentur. Vitam in monasterio Gemblacensi, quod ad Leodiensem dioecesim pertinebat, agens ille non potuit, quin et Leodiensium partibus sese addiceret, atque quicquid ingenio et facultatibus, auctoritate valeret, matri Ecclesiae devoveret. Jam antea demonstratum est, ad quantum in episcopatu Leodiensi Wazonis potissimum studiis ac meritis et litterae florem et religio fervorem ardoremque provectae fuerint [1]). Viguerunt hae etiam tempore successorum Wazonis, atque fortasse inconcussae per multa genera stetissent, nisi Episcopatus jam ampla saeculari potestate gaudens, ipsa Sigiberti aetate, partium studiis adeo perturbata, bellis et discordiis multimodis vexatus esset. De quibus ut accuratius exponamus, paullo altius historiae filum deducamus.

In regionibus Lotharingiae inferioris et Belgiae potentissimi erant hac aetate marchiones Flandriae, quorum potestatem a Balduino ferreo, Caroli Calvi genero, conditam atque labentibus rebus imperii Carolorum auctam esse satis notum est [2]). — Cum Balduinus (IV) comes anno 1006 Arnulfum comitem aggrederetur, Henricus II quidem expeditionem contra eum instituit, quae tamen, etsi Henricus comitem armis coercuit, eo tetendit, ut castrum Valentianense postea, haud

---

1) vide supra. pag. 7.

2) cf. Warnkönig: Flandrische Staats- und Rechtsgeschichte. I. p. 90 sq.

dubie anno 1013 Valacras feodum imperii acciperet [1]); Balduinus V, quem vocant Pium sive Insulanum, anno 1046 cum Godefrido Lothariorum duce contra Henricum III rebellans [2]), quamvis terra sua repetitis expeditionibus devastata, in pace anni 1057, quae occupaverat, tenuit, et quinque insulas Zelandicas — tunc uno nomine Valacras nominatas — feodum accepit [3]). Philippi regis Francorum, ab anno 1060 — 1067 adhuc minoris, vices et tutelam gessit [4]); Guilelmum Normannorum ducem, generum suum, in occupanda Anglia adjuvit; cum jam antea, Balduino, filio suo natu maximo Richildi filiae Ragineri IV comitis Hannoniensis, comitis Herimanni viduae atque ipsi haeredi comitatus Hannoniae, marito obtruso [5]), totam illam regionem sub potestatem domus suae redegisset [6]), postea, ne potestas ab ipso constituta iterum debilitaretur, bona sua inter filios ita partitus est, ut Balduino illi etiam omnem comitatum Flandriae haereditarium

1) cf. loc. supra pag. 98. Nota 5 et 6. citatos. Warnkönig. I. pag. 117. cum notis.

2) cf. supra pag. 108. cum nota 3.

3) cf. Stenzel. I. pag. 189. et loc. ibid. cit.

4) Quo munere functus se ipsum intitulavit: Ego Balduinus, Flandrensium comes, Marchio et Philippi Francorum regis ejusque regni Procurator et Bajulus. cf. Warnkönig l. c. pag. 119.

5) Sigibertus Balduinum an. 1051. comitatum Hannoniensem invasisse tradit. Eodem tempore Richildis ad matrimonium cum Balduino (VI Flandrensium, I Hannoniensium) comite ineundum coacta est. cf. Gisleberti Montensis Chron. Hannoniae ap. Bouq. XIII. 542. Delewarde pag. 299. Stenzel. I. pag. 149.

6) Richildem enim filios e matrimonio cum Herimanno susceptos (Rogerum et Gertrudem) exhaeredasse et ad vitam clericalem destinasse, eandem porro cum marito terram allodialem in comitatu Hannoniensi et Valencenensi sitam, sub principum et nobilium testimoniis, feoda vero, quae ab Imperatore Romanorum tenebantur scil. Abbatiam et Advocatiam Montensis Ecclesiae et justitiam Comitatus per Imperatorem adeptos esse tradit Gislebertus. l. c.

adscriberet, Robertum vero juniorem natu, egregium animo et fortitudine insignem quadam pecuniae summa compensaret [1]. — Quae vero partitio seminarium discordiarum multimodarum facta est.

Nam cum Roberto peregrinanti atque in externis regionibus regnum quoddam occupare studenti res pessime cecidissent [2]), redux factus Hollandiam hostiliter aggressus, Gertrudem Florentii comitis viduam in matrimonium duxit [3]), atque Theoderici V filii illius adhuc minoris tutorem se gessit. — Hoc igitur titulo Hollandia et Frisia occupatis, agnomen *Frisonis*, adeptus rebus egregie gestis apud aequales fama gloriaque insignis erat, et cum fratre etiam Balduino (VI) Flandriae et Hannoniae comite, eo usque amicitiae pervenit, ut is anno 1070 morti proximus, Arnulfo filio majori natu Flandria, Balduino juniori Hannonia ea conditione, ut si alter decessisset, alter in utroque comitatu succederet, data, cum adhuc minores essent, Balduino tutelae Richildis matris commisso, Arnulfi curam et totius Flandriae procuratio-

---

1) cf. Lamberti Aschafnab. locum celeberrimum de lege domestica marchionum Flandriae. ad an. 1071. pag. 344. Genealogiam vetustissimam comitum Flandriae ap. Bouquet XIV. 520. et ap. Warnkönig. l. c. I. Probat. Nro. VI. pag. 16. Hanc partitionem in conventu solemni Aldenardensi a Roberto jurejurando confirmatam esse tradit Herimannus in Narrat. Restaur. Abbat. S. Mart. Tornacensis ap. d'Achery. II. 892—893.

2) quas Lamb. Aschafnab. jucundissime ad an. 1071. enarrat.

3) Inter an. 1061—1063. Cum nonnullis argumentis probari possit, eum et antequam comitatu Flandrensi potitus esset, quaedam jure haereditario possedisse (cf. infra. p. 147. n. 5.) haud spernenda videtur conjectura, cum vel anno 1063 in conventu Aldenardensi dotis nomine quinque insulas Zelandicas, Valacriam, Scaldiam, Zuutbeveram, Nortbeveram, Borseliam, Comitatum ad haec Alostanum cum terra IV Officiorum (Ambachten), vel easdem aliasque terras postea a Balduino fratre accepisse. cf. Kluit: Hist. critic. comitat. Hollandiae. I. 2. pag. 76—77. secund. Meyerum et Jo. a Leidis. Warnkönig. pag. 120.

nem Roberto traderet[1]). Haec testamenti decreta, quamvis Balduinus sacramentis gravissimis sanciri jussisset, mox post mortem ejus turbata et eversa sunt, sive quod Richildis, quippe regnandi cupidine flagrantissima Arnulfi tutelam Roberto eripuit[2]) sive quod Robertus, tutelae munere abusus, Arnulfo expulso, Flandriam haereditariam occupare studebat.[3])

Discordiis exortis cum Robertus quae sibi jure competerent petiturus, Gandavum usque perrexisset, iisque negatis Philippum regem Francorum auxilio advocasset, Richildis Philippum ingenti auri copia corruptum a Roberti foedere abalienavit[4]), praedia, quae ad ejus ditionem pertinebant, confiscavit.[5]) — Robertum irritis rebus reversum mox nobiles Flandriae, quos peregrinae saevaeque Hannoniensium dominationis taedebat[6]), iterum arcessunt. Utraque parte anno 1071.[7]) apud Casletum (Cassel) congressa, ab altera Robertus, ab altera Richildis ca-

1) cf. Gisleberti Chronicon Hannoniae. l. c. — Errat igitur Lambertus, Balduinum in pugna cum fratre Roberto occubuisse enarrans, quippe quum is XVI. Cal. Aug. 1070. ex morbo decesserit.

2) Sic tradunt scriptores Flandrici. ap. Kluit. l. c. pag. 82—83.

3) Sic Gislebertus in Chron. Hannoniensi. pag. 543.

4) cf. Genealogiam comitum Flandriae ap. Mart. et Durand. Thesaur. anecdot. III. pag. 383. sive Chronicon comit. Fland. ap. de Smet. Chroniques de Flandre. pag. 56.

5) Chronicon sive Genealog. l. c. Robertum, Gandavum profectum, Richildem de paterna haereditate sibi reddenda interpellasse, Chron. com. Fland. e Codd. Brug. et Insul. l. c. p. 57. „Richildis dominium de Aelst, quod spectabat ad Robertum Frisonem tam vi armorum, quam patrimonii jure confiscavit; seriores tunc ei a Richilde bona illa paterna (Comitatum Alostanum, quatuor officia, Insulasque Zeelandicas. cf. p. 146. n. 3.) abrogata esse tradunt. cf. Kluit. pag. 82—83. 86. Delewarde, II. pag. 314—315.

6) Richildis enim matrimonio tertio cum Guillermo comite Normanno inito, Flandrenses quam maxime offendit cf. Genealog. ap. Mart. pag. 382. sive Chron. ap. de Smet. pag. 54.

7) cf. Warnkönig. pag. 123. — Sigibertus vero et alii veteres et recentiores, inter quos etiam Kluit, l. c. pag. 86—87. falso pugnam anno 1072. adscribunt.

pitur, quibus utrinque redditis, pugna renovata Hannonienses et Franci, quos Philippus Rex auxilio adduxerat, gravissima clade affecti, et Arnulfus Flandriae marchio, quem non immerito Infelicem vocant, occisus est. [1]) — Robertus statim, a popularibus receptus, Balduino nepote, cui ex testamento patris successio contigit, excluso, Flandria potitus, summa potestate in his regionibus usus est. [2])

Quam calamitatem cum Richildis aegerrime ferret, neque auxilii spes in Philippo esset, quippe qui paullo post pugnam hac lege, ut silvam quandam Bethlo sibi traderet, cum Roberto pacem et foedus iniisset [3]), ista ad alios socios conversa omnia allodia sua in Hannonia sita Theoduino Episcopo Leodiensi, principi potenti sibique satis vicino danda ea lege obtulit, ut ab eo contra Robertum auxilio adjuvaretur et accepta ab ea pecunia, stipendiarios contra illum conduceret. [4]) Theoduinus, postquam habito Leodiensis Ecclesiae suorumque fidelium nobilium et ministerialium consilio, ,tanta allodia tam hono-

1) Sic Gislebertus Chron. l. c. pag. 544. cf. tamen Hist. S. Huberti Andaginensis. l. c. pag. 942. In Genealogia. l. c. p. 384. sive Chron. pag. 61. Robertus post victoriam relatam, dum, sociis hostes persequentibus, solus equitaret, captus et pro Richilde suis redditus perhibetur.

2) Misit quoque ad Imperatorem, qui ei fidelitatis officium offerrent. vide Kluit. pag. 88. et Excursum VII. pag. 195. Robertus quoque Imperatorem Moguntiae convenisse et primum ab eo detentus mox mediante rege Francorum in gratiam receptus atque pace certis condicionibus constituta, homagium de dominio Flandriae (Imperialis) praestitisse traditur. cf. Chron. ap. de Smet. pag. 65. e Codd. Brux. et Ins.

3) Genealog. ap. Mart. sive Chron. ap. de Smet. pag. 61 — 62.

4) cf. Lambert. l. c. pag. 346. Filius Balduini, cum deinceps parum spei in armis Francorum poneret, assumpta matre sua, ad regem Teutonicorum, Heinricum Leodii tum temporis positum, venit, opemque ejus adversus patrui violentiam supplex imploravit, *atque ut magis eum sibi obnoxium faceret*, comitatum Reginheri quondam comitis cum castello munitissimo, Mons nomine, . . .

rifica laetissimo animo accepit, eadem ipsi Richildi et ejus filio Balduino in feodo ligio tenenda concessit, satisque amplam iis pecuniam suggessit. Haec omnia, pluribus illustrissimis testibus praesentibus, Fossis in tabulas recepta atque publica auctoritate confirmata et promulgata sunt.

Deerat adhuc confirmatio Henrici IV [1]), a quo tamen Theoduinus, qui illi carissimus erat [2]), mox impetravit, ut cum consensu Richildis et Balduini omnia, quae comes teneret, Episcopatui Leodiensi traderentur. [3]) — Inde statu-

---

sancto Lamperto tradidit: quae rursus episcopus Leodiensis duci Godefrido, ille itidem ipsi filio Balduini, beneficii loco dedit. cf. Historiam S. Huberti l. c. pag. 943. Gisleberti Chron. Hannononiae. pag. 544. qui rem ipsam simili modo enarrant, Godefridi tamen ducis in hac infeodatione nullam mentionem faciunt. — Gisleberti verba in his potissimum secuti sumus, cum haud dubie ex actis ipsis (nisi coaetaneis, tamen secundum veram rerum rationem compositis) hauserit.

1) Diploma confirmationis regiae (ap. Vinchant: Annales du Hainaut. pag. 191. Chapeaville. II. 12. cf. Stenzel II. 255. Böhmer Nro. 1842.) signatum est V Idus Maji. an. 1071. (cui Ind. IX. annus ord. Henrici 17, regni 15. optime concordant). Kluit igitur (vide supra pag. 147. Nota 7.) comitatum episcopo Leodiensi ante pugnam Casselensem oblatum esse statuit, quod vero tam universa rerum condicione, quam scriptorum plurimorum (scil. Lamberti, monachi Hubertini, Gisleberti etc.) auctoritate refellitur.

2) In diplomate modo citato rex ipse de eo „memores quoque servitii quod devote tam mihi quam patri meo frequenter impendit, praecipue autem fidei et fidelitatis quam omni tempore stabilem experti sumus in eo, erga nos et regnum nostrum."

3) In diplomate ipso „Dedimus ergo illi (Theoduino) et Ecclesiae suae Mont et Belmont et Marcham Valentianas, Abbatias quoque sanctam *Waldetrudem*, sanctam Aldegondem cum Praepositurïs suis. Abbatiam sancti Gillani (Gisleni) Abbatiam Oltmontem, Praeposituram S. Vincentii, etc. etc. cf. porro supra pag. 145. Nota 6. Gislebertum l. c., quem, quamvis rerum domesticarum valde gnarum, in eo, quod ex infeodatione illa praedia S. Waldetrudis excepta fuisse tradit, diploma ipsum erroris convincit.

tum est inter alia, ut Richildis et ejus filius Balduinus sub una manu et uno hominio ligio universa allodia sua et familias et feoda ab Episcopo Leodiensi reciperent, ut Comes Hannoniensis in omnibus expeditionibus episcopo servitium et auxilium deberet, idque ipsius Episcopi sumtibus, quoties Comitatus sui fines supergrederetur, atque ut cum comite tres Hannoniae Castellani, scil. Castellanus Montensis, et Bellimontensis, et Valencenensis hominium facerent Episcopo Leodiensi, atque promisit Comes velle se, aut si quod allodium in toto Comitatu Hannoniensi sibi daretur, id postea pro feodo accipere, aut si quod allodium intra terminos sui Comitatus vel servos vel ancillas in proprietatem sibi acquireret, statim ea ab Episcopo Leodiensi cum alio feodo suo tenere. [1])

En satis speciosam donationem, qua — si conditiones ejus caute observabantur — Leodiensi ecclesiae summa quasi opulentissimi comitatus potestas affluit, atque castella, quae antea illi maximo incommodo fuissent [2]), et comitis et castellanorum jurejurando ei obstringebantur — quae tamen, num revera ei saluti fuerit, valde potest dubitari. — Hac enim parta, opes Ecclesiae quam maxime imminutae sunt. Conqueritur inde monachus S. Huberti aequalis, coemtionem hanc ecclesias episcopatus gravissime afflixisse, suam maxima ex parte spoliasse [3]); Aegidius Aureae-vallis Religiosus — majori ecclesiae centum libras auri, atque centum circa septuaginta quinque marcas argenti ademptas esse [4]) enarrat. —

1) Gislebertus. l. c.

2) Nam in diplomate regio. „Cum enim castella Mont et Belmont Episcopatum illum diu multumque saepe vexassent."

3) cf. Historiam Andag. l. c. Nro. 34. col. 942. cf. Gisleb. l. c.

4) ap. Chapeaville. II. 11 Nam de majori Ecclesia centum libras auri, consilio Dni Hermanni Praepositi, Walteri Decani, caeterorumque fidelium suorum accepit de thesauro praefatae Ecclesiae calicem magnum aureum, cum patena, crucem etiam auream, in qua erat lignum Domini, monile aureum, cristam auream, duas

Hoc vero damno gravius erat, quod inde Leodiensis ecclesia, cui litterarum rerumque divinarum flos maximo decori et ornamento erat, magis magisque in saeculares curas abrepta atque partibus Henrici tam universa condicione politica quam singularibus beneficiis firmius adstricta, rerum adversarum, in quas ille incidit, particeps facta, ne apud posteros quidem sanctitatis famam servavit.

Roberto enim Frisoni jam propter hoc, quod juvenis adhuc Comitatui Hollandensi succurrerat, hereditariae quasi cum Imperatore et episcopis Lotharingiae ejus sociis discordiae. — Se enim maxime offensis atque spoliatis, Theodericum Arnulfi Gandavensis filium, olim regiones illas sibi subjecisse atque comitatum instituisse — episcopi clamitabant. Jam igitur Henricus II, Adelboldi Ultrajectensis Ep. clamore excitatus, contra Theodericum expeditionem parari jusserat. Quae res cum in pugna memoratu dignissima (1018) tam infelicem habuisset eventum, ut ipse Godefridus Lotharingiae Dux caperetur, et impunitate tantum Frisonibus cum Theoderico pacta remitteretur [1]), nihil palam postea in eum perpetratum atque Theodericus comitatu Hollandensi integro usus haeredem habuit Theodericum IV, qui tamen ab adversariis antiquis inprimis epp. Ultrajectensi, Leodiensi (et Mettensi) victus an. 1049. in marca Phladirtinga Dordraci occisus est [2]), cujus et frater Florentius cum bellum in principes et episcopos Lotharingiae vario eventu persecutus esset, anno 1061 per insidias occisus est [3]). Tunc Gertrudi viduae

---

armillas aureas, calices argenteos cum patenis, urceos, candelabra, tabulam argenteam cum argento alio circiter marcharum 175.

1) cf. Chron. Bald. III. 14. pag. 263—266. Alpert. II. 20. 21. supra pag. 103. cum Nota 2. cf. Chronic. Egmondan. ad an. 1018. cum notis Kluit. l. c. I. 1. pag. 43—44. et Excursum III. ibid. I. 2. pag. 32 sq. Probb. II. 1. pag. 64. sq.

2) cf. Herm. Contr. Cod. Aug. ad an. 1049. ap. Ussermann l. c. p. 122. Chron. Egmond. ad an. 1048. ap. Kluit. I. 1. p. 46. cum Nota 51.

3) cf. Chron. Egmond. ad an. 1058 et 1061. l. c. pag. 49—50. cum Nota 59 et 61.

relictae, undique impugnatae, nihil fere reliquum esse videbatur, quam ut nuberet Roberto eumque Theod. minoris tutorem constitueret [1]). — Quin etiam, si diplomatibus quibusdam fidem habeas, Henricus rex illud tempus opportunum, quo potestatem jam ab initio imperio hostilem infringeret, esse arbitratus anno 1064 omnes possessiones a Theoderico (III) ecclesiae Ultrajectensi ablatas eidem publice restituit [2]), atatque ita nepoti tenello eripuit, quae avus quinquaginta fere annis ante armis occupaverat. — His quam maxime congruit, quod cum adversarii per septem annos in terram illam, a Roberto optime administratam nihil efficere potuissent, anno 1071 Godefridus Gibbosus Dux et Wilhelmus Ep. Ultrajectensis cum exercitu regali, Robertum Flandrico bello adhuc ancipiti intentum, in Hollandia aggressi sunt, et copiis ejus fusis eoque cum uxore expulso, terram sub suam potestatem redegerunt. [3])

Quae cum ita sint, quid magis consentaneum existimandum est, quam quod Rex et Episcopi ei adhaerentes, statim Robertum tunc victorem, Flandriae dominum suspectum haberent [4]), eorumque plurimum interesset, hac infeodatione comitatus Hannoniae nova quaerere subsidia, quae

---

1) ibid. ad an. 1063. pag. 51. cum not. 63. et 64.

2) ap. Heda. Episc. Traject. cum notis Buchelii. pag. 128—130. die II Cal. et VI. Non. Maji anni 1064 Weredae data. ap. Böhmer Nro. 1779 et 1780. cf. Buchelium. l. c. pag. 134. Nota c.; Kluit l. c. I. 2. pag. 47. 56. pag. 80. cf. tamen Stenzel. II. 245. Leo. pag. 651.

3) Chron. Egmondan. ad an. 1071. p. 53. cf. notam. 67. Kluit I. 2. pag. 81. 85. Joh. a. Leidis Chron. lib. XIV. 1. ap. Swert. Annal. Belg. pag. 135. Wilhelmum Episc. tunc Godefrido Gibboso comitatum feodum obtulisse refert.

4) cf. supra. pag. 148. Nota 2. Adde, quod Gertrudis ipsa Bernardi ducis Saxonum filia, e gente igitur, cum qua Henricus rex perpetuas fovit discordias, prognata erat.

ei opponere possent. — Attamen Richildem nihil fere juvere copiae illae Ducis Bulloniensis, comitum Namurcensis, Lovaniensis, Montis - Acuti, Cymachi, Alti - Montis multorumque aliorum, quas de accepta ab Episcopo Leodiensi pecunia conduxerat [1]), nam a Roberto (anno 1072) apud Broqueroiam [2]) maxima clade prostratae sunt; Richildis mox rebus saecularibus abdicatis, piis operibus se devovit, Romam, haud dubie religionis causa adiit, atque poenitentiam pro peccatis egit severam [3]); Balduinus — bello per aliquot annos vario eventu protracto [4]), atque etiam Duaco per dolum Roberti amisso [5]) — Flandriae renuncians, solaque Hannonia contentus inferior evasit. — Neque melius cessere res adversariorum Roberti in Hollandia. Nam cum provinciam illam per plures annos occupatam jam sibi vindicasse viderentur, anno 1076 Godefridus per sicarium — fortasse Theoderici [6]), qui interdum ad juvenilem aetatem pervenerat [7]), sive ipsius Roberti impulsu [8]) — occisus et Wilhelmus Ultrajectensis defunctus

1) cf. Gisleberti Chron. l. c. pag. 547.

2) cf. Gislebert. l. c. Regio illa postea ob cruentissimam cladem Mortalis - haya vocata est.

3) cf. Gislebert. l. c. Chron. Comit. Flandriae ap. de Smet. l. c. pag. 63 — 64. Hist. Andag. Nro. 63.

4) cf. Sig. ad an. 1072. Ms. Ortel. ad an. 1076. Gislebert. l. c.

5) Gislebertus enim Robertum cum eo pactum de ipsius nepte valde deformi virgine in matrimonium ducenda hac sub conditione iniisse, refert, ut „si a nuptiis juratis retrocederet, castrum Duacense pro quadam pecuniae summa ei traderet," cui narrationi Bouq. XIII. Praef. pag. LVII. argumentis minus idoneis adversatur.

6) Chron. Egmond. ad an. 1075. (perperam pro 1076) Godefridus Dux Gibbosus secessum petens latrinarum ut ventrem purgaret, graviter et turpiter a quodam Gisleberto Theoderici filii Florentii Comitis sexti proprio famulo vulneratus . . obiit.

7) ibid. ad an. 1076.

8) cf. Lamb. Aschafnab. ad an. 1076.: in civitate, quae dicitur Antwerpha, occisus est per insidias (ut putabatur) Roberti Flandren-

est [1]). Tunc Theodericus V, haereditatem paternam sibi eripi diutius non passus, bello cum Roberti auxilio renovato, Conrado episcopo, Wilhelmi successore ipso capto eoque — fortasse sub hac conditione, ut Hollandiae comitatui plane renunciaret — dimisso [2]) rebus suis potitus firmam atque pacificam condidit potestatem. — Roberto auctoritas maxima accrevit; nam Henricus IV, homagio ab eo accepto [3]), potestatem ejus, etsi non fovisse, tamen diminuere non ausus esse videtur; sororem Roberti jam antea duxerat Willelmus Rex Anglorum; Philippo Francorum regi ipse privignam collocabat, suam vero filiam Cnutoni, Danorum regi eoque occiso, Rogero Apuliae duci desponsabat [4]). — Quamquam, jure ecclesiae posthabito, Morinensi episcopatui obtrusit Lambertum antistitem, atque clericos spolii sive exuviarum jure vehementer vexavit, tamen et Gregorius VII [5]), et Urbanus II [6]) eum verecundia quadam prosecuti, atque, ne severius in eum agendo, sibi ini-

sis Comitis. Hist. Andagin. l. c. pag. 951. per quosdam necessarios Roberti cf. locos omnes coll. ap. Kluit. I. pag. 56. Nota 73.

1) Kluit. l. c. Nota 75. Quanti momenti obitus Godefridi et Wilhelmi in rebus Henrici IV fuerit cf. etiam locos pag. 153. Nota 8. citatos et Stenzel. I. pag. 398.

2) cf. Chron. Egmond. ad an. 1076. cum notis Kluit Nro. 77—81. Joh. a. Leidis XV. 1. ap. Swertii Annales Belgic. pag. 137.: „ita ut Conradus Episcopus necessitate coactus in deditionem transierit *et Hollandiam Theoderico libere resignaret.* His itaque gestis idem Hollandiae Comes Conrado Episcopo condignam exhibuit honorificentiam, quem cum aliis captivis a prisione solutum commisit ad civitatem propriam."

3) cf. supra pag. 148. Nota 2. cf. Kluit. I. 2. pag. 195.

4) cf. Herimanni Narrat. Restaur. Abb. Tornac. ap. d'Achery. II. 893. Chron. Comit. Flandriae pag. 64. 66.

5) vide Epp. VI. 7. ap. Mansi XX. col. 262. VII. 1. ibid. col. 288. IX. 32. 33. 34. col. 365—370. epistolas libro IX. adnexus e Gall. Christ. ap. Mansi col. 371—372. XI. 1. col. 372. cum quibus cf. Meyerum ad an. 1079. Gall. Christ. X. col. 1540 sq.; cf. Hariulfi Vitam S. Arnulfi Suessionensis. lib. II. Cap. 13. ap. Mabill. VI. 2. pag. 535.

6) cf. Genealogiam Flandriae vetustissimam ap. Warnkönig l. c. — Warnkönig. pag. 124. vide infra de rebus Atrebatensium.

micum reddere possent, veriti esse videntur. Sic potestatem et armis et foederibus ubique firmatam filio Roberto, quem jam paucis ante obitum annis, iter Hierosolymitanum ingressurus, regni socium adsciverat, reliquit [1]). — Num ecclesia Leodiensis, quae in his regionibus imprimis se sociam Henrici IV gerebat, his opibus par erat?

Cujus cum antistes Theoduinus anno 1075 diem obiisset supremum, Godefridus Dux ab Imperatore impetravit, ut nemini concederet donum episcopatus, nisi quem ille praesentaret ei, atque Henricum, tunc archidiaconum Virdunensem quamvis invitis Leodiensibus, liberae electionis jus tuentibus ad hanc dignitatem provexit [2]). — Henricum inter Episcopos schismaticos, i. e. illos, qui partes Imperatoris in Germania fovebant, conciliisque ab illo convocatis intererant, numeratum esse probabile est [3]); at nulla simoniae culpa maculatus tam honestum legibusque ecclesiasticis addictum se gessit, ut Wolbodone, Abbate S. Laurentii Leodiensis, ob crimina quaedam male notato, expulso, neque precibus neque minis regis, ut eum restitueret, commotus Beringerum virum probatae sanctitatis in locum ejus substitueret [4]), Luiponem, qui post Adelardi II Abbatis obitum monasterium S. Trudonis cum militibus invaserat, (die 15. Junii 1085) excommunicandum curaret [5]), atque tantum Henrico in curia Aquisgranensi die Nativitatis Domini ejusdem anni celebrata acrius instante, ut eum absolveret, commoveri potuit [6]).

---

1) Warnkönig. l. c. Obiit Robertus an. 1093. cf. Sig. Ms. Lips. ad an. 1086. 1093.

2) Hist. Andagin. l. c. col. 949. Nro. 39. cf. Greg. epp. II. 61.

3) cf. praeter alios Waltramum Numburgensem II. 20. pag. 122. ubi in synodo Moguntiaca anni 1085 inter episcopos Henricianos memoratur *Henrichus Episcopus Leodiae.*

4) cf. Hist. Andagin. Nro. 41. col. 950—951. Hist. S. Laurentii Leod. lib. V. Cap. 20. ap. Mart. et Dur. Coll. IV. col. 1070. cf. Greg. epp. IV. 21.

5) cf. in Rodulfi Gestis abb. S. Trudonis lib. III. ap. d'Achery Spicileg. ed. de la Barre. II. p. 666—667. — Anno 1085. dies XVII. Cal. Julii in Octavas Pentecostes incidit.

6) cf. Rodulfum l. c. pag. 668.

Itaque inter utramque partem haesitans, modo partis imperatoriae impetui cessisse, modo propria et religiosa consilia secutus esse videtur. [1])

Qua porro ratione cum curia Romana usus sit, non plane liquet. Confirmat primum epistola Gregorii VII, eum num funeri Wilhelmi Ultrajectensis honores ecclesiastici praestandi sint, dubitantem ad auctoritatem ecclesiae Romanae appellasse (1076), eique igitur non in omnibus detrectasse [2]); docet alia Gregorii epistola VIII. Id. Oct. 1078. data [3]). Henricum, quod Papa Weremboldum quendam parochianum Leodiensem cum uxore sua a se excommunicatum absolverit, aegre tulisse, et inde nonnulla dicta parum reverentia vel mordacia in litteris ad illum datis protulisse, quin etiam Pontificem suspicatum esse, Henricum inter eos esse, qui consiliis Regis faventes, ipsi in Germania resisterent [4]), episcopum tamen an. 1079. vel an. 1080. consilium Romam proficiscendi cepisse, atque bona amicitia cum pontifice usum esse eo probatur, quod hic, cum ille in itinere ab Arnulpho quodam co-

---

1) cf. de rebus ab eo in monasterio S. Trudonis gestis. l. c. pag. 667—672.

2) cf. Epp. Gregorii lib. IV. ep. 6. Dat. Romae V. Cal. Novbr. (1076) ap. Mansi Coll. conc. XX. col. 213—214.

3) ibid. VI. 4. l. c. col. 259—260.

4) His enim verbis eum allocutus: Gregorius episcopus servus servorum Dei Henrico Leodiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem, *si contemptoribus Romanae synodi habitae in praeterita quadragesima non communicat:* addit in fine: Contemptores quippe synodi in praedicta nostra salutatione illos notamus, qui aliquo ingenio vel violentia conati sunt impedire ne concilium aut conventus fieret in Teutonicis partibus; in quo solerti inquisitione recognosceretur utrum Henrico an Rodulpho magis justitia faveret de gubernaculo regni. — Suspicabatur vero pars pontificia non immerito, Henricum (anno 1078) publice consilio papae, conventu generali rem decernendi assentientem, clam in omnibus adversarium se gessisse. cf. Stenzel. I. pag. 437.

mite spoliatus, et ut juraret, „se ablata nunquam repetere et praedoni a papa veniam impetrare velle", coactus esset, eum et epistola consolatoria a jurejurando absolveret, eique et Theoderico Virdunensi ut in praedonem justa causa agerent, mandaret. [1]) — Postea vero, sicut omnes ecclesiae illae, quarum rectores a partibus Imperatoris stabant, schismate jam inveterascente et consuetudine perpetuarum discordiarum accedente, etiam Leodiensis connexu cum curia Romana magis magisque caruisse videtur, donec Henrico Episcopo defuncto (1091) [2]) acerrimae cum ea efflagrarent discordiae.

Tunc Otbertus quidam, quem — si inimicorum ejus dictis fidem habemus [3]) — praepositum ecclesiae S. Crucis criminibus convictum Henricus Ep. de civitate exturbaverat, neque nisi Beringero abbate, apud quem profugus latuerat, suadente in gratiam receperat, in Longobardia in curia Imperatoris versatus ejusque consuetudine et gratia auctus, ab eo sine ecclesiastica electione episcopatum extorsit et maximis praemiis pactis et jurejurando fidem illi servandam confirmans. — Huc accedit pejus malum, quod et Luipo quem Henrico Ep. vix mortuo, Henricus Comes Lovaniensis armis restituere conatus est[4]), et Wolbodo ad Impe-

1) epp. lib. VII. 13. et 14. ap. Mansi l. c. col. 298—299. datas tertio Cal. Februarias anni 1080. cf. Append. alter. epist. XI. ap. Mansi. l. c. col. 625. Bouillé: Hist. de Liège. pag. 115—116.

2) Sig. ad an. 1091. Bonae memoriae Heinricus Leodicensium Episcopus, amator pacis et religionis obit.

3) Hist. Andagin. Nro. 80—81. l. c. col. 973. 974. Hist. S. Laur. Leod. V. 23. l. c. col. 1072. — Rud. Gest. abbat. S. Trudonis. pag. 673. ita: Nunc vero quidam Canonicus S. Lamberti, Olbertus nomine Praepositus in eadem civitate in Monasterio sanctae Crucis jamdudum ad Imperatorem in Longobardiam profectus fuerat spe adipiscendi Episcopatum Leodiensem etc.

4) cf. Rodulfi Gesta Abb. S. Trudonis. lib. IV. l. c. pag. 672.

ratorem pergentes et accommodatum sibi ex hac re fructum petentes, illi et episcopo pecuniam maximam pacti, impetrarunt, ut Otbertus, se illos loco abbatum legitimorum in monasteria sua restituere velle juraret [1]), quorum uterque, quae Henrico solvenda deberet, bonis ecclesiarum dispersis vel tributis immodicis violenter extortis, sibi parare posse speravit.

Initium hoc episcopatus Otberti, qui mox ab Urbano papa est excommunicatus [2]), plurima mala secuta esse ferunt aequales. Leodium enim reversus, foedis emptionis condicionibus satisfecit; Luiponem et Wolbodonem restituit, Florinensem Abbatiam Gisleberto, praeposito Hasteriensi, Broniensem Guiremundo cuidam S. Jacobi monacho taxato pretio vendidit. — Beringerum, e monasterio S. Laurentii expulsum excipiebat Theodericus abbas monasterii S. Huberti Andaginensis, cujus ille antea fuerat monachus. Theodericus pro loco suo in dioecesi Leodiensi magna potestate gavisus esse videtur; erat enim haec abbatia a Theoderico I, abbate modo defuncto (an. 1086) omnibus bonis aucta; acceperat is a Gregorio VII privilegium, quo monasterium in

1) Confirmatur ibi narratio scriptorum Leodiensium, S. Huberti et S. Laurentii narratione Rudolfi Trudonopolitani. l. c. qui Luiponem gravissima pecunia hoc apud Imperatorem effecisse, ut Otbertus factus Episcopus Leodiumque reversus et consecratus, secundum jussionem Imperatoris eum consecraret in Abbatem sancti Trudonis, refert, quo ducti, harum rerum fidem Aegidii silentio non imminui existimamus. — In Historia S. Laur. Leod. l. c. Wolbodo ccc marcas regi dedisse traditur.

2) Quando Otbertus primum ab Urbano excommunicatus sit, non liquet. In epistola ad Beringerum Abbatem S. Laurentii Leodiensis (ap. Mart. et Dur. Coll. ampl. I. 553. Mansi XX. 915.) Urbanus de eo haec dicit: Quem nos ex decreto concilii a nobis nuper acti damnatum auctoritate Dei et beati Petri et sanctae Romanae Ecclesiae cui auspice Deo deservio, jam excommunicavimus etc.

tutelam et defensionem apostolicae sedis susciperetur, atque id, quamvis ecclesia, Theoduino adhuc episcopo, eum propter hoc publice aggressa esset, integrum reservarat [1]); gratia et auctoritate pariter apud Henricum episcopum valuerat. [2]) — Inde Otberto accidit infaustissimum, ut Theodericus (II) et monachi Hubertini actione ejus omnibus ecclesiae legibus contraria adeo exacerbarentur, ut, cum omnes se cum illo excommunicato nullo modo communicare velle proclamarent, tum abbas ipse Beringerum in dioecesim Remensem comitaretur eique, cum a Rainaldo archiepiscopo consolationem accepissent, cellam Ebernei-Cortis ad ditionem monasterii sui pertinentem, habitaculum concederet [3]). Quo factum est, ut Otbertus, habito cum suis consilio, eum de his criminibus, „quod papam Urbanum et Rainaldum Remorum pontificem in consiliis suis adhibuerit, imperatorem dominum et se ejus episcopum suo instinctu excommunicaverit, et per hoc eum excommunicatum probaverit, quod se suosque ab ejus communione subtraxerit, fratresque ab ordinibus ejus prohibuerit, insuper Beringerum publicum praeconem suae infamiae ad ejus injuriam retinuerit," in judicium, publice Leodii

---

quibus eum jam ante illud tempus, quo Beringerus ab Otberto vocatus rediit, igitur ante finem an. 1095 (nam Beringerus in cella Ebernei-Cortis per tres et dimidium annum exsulasse dicitur. Hist. S. Laur. V. 25. col. 1073.) excommunicatum esse probatur. — Conjicit Martene in nota ad Hist. S. Laur. Leod. l. c. col. 1075. Urbanum in concilio Claromontano, Beringerum sede sua pulsum esse, audiisse, et inde ad eum hanc epistolam edidisse, quod vero nullo argumento confirmari potest.

1) cf. Vitam B. Theodorici No. 25. ap. Mabill. Acta Bened. VI. 2. pag. 575—76. Hist. S. Huberti. Nro. 35—38. l. c. col. 943—949. cf. Ep. Greg. II. 61.

2) Sic fiscum Caviniacum, quod primum a Richilde in vadium accepit, adjuvante et confirmante Henrico episcopo emit, cf. Hist. S. Huberti Nro. 34. 63.

3) Hist. S. Huberti. l. c. col. 975.

habendum, vocaret [1]); in quo cum eum justa causa opprimere non posset, Theodericus, monachorum consilia secutus, quosdam fratres, et praecipuos ecclesiarum thesauros atque ornamenta secum ferens, secessit atque primum apud Dodonem comitem in castro Cimensi paulum moratus, Beringerum abbatem adiit, ubi a Jeronta abbate Divionensi, qui Hugonem archiep. Lugdunensem et legatum Papae, tunc forte iter Metas facientem (anno 1093), comitabatur, litteras consolatorias, deinde tutelae Hugonis ipsius commendatus, cum suis promissionem auxilii futuri atque jussum, „ne Otberto subessent vel omnino communicarent" accepit. [2]) Otbertus, his omnibus auditis, acriori etiam ira excardescens, festo die S. Johannis apostoli ipsum monasterium ingressus — atque cum monachi festivum introitum ei minime parassent — mirabile dictu — ipsis missarum solemnibus interruptis abbatem absentem et monachos, qui cum eo exierant, publice excommunicasse fertur. — Qua tamen turbulenta et improba invasione cum fratrum animos minime fregisset, eosque nec vi nec precibus a fide abbati praestanda avertere potuisset [3]), Ingobrandum monachum Lobiensem — quo electo fratres ejus Arnulphum et Wigerum, castri Tudetiani nobiliores, qui eum in emendo castro Coviniaco, Balduini comitis Hannoniae heredio, adjuverant remunerari studuisse fertur [4]) — legitima electione neglecta iis, primum mul-

---

1) l. c. col. 975—976.
2) l. c. col. 977—980.
3) l. c. col. 981—982.
4) l. c. col. 983. Exstat diploma emtionis castri *Covino* sive *Coviniaco*, datum XVIII. Cal. Jul. 1096. ap. Miraei Opp. diplom. I. pag. 364. in quo ipsis verbis traditur „Balduinum Hierosolymam proficisci velle." Suspecta inde notitia monachi Hubertini de causa intrusionis Ingobrandi, quippe quae haud dubie jam anno 1093 vel 1094 accideret. (vide supra et infra.) Inter nobiles laicos, qui testes diplomati subscripti sunt legitur: Wigerus de Tudin.

tum renitentibus, post dissidiis internis impeditis, quominus constanter ejus impetui resisterent, abbatem obtrusit [1]. — Is, cum rudior esset et animi simplicioris, otio et licentiae juvenili deditus, talique onere impar abbatiam, antea opulentia et omni honore insignem, desidia invecta et disciplina collapsa ad inopiam redegit, atque divitiis, quae pii majores industrie collegerant, oppigneratis et venditis res ad tempus sustentavit [2]. Eodem modo Wolbodo in bona S. Laurentii saeviit, partim fundos ecclesiae et decimas paulatim oppignerando, partim venditas in perpetuum alienando, bona alia sub annui census condicione emancipando, alia in beneficium alienis heredibus donando [3]. Accessit, quod Beringerus reditus quidam, qui a muliere nobili monasterio S. Huberti offerrentur, Stabulensi ecclesiae tradendos curavit, ne in excommunicatorum manus inciderent, quod et Theodericus abbatiam, sibi ereptam, omnimodo insectatus est, praediorum S. Huberti in episcopatu Remensi vel Lundunensi, Mettensi et Virdunensi sitorum incolae, nullo Otberti respectu habito, ei fideles permanebant [4], quod plurimi monachi S. Laurentii vim Otberti ab eis obedientiam Wolbodoni praestandam postulantis diutius ferre nolentes, hucque illucque dispersi tandem ad Beringerum fugerunt [5], ut fieri non posset, quin in omnes harum ecclesiarum res summa confusio et schisma ingrueret.

Tandem principes, quos Otbertus in bello cum comite Lovaniensi — haud dubie de comitatu Brunengeruz [6] — convocaverat, auctore potissimum Godefrido Duce (Bulloniensi) eum discordiis illis in medium latis quam-

1) l. c. col. 983—985.
2) Nro. 90. col. 985.
3) Hist. S. Laur. Leod. V. 25. col. 1073.
4) l. c. col. 985—986.
5) l. c. col. 1074—75.
6) cf. Aegid. Cap. XIV. ap. Chapeaville. II. pag. 44—45. Bouillé: Hist. de Liège. pag. 124.

vis aegre commoverunt, ut quaestionis inter se et Theodericum abbatem agendae diem constitueret, atque de securitate veniendi et redeundi, abbati promittenda, Ducem consulere velle polliceretur; cum tamen conventui illi plurimos clericos ecclesiarum Mettensis, Tullensis, Virdunensis, Remensis, Suessionensis, Laudunensis ad adjuvandum Theodericum affuturos esse certior factus esset, veritus, ne hac re auctoritas sua apud Leodienses detrimentum faceret, Ducem Godefridum pecunia corruptum commovit, ut die constituta jam appropinquante, in se susciperet, se eodem tempore Remis futurum, ut causam cum Rainaldo archiepiscopo ageret. — Ibi iterum Godefridus, Beringero abbate et Rainaldo suadentibus, ad alteram partem defecit, seque et ecclesiae defensionem et legitimorum abbatum restitutionem adjuturum esse promisit [1]): — Cum igitur Otbertus ad obsidendum castrum Clarum-Montem — quod navigantibus per Mosam erat infestissimum — ducem et principes evocasset, dux eum publice de abbatibus S. Laurentii et S. Huberti sedibus suis ejectis increpavit, eique, nisi abbatias restitueret, auxilium recusavit, unde et aliis principibus adsentientibus ipsisque archidiaconis et praepositis episcopatus illi crimen simoniae exprobrantibus, eorum votis obtemperare coactus, diem dixit, quo de Wolbodone et Ingobrando consessus judicum fieret, ex quorum edicto uterque loco, quem invaserat, decessit [2]). Beringerus, quem litteris revocavit, primum dubius, num excommunicato communicaret, mox tamen ut rediret, commotus, ab Otberto in gratiam receptus, monasterium S. Laurentii hac lege, ut omnia, quae Wolbodo dispersisset, ecclesiae suae restituerentur, recepit [3]). — Tum Theodericus,

---

1) cf. loc. cit. col. 987—991.

2) col. 991—992.

3) l. c. Nro. 98. col. 992—993. Hist. S. Laur. Leod. V. 28. col. 1075.

neutiquam revocatus, ipse rediit, (verisimile anno 1095) [1]) quem Otbertus, — etsi, ne quid pro eo ecclesiae ministri facerent interdixit, atque cum eum aegrotare comperisset, satis quam infesto in eum animo esset, significasset, declarando, necesse esse ut si moreretur, communi sepulturae honore destitueretur, — vi tamen minime petiit. [2])

Discordias aliquatenus quidem hoc modo sopitas Theodericus eo potissimum exsuscitasse videtur, quod sive vexationes et tributa monasterio suo imposita, quum Otbertus anno 1096 ingenti pecuniae summa castrum Bulloniense a duce Godefrido emeret [3]), aegerrime ferens, sive causam quandam cum episcopo excommunicato discordandi quaesitans, iterum clam in monasterium S. Remigii secessit et stimulatus adhuc a clericis Remensibus, ne Otberto simoniaco liberam novi abbatis electionem concederet, se Beringerum, quippe qui ab Henrico episcopo jam consecratus, Otberti consecratione non indigeret, successorem agnoscere proclamabat. Quem cum monachi Hubertini aspernati essent, muneri illi renunciavit, neque post, cum Otberto ei favente, suffragia fratrum ad eum inclinarent, id ut susciperet, commoveri potuit. Tum Otbertus, discordiarum jam pertaesus, liberam monachis abbatis electionem concessit [4]). Eodem tempore (1099) [5]) vero ecclesiae Andaginensi, tunc rectore orbatae, acerrimam calamitatem inflixit, cum castrum Mirvolt — quod Henricus Ep. antea Theoderici I precibus obsecutus, dejecerat atque ne quis id restitueret, anathemate interdixerat [6]) sive ipso inimicis suis consilio nocendi incita-

1) Ingobrandum per biennium fere abbatiae praefuisse, docet Theodericus in epistola ad Urbanum l. c. col. 1011.

2) l. c. col. 994—996.

3) cf. l. c. col. 996 — 997. Aegidius Cap. XIII. pag. 40 — 41. Bouillé. pag. 124.

4) l. c. col. 999 — 1001.

5) cf. Nro. 109. col. 1001.

6) cf. Nro. 55. col. 957 — 58. 57. col. 959 — 60. 62. col. 962 — 63. 110. col. 1002.

tus sive episcopatus ab omni principum finitimorum impetu tutandi spe ductus reaedificandum curaret. Clericos et provinciales, qui ut hanc castelli restitutionem averterent, supplices et corpus S. Huberti afferentes ei obviam venerunt, primum debita reverentia suscipere simulans inter thurificandum fuste ad hoc ipsum parato caesos, sanguinolentos atque per silvam huc illucque palantes dispersit. [1]) — Interea fratres, quos saepius de eligendo abbate monuerat, Gerardum quendam elegerunt, qui cum non minus, ne abbatiam, Theoderico legitimo rectore adhuc vivente, intraret, neve ab Otberto excommunicato consecraretur, renunciasset, publico conventu Beringerus, de abbate eligendo interrogatus, Wiredum monachum designavit. Hanc vero electionem, monachi maxime improbaverunt, atque cum Wiredus ad illud usque tempus semper a partibus Theoderici stetisset, eumque in exsilio comitatus esset [2]), consecrationem tantum, qua ab Otberto accepta, legibus Romanae Ecclesiae contradiceret, justam quasi causam contra eum rebellandi exspectarunt. [3]) Wiredus cum satis diu haesitasset, atque jam coram Otberto ejus consecrationem esse illegitimam proclamasset, eam tandem accepit, atque cum festivo in monasterium introitu ei negato, decem fratres illud desererent, ipse liberiori imperio usus, inconsulta atque prodiga ratione vivendi res ecclesiae valde afflixit. [4])

Interea Theodericus, eo innixus, quod Beringero tantum, neque alii ulli, qui Otberti consecratione indigeret, ab-

1) Monachus S. Huberti, ut poenam Otberto pro scelere in reliquias Sancti sui perpetrato inflictam demonstret, addit: Non multo post ea ipsa die anniversaria, qua B. Huberto praedictam fecit injuriam, Otbertus captus est a comite Henrico (scil. Namurcensi), et Durboium usque deductus, incitato equo et satis feroci, durissime et inhoneste collisus vix mortem evasit.

2) cf. Nro. 82. l. c. col. 977.

3) col. 1003 — 1004.

4) col. 1005 — 1006.

batiam cesserit, Wiredum per litteras interpellans, docuit, Manassem archiepiscopum Remensem [1]) et Engelramnum ep. Laudunensem „illi nullo modo nomen vel officium abbatis competere, nisi Romana auctoritas id specialiter adjudicaverit," dixisse, eique proposuit, ut simul judicium Papae expeterent, et cum ille hanc quoque reconciliationem aversatus, neque promissionibus Theod. cum ipso Romae in gratiam redeundi, commotus rem non sine consensu episcopi Romam transferri posse, apud hunc vero paratum se esse, cum Theoderico judicium subire, declararet, Theodericus hoc quidem judice rejecto, necessariis itineris subsidiis ab amicis acceptis, in Italiam perrexit [2]), Urbano epistolam, qua totam causam, quatenus ex re sua esset, exposuit, ipse tradidit, eumque, cum Wiredus defensionem detrectaret, commovit, ut illum excommunicatum, pseudomonachum et sede dejiciendum esse litteris proclamaret, atque ecclesiam Leodiensem, ut Otbertum removeret eique tanquam a sancta Romana Ecclesia alieno et excommunicato obedientiam et consortium subtraheret, severissime adhortaretur [3]). Risit quidem Otbertus repetitum papae anathema; tamen et ipse et qui eum in rebus saecularibus et ecclesiasticis adjuvabant, eadem violentia in clerum et populum usi esse feruntur [4]), ut etiam Wiredus cum eo disceptaret, denique omnis clerus Leodiensis, praeposito et archidiaconis ecclesiae praeeuntibus, rem ad Fridericum Archiepiscopum Coloniensem deferrent, isque canonicae discussionis agendae diem diceret Aquisgrani (feria V primae hebdomad. quadrag. 1104). Ibi Henricus archidiaconus unus omnium nomine eum accusavit, „quod abbatias et ecclesiastica ministe-

1) qui anno 1096 Rainaldo successerat.

2) l. c. col. 1006 — 1010.

3) l. c. col. 1010 — 1013.

4) vide discordias Wiredi cum Bovone, castellano Mirvoldi, et cum Brunone, archidiacono. Nro. 122. 123. col. 1015 — 1018.

ria vendiderit, monetas mutaverit et minuerit et corrumpi consenserit, majorum leges infringere conatus sit, atque vitae emendationem pollicitus, neutiquam re se meliorem praestiterit", atque inde maxime convenire „ut dictante judicio reformetur justitia, et absolutis filiorum suorum querimoniis in pace eorum laetetur mater ecclesia." — Coactus est etiam Otbertus, ut quae ei exprobrata essent, fide et auctoritate episcopali interposita, corrigere se velle promitteret, conciliumque Coloniae de hac re (secunda dominica post pascha) habendum ab archiepiscopo constitutum est. [1]) — Mox tamen Imperatoris gratia, ut hoc differretur, Otbertus impetrasse fertur. [2])

Retulimus de statu ecclesiae Leodiensis Otberto episcopo, quae ab inimicis ejus, inprimis a monacho S. Huberti aequali relata accepimus, non ipsi persuasi, ut omnia haec vera vel justo modo enarrata esse credamus. Constat enim, Otbertum rebus suae ecclesiae maxime profuisse [3]); eum enim studio, bona saecularia ecclesiae adipiscendi, etsi non vere religioso, tamen tempori apto obsecutum, Coviniacum castrum a Balduino, Bulloniense a Godefrido Duce Hierosolymam peregrinantibus, emisse jam supra commemoravimus [4]), Comitatum de Brunnengeruz, de quo cum comite Lovaniensi decertabat, arbitrorum electorum judicio anno 1099 adeptus est [5]); castellis et praesidiis episcopatum per tantas has rerum turbas egregie tutatus est, atque etiam ne eum ad augenda ecclesiae episcopalis incrementa monasteria

1) col. 1019 — 1021.

2) Hist. Andaginensis Nro. 127. Imperatorem proximum pascha (1104) Leodii egisse refert, cui jam Stenzel. II. 305. testimonium Annalium Hildeshem. quo Paschalibus diebus Moguntiae solemniter peractis, Leodium venisse dicitur. (eod. an 1104. l. c. p. 733.) opponit.

3) cf. Aegidium Aureae vallis. Cap. XIII. ap. Chapeaville. l. c. II. pag. 40 — 41.

4) vide supra pag. 160. 163.

5) cf. Aegidium. Cap. XIV. l. c. pag. 44.

oppressisse accusemus, vetat, quod eum Lobiensibus maximo fuisse commodo scriptor illorum candide profitetur [1]). Neque merito in eo inimico scriptori fides tribuatur, quod Otbertum tantum rebus saecularibus intentum, omnium vero, quae ad cultum divinum pertinerent, temerarium despectorem habeamus, praesertim cum eum post mortem Luiponis Herimanno, qui monasterium S. Trudonis auxiliante Henrico Limburgensi invaserat, excommunicato Theoderici viri literarum cultu et animo religioso insignis, electionem adjuvasse, contra impetum adversariorum, quantum valuerit, tutatum esse [2]), atque etiamsi restitutionem Herimanni ea aetate, qua Henricus Limburgensis apud Imperatorem gratia maxima pollebat, propter temporum angustias impedire minus potuerit, iterata tamen ejus excommunicatione animi sententiam libere prae se tulisse [3]) eamque ne post Theoderici quidem mortem occuluisse [4]) videamus.

Sed ut vera sint, quae Hubertinus enarrat, magis tamen his ipsis planum redditur, quam tristis hac infelici discordiarum aetate fuerit status episcopatuum internus [5]), et ad quae salutis suae stabiliendae praesidia utraque pars confugere non indignaretur, neque inde ullo modo probari potest, Otbertum perditum et dissolutum hominem fuisse. Nam gratia Imperatoris episcopatum adeptus, constantissime hujus partes tenuit, et quibus ille per vasta Germaniae et Italiae regna, iisdem intra angustos dioeceseos suae terminos turbis et calamitatibus exercitus est. — Ultro abbatibus, violenter quidem dejectis, episcopi vicini et parti pontificiae

1) Continuatio de gestis abb. Lobiens. ap. d'Achery. II. pag. 748. diploma Henrici IV. dat. die 16. Maji 1101. ap. Miraei Opp. dipl. ed. Foppens. I. 673.

2) Rodulfi Gesta abbatum s. Trudonis. l. c. pag. 675—677.

3) l. c. pag. 678.

4) l. c. pag. 685.

5) Propter quod benevolus lector, quod haec paulo fusius a nobis exposita sint, non nobis succensebit.

addicti succurebant [1]). Qui obedientiam et fidem Otberto detrectabant, excommunicationis semper phantasmate, aptissimo illo quidem, quod discordias foveret et amicissimos disjungeret usi atque quamvis, dummodo commodi aliquid exspectari posset, ipsi illud contemtui haberent [2]), tamen communicasse cum illo, insolubile crimen esse praetenderunt [3]). Ad Romanae curiae, quam ipsi suisque jus aequum denegaturam esse verisimile arbitrabantur, auctoritatem semper provocabant. Quid igitur mirum, quod callidis calliditatem opponeret, inimicorum malignitatem violentia, a qua natura ejus non abhorruisse videtur, impugnaret. Quem igitur si ab Urbano „antichristi signiferum, Sathanae jumentum, perfidiae Simonis manifestum sectatorem, apostolicorum judiciorum contemtorem, ecclesiae, quantum in ipso esset, conculcatorem" [4]) increpatum legeris, non oblivisci te velim, Henricum Imperatorem ejus fidem et pietatem omnibus rebus adversariis excelsiorem, qua se omnibus orbatum in domo sua recepisset [5]), praedicare, eumque talem fuisse, qui

1) vide supra pag. 159. 160. 162.; l. c. col. 1000. 1011.

2) quod in reditu Beringeri. (cf. l. c. col. 993.) aperte demonstratur.

3) cf. col. 975. 977. 978.

4) Ep. ad Beringerum Abbatem S. Laurentii Leodiensis ap. Mart. et Durand. Coll. ampl. I. 555.

5) cf. epistolam Henrici ad Philippum regem Galliae. ap. Sigib. ed Mir. anno 1106; epistolam Henrici ad filium, qua eum arcere studet, ne paschales dies an. 1106 Leodii celebraret. in Anonymi Vita Henrici ed. Goldast. pag. 221. cf. Stenzel. pag. 598—599. Herimanni Abb. Narratio Restaur. Abbat. S. Martini Tornacensis ap. d'Achery. pag. 914. „eumque regno propellit, ita ut praeter Autbertum Leodiensem Episcopum nullum inveniret, qui sibi adhaereret." — Conjecit Goldastus, Otbertum fuisse auctorem Vitae Henrici, quae tanquam Anonymi cujusdam opus edita est; prodit quidem narratio, auctorem esse virum, qui ultimis vitae Henrici IV annis consuetudine ejus frequenti usus sit, tantum vero abest, ut certum aliquid in ea Otbertum redoleat, ut e dicto „Heu Moguntia etc." l. c. p. 205. quendam clericum Moguntinum auctorem fuisse, conjici possit.

Henrico ab omnibus deserto atque destituto, ab ipso filio suo fugato refugium, defunctisque ejus membris sepulcrum honestum ab adversariis negatum praeberet.

Quam periculosa inde evaserit condicio Leodiensis ecclesiae, cum omnis Imperatoris fortunae particeps facta esset, clarius, quam quod hoc loco exponam; imminebat illi extremum discrimen, si veteribus hostibus, vicinali invidia exagitatis, per discordias imperatoris et pontificis occasio, eam aggrediendi, esset oblata. Quod quomodo acciderit et Leodienses, ut ad Sigiberti nostri ingenium confugerent, commoverit paucis exponamus.

Evenerat enim anno 1092, ut Gerardo Episcopo Cameracensi et Atrebatensi — qui quidem episcopatus a tempore sancti-Vedasti semper sub unius episcopi regimine fuerant [1]) — defuncto [2]) clerici Atrebatenses, qui jam diu partes pontificum tenuerant, dum Cameracenses, quorum dioesis etiam ad Imperium pertinebat, Imperatori favebant [3]), assentiente quin etiam adjuvante Urbano, et instigante Philippo rege Galliae, qui ecclesiam, cujus dioecesis ad regnum suum pertinebat, ab omni vinculo Germanorum secerni cuperet, desciscerent, atque proprium sibi episcopum eligere decernerent [4]). — Cum in synodo, de hac re anno 1093 Remos convocata, partes a Rainaldo Archiepiscopo Remensi, quamvis ab Urbano litteris incitato, ut Atrebaten-

---

1) cf. Balderic. lib. I. 7. ap. le Glay. pag. 20.

2) cf. Chron. Bald. abbrev. et contin. ap. Bouquet. XIII. 535. Chron. Camerac. lib. III. Cap. VIII. ap. le Glay. pag. 370—371.

3) cf. epistol. Gregori VII. IV. 22. Clericorum Cameracens. ad Remenses epistol. ap. Bouq. XIV. 778 sq. et Chron. ap. le Glay. cap. I. Iperii Chron. S. Bertini Cap. XL. ap. Mart. et Durand. Thes. III. pag. 593. Meyerum Annal. Flandr. ad an. 1095.

4) cf. omnino: Gesta, quibus Atrebatensium civitas sub Urbano Romanae et apostolicae sedis Episcopo, excusso Cameracensium subjectionis jugo, in antiquam reformatur dignitatem. ap. Baluze: Miscellanea. V. pag. 237 sq.

sium rebus ipse prompte faveret, et ceteris episcopis — Romam delegatae essent [1]), Urbanus Atrebatensibus, quorum legati soli sedem ejus adierant [2]), episcopum eligendi licentiam dedit, atque postea archiepiscopo mandavit, ut Lambertum, quem illi communi consensu (die 10 Julii 1093) elegerant, consecraret [3]). Quod cum archiepiscopus metu, ne sic Cameracenses plane a sua dioecesi desciscerent [4]), commotus retardando et differendo renuere videretur, Lambertus ipse, sicut Urbanus jusserat, Romam profectus [5]), pleno conventu Cardinalium die 19. Martii 1094 consecratus est [6]). — Quae res cum omnibus Cameracensium et imperii juribus neglectis, tam violenter acta esset, ut hac ipsa libertatem ecclesiae inusitato modo violatam esse appareret, ira in ecclesiam Romanam magis etiam in discordiis episcopatus Cameracensis ipsius exarsit. — Nam postquam ibi cives sum casatis Manassem, canonicum quendam, nobili loco ortum [7]), clerici vero Macelinum sacerdotem et praepositum ecclesiae elegerunt,

1) cf. loc. cit. pag. 240 — 244.

2) cf. loc. cit. pag. 246.

3) loc. cit. pag. 247 — 253.

4) Rainaldus in epistola ad Urbanum ita. p. 259 — 260.: Timuerunt enim et timent (scil. episcopi et clerici suae dioeceseos) ne Cameracenses ex hoc facto accepta occasione, se a Remensi Ecclesia abrumperent, cum et civitas eorum alterius regni habeatur, et regni cujus Rex nobis et Ecclesiae Romanae jam et ex longo tempore inimicatur.

5) loc. cit. pag. 254 — 255.

6) loc. cit. pag. 258: consecratur in Episcopum Romae . . . a saepius jam dicto domno Apostolico Urbano anno Dei Christi MXCIII. XIV. Cal. Aprilis, quae tunc Dominica Laetare Jerusalem habebatur, falso anno, quum illa Dominica anno 1094 in diem 19. Martii inciderit, ceterum totus rerum ordo (vid. sup. n. 3.), et signa, (Indict. II. anno pontif. VII. quamvis anno 1093 iterum apposito) diplomatis Urbani II. loc. cit. pag. 268. Lambertum anno 1094 consecratum esse demonstrent.

7) Chronicon ap. le Glay. Cap. VII. eum „Suessionensis comitis fratrem", perhibet Chronic. ap. Bouquet.

hic vero ultro dignitate cessit[1]), Manasses frustra Imperatorem pro regalibus accipiendis adiit, defectu Atrebatensium accedente, status tam turbidus factus est, ut casati Episcopatus libenter omnia diripientes, munitiones plures circumundique erigerent, et, ut tutius, quae bona invaserant, obtinerent, Roberto Comiti Flandrensi hominium praestarent[2]). Tandem cives aeque ac clerici Cameracenses mutato in melius consilio Gualcherum archidiaconum[3]) episcopum elegerunt, qui dono Episcopatus ab Imperatore accepto[4]), terram defendendam curavit, exstructas ubique munitiones diruit, atque justitia religiose servata, provinciam pacatam reddidit[5]). Sive litteris et auctoritate Urbani Papae[6]), sive ejus ipsius, quem itinere petiisse nonnulli tradunt[7]), decisione in episcopatu confirmatus, a Rainaldo consecrationem

---

1) cf. Chronicon ap. Bouquet. XIII. l. c.

2) Chron. ap. Bouquet. l. c.

3) Chronicon ap. le Glay Cap. VIII. eum nominat *Walcherum*, Bracbatensem archidiaconum et Tornacensis seu Noviomensis ecclesiae custodem; in actis Concilii Remensis anni 1093 ap. Baluze. l. c. pag. 245. „Gualcherus Cameracensium archidiaconus" defensor ecclesiae suae apparet. — Chron. ap. Bouquet eum „ecclesiae suae diaconum" perhibet.

4) Chron. ap. le Glay. Cap. VIII.

5) ibid. Cap. VIII. cf. Chron. ap. Bouquet. l. c. Fragmentum gestorum episc. Camerac. ap. Bouquet. XIII. 481. et Chron. Cameracense gallice scriptum ibid.

6) Ipse auctor Chronici ap. le Glay, qui rebus Manassis magis favisse videtur: *et auctoritate Romani pontificis Urbani ab archiepiscopo Remensi consecratus*; Chron. ap. Bouquet l. c. cum *litteris Apostolicis* Rainaldo suo Metropolitano praesentatus est, ut ei munus consecrationis impenderet.

7) Sic Fragmentum ex gestis ep. Camerac. et Chron. Camerac. gallice scriptum, qui eum, negata a Rainaldo consecratione, Urbanum itinere petiisse, et ab eo litteras, quibus Rainaldo mandatum est, ut eum consecraret, accepisse ferunt; Chronicon Gallicum narrat, Papam et Archiepiscopum deinde Roberto Comiti Flandrensi

accepit legitimam, atque jam secura potestate gavisus, Claromontanum adiit concilium (1095) ut coram Urbano suae ecclesiae jura contra Atrebatenses tueretur [1]). Cum vero ipsi consecrationi haec ab Urbano condicio praescripta esse videatur, ut privilegiis ecclesiae Atrebatensi concessis nunquam se opponeret [2]), hac non servata gratiam Urbani amisit [3]), atque cum ibi etiam a Manasse, qui se primum et legitimum electum esse coram concilio contenderet, offenderetur, judicio non exspectato, effugit [4]); tum divisio episcopatuum coram toto concilio iterum proclamata [5]), Manasses vero in in Gualcheri rejecti atque excommunicati sedem introductus est [6]). — Accessit, quod anno 1096 Rainaldo defuncto, Manasses, Manassis electi Cameracensis avunculus, et acer-

---

sub poena excommunicationis mandasse, ne Gualchero et Ecclesiae Cameracensi quidquam molestiarum inferat. — Auctor quidem Chronici ap. Bouquet. Manassem supervenientem frustra consecrationi Gualcheri contradixisse, Gestorum vero pag. 482. et Chronici Camerac. gallici auctores pag. 482. eum in ipso actu consecrationis a Rainaldo ejusque suffraganeis excommunicatum et ex ecclesia expulsum esse, enarrant, unde, hos nimia in Urbanum et Manassem ira exagitatos, rerum statum magis magisque obfuscare, neque in iis quae soli enarrant, certa fide dignos esse, concludi potest.

1) cf. epistolam Urbani, Lamberto Atrebatensi datam apud Anicium, XVIII. Cal. Aug. (anni 1095) ap. Baluze. pag. 280. Chron. ap. Bouquet. l. c.

2) cf. Urbani epistolam ad Gualcherum ap. Baluze. V. pag. 274.

3) quod in Chronico Cameracensi gallico, „Urbanum jam Lamberti pecunia corruptum, a Gualchero trecentas marcas argenti postulasse, ut rem in suam partem inclinaret", traditur, indignum fere videtur, quod repetatur. cf. Praefat. ad Bouq. XIII. pag. LI.

4) cf. Chron. ap. le Glay. Cap. IX, cujus auctor ipse rerum testis ap. Bouq. l. c.

5) cf. Baluze. l. c. pag. 268. 282.

6) cf. Chron. ap. le Glay et Bouquet. l. c. epistolam Urbani ad clerum et populum Cameracensem II Cal. Decbr. (1095.) apud Arverniam datam. ap. Baluze VI. pag. 375. Mansi XX. pag. 917.

rimus partis pontificiae defensor successor ejus electus est [1]), qui mox totam terram „quae Gualcheri cognoscebatur obedire mandatis, interdicto subjecit," Manassem episcopum consecravit [2]), atque ut a Gualchero desciscerent, clericos sedulo hortatus est [3]). Gualcherus quidem forti animo praeditus castellis quibusdam expugnatis episcopatus honorem retinere conatus est; clericis pluribus vero, interdicto illo exterritis sensim ad adversam partem deficientibus, mox ad Henricum Imperatorem consilii et auxilii causa divertit, et Manassi sedem episcopalem cedere ad tempus quidem coactus est, mox tamen cum nunciis et militibus imperatoris reversus, maxima terrae parte occupata, cives et clericos denuo sibi adscivit [4]), atque Idae, Comitissae Montensis auxilio gavisus esse videtur [5]).

Neque tamen in his turbis quieta erat potestas Comitum Flandrensium; viderat adhuc initia earum Robertus Friso, et erectioni episcopatus Atrebatensis, quippe cujus fines in ipsius comitatum inciderent, et quem ab omni vinculo cum episcopatu, ad imperium pertinente, sejungere ei haud dubie esset exoptatissimum, favisse videtur [6]). Gratu-

---

1) cf. Baluze. V. pag. 287—288. ubi tamen pro anno 1096 perperam legitur 1095. Chron. ap. Bouquet.

2) Chron. ap. Bouquet. l. c. ap. le Glay. cap. IX.

3) cf. Epistolam 20, a Manasse ad clerum Cameracensem datam ap. Baluze. l. c. pag. 295—97; Ep. 58. ad Lambertum Atrebatensem. l. c. pag. 318.

4) cf. de his omnibus Chron. ap. Bouquet. pag. 545 infra. — In Chronico Cameracensi Gallico haec omnia fusius enarrantur, tamen haud dubie serioris auctoris arbitrio amplificata.

5) Certe ep. 58. Manasses Remensis Lamberto mandat, ut terram ejus interdicto afficiat, et ep. 59. Manasses Cameracensis illam se semper persequi queritur.

6.) Atrebatenses in Epistola ad Rainaldum ap. Baluze. l. c. p. 239. ita: dum (sc. Jesus Christ.) his diebus per domni Apostolici Urbani imperium, per nostri quoque Principis Roberti totiusque cleri et populi congratu-

latus deinde est Urbanus eandem haud dubie, quam cum patre curia Romana foverat, amicitiam servaturus, Roberto II, quod civitas Atrebatensis, comitatus sui principalis, ex apostolicae sedis auctoritate Cardinalem recepisset Episcopum, eumque rogavit, atque in peccatorum suorum remissionem ei praecepit, ut illum veneraretur, et adjuvaret eique ad restituenda ipsius Ecclesiae bona auxilii brachium porrigeret [1]); postea Rainaldus episcopum tutelae ejus commendavit [2]), Hugo Lugdunensis, Urbani legatus, praeceptum papae in memoriam ejus revocavit [3]); ipse denique Urbanus epistola V Idus Martii (haud dubie anni 1095) [4]) Placentiae data eum verbis haud obscuris provocavit „ut possessiones ejus episcopatus a Cameracensibus episcopis male distractas de manibus tenentium eripere et eidem Ecclesiae restituere pro peccatorum suorum remissione" laboraret [5]). Neque minus, ut ejus auxilium in persequendo Gualchero sibi adsciscerет, Manasses multa opera nixus esse videtur [6]). — Avocavit quidem principem ab his belli tirociniis illustris illa cruciferorum expeditio, qua tamen ut gratiam Romanae Ecclesiae, ita nomen per totam Christianitatem insigne sibi paravit; tantum hostibus incussit metum, ut

---

lantis assensum eidem Ecclesiae rectorem proprium restituere disposuit cf. pag. 354. Ep. 118. ubi Atrebatensis ecclesiae actio et ordinatio per consilium et auxilium Comitis Roberti apud Castellum tumulati (ibi vero Robertum Frisonem sepultum esse tradit Genealogia vetustissima ap. Warnkönig. Probb. p. 18) facta esse traditur.

1) cf. epistol. Urbani ap. Baluze. l. c. pag. 265—266. dat. Romae II. Cal. Aprilis, haud dubie anni 1094, paucis igitur diebus post consecrationem Lamberti Atreb.

2) cf. loc. cit. pag. 272.

3) l. c. pag. 273—274.

4) cf. Mansi. XX, 801.

5) l. c. pag. 274.

6) cf. Ep. 17. ap. Baluze l. c. pag. 294. haud dubie anno 1096, priusquam Ansellus de Ribodimonte crucifer in Orientem profectus esset.

eum „filium S. Georgii vocaret Turcarum et Arabum exercitus" [1]). Reversi in Europam anno 1100 potestas in regionibus suis videbatur absoluta, atque quum Balduinus Hannoniensis in Asia periisset, nullo aemulo impedita. Quae cum, ut vidimus, jam adulta esset hostilis Imperio Germanorum et amica ejus hostibus, hoc animo a patre esset aucta, etiam sub filii regimine hoc modo se praebebat. Henrico Imperatori, undique vexato, adhuc magis eo imminere videbatur, quod Robertus ei homagium fidei pro Flandria Imperiali debitum et a patre praestitum denegaret [2]), cum pontifice vero concors et cum episcopis ei adhaerentibus familiari consuetudine conjunctus esset [3]). Quid mirum igitur, quod Papa ipse juberet [4]) Manasses Archiepiscopus Roberto „in peccatorum suorum remissionem" mandaret, ut Cameracenses, qui Gualcherum iterum receperant [5]), armis aggrederetur, et is, occasione, potestatem jam inter casatos Episcopatus constitutam [6]) et bona augendi, libentissime

---

1) cf. Johannis Iperii Chron. s. Bertini. Cap. XL. Pars IV. l. c. col. 598.

2) Hanc denegationem inter causas belli fuisse, docet epistola Roberti — pace composita — ad Lambertum Atrebatensem data, qua eum certiorem fecit, „quod hominium Imperatori Theutonico fecerit, quia aliter feodum (scil. Flandriam Imperialem) quod ab eo tenere per antecessoriam debeat, integre habere non potuisset" (ap. Baluze. V. 331. No. 76.) Mascov. Commentarii p. 125. cf. Kluit. l. c. I. 2. p. 199. Stenzel. I. p. 573. cf. Warnkönig. l. c. pag. 126. Leo pag. 27—30). Meyerum tamen, si Henricum jam anno 1096 expeditionem contra Robertum instituisse narrat, manifeste falli cum Mascovio l. c. existimo.

3) cf. Epistolam 60. Manassis ad Robertum ap. Baluze. V. pag. 319—320.

4) vide infra.

5) cf. Chron. ap. Bouq. XIII. 536. auctor eum „diutius fuisse excommunicatum" tradit, quod mihi quidem, tota ejus erga clerum condicione, quantum quidem e fontibus licuit, perspecta, fide minus dignum videtur.

6) vide supra. pag. 171.

capta episcopatum invasum multis modis vexaret, denique anno 1102 Cameracum ipsum obsideret [1]). Accurrit quidem Henricus crebra et importuna querimonia suorum motus [2]) mense Octobri [3]) urbi, quae et ab iis, qui illi praesidio essent, viriliter defenderetur [4]); fudit Robertum ejusque castella plura, scil. Marconium, Palvels, Inciacum, Esclusam, Bulcenium subegit, totumque pagum Ostrevandensem depopulatus [5]), eum ad firmiora terrae suae repressit, in quae tamen, quominus eum persequeretur, hyemis ingruentis saevitia impeditus est [6]). Eo igitur in Germaniam reverso, Robertus a consiliis minime desistens, Cameracensibus mala, quae ipse perpessus erat, iterum refudit, eosque, omni auxilio externo orbatos, ita afflixit, ut hi „nisi Imperator tempore graminis superveniret, ipsum et successores ejus in dominos et patronos in aeternum suscipere velle" pollicerentur [7]).

Hoc tempore hyemali, cum jam partibus pontificum omnia in his regionibus successissent, Paschalis Papa, litteris XII Cal. Februariis (anni 1103) Albani datis [8]) Rober-

1) cf. Chron. ap. Bouq. l. c. ap. le Glay. Cap. X. In Chronico Camerac. gall. pag. 486. expeditione Roberti fusius exposita, ab Imperatore Comes Lovaniensis et Episcopus Leodiensis Cameracensibus auxilio missi esse narrantur, quod vero, aliis fontibus silentibus, silentio transmittere ratum habui.

2) cf. Chron. ap. le Glay. Cap. X. p. 374.

3) cf. Chron. Elnonense S. Amandi ad an. 1102. ap. Mart. et Durand: Thesaur. III. pag. 1397. Stenzel. I, 572.

4) cf. Annal. Sax. ad an. 1102. l. c. pag. 598.

5) Chron. ap. Bouquet et le Glay, Elnonense l. c. — Inde, nuntiis omnium fontium contradicentibus, narratio brevis Chronici (ex Ms. Prumiensi) ap. Mart. et Durand. Coll. IV. 520 et Robertum ipsum castella quaedam sua combussisse, minus probabilis videtur.

6) cf. loc. cit. Annal. Sax. Sig. ad an. 1102.

7) Chron. ap. Bouquet. Fusas narrationes Chronici gallici etiam hoc loco suppressi.

8) Hanc esse aetatem epistolae Paschalis, cum Mansio XX. col. 1077.

tum in Leodienses quoque excitavit, his verbis eum allocutus: Paschalis Episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Roberto, Flandrensium comiti, salutem et Apostolicam benedictionem. Benedictus Dominus Deus Israel, qui in te virtutis suae efficaciam operatur: quo reversus ab Hierusalem Syriae*in caelorum Hierusalem justae militiae operibus ire contendis. Hoc est legitimi militis, ut sui Regis hostes instantius persequatur." Gratias porro agit socio victori, quod praeceptum suum in Cameracensi parochia exsecutus sit, eumque, idem exemplum ut in Leodienses quoque excommunicatos et pseudoclericos sequatur adhortatus justum esse docet, eos, qui semet ipsos a Catholica Ecclesia segregassent, per Catholicos ab Ecclesiae beneficiis recludi. Ceterum ut non in hac tantum parte, sed ubicumque posset, Henricum illum haereticorum caput, et ejus fautores pro viribus persequi velit, adhortatur, neque ullum sacrificium gratius Deo offerri posse, quam si excommunicatum illum omnique ratione detestandum impugnet, suadet atque ea tandem cohortatione „Hoc tibi ac militibus tuis in peccatorum remissionem et Apostolicae sedis familiaritatem praecipimus, ut his laboribus et triumphis ad coelestem Hierusalem Domino praestante pervenias." literis finem faciens, a praeceptis Evangelii ita aberravit, ut piissimum quemque Christianum a se avertere posset.

Eo igitur res pervenerunt, ut Leodiensis ecclesia, quae auctoritate et opulentia sua olim aemulum Roberti Frisonis tutari conata erat, nunc discordiis internis debilitata, a filio illius oppugnaretur, eique etiam vetus vasallus Hannoniensis fidem detrectare auderet [1]).

---

ideo statuo, quia Robertum jam praeceptum suum in parochia Cameracensi exsecutum esse ait. — Responsum Sigiberti eodem anno antequam Henricus cum Roberto pacem pangeret, emissum esse, patet. — Opinio, illud an. 1107. éditum esse, jam ab aliis refutata.

1) cf. gesta abb. Lobiensium pag. 749.

1. *Epistola Sigiberti pro Leodiensibus* adversus Paschalem Papam. In tanto discrimine Leodiensibus nihil reliquum fuit, quam spiritualibus armis res suas tueri, quaeque ipsis erga pontificem, quae erga imperatorem ratio esset, exponere. Atque hoc munus, gravissimum quidem, excepit rogatu Henrici Archidiaconi et Decani ecclesiae S. Lamberti, viri, *nobili loco orti*, atque ordine, quem in ecclesia tenebat, insignis [1]), cujus mandatum secutus jam duos

1) Occurrunt inter testes diplomatis Henrici V. (ap. Chapeaville. II. pag. 54—55. dat. Cal. Januar. 1107. i. e. 1108. cf. Stenzel. II. 312—313) duo Henrici, alter Decanus, alter Archidiaconus; Statuto de defunctis Leod. ecclesiae S. Martini canonicis (dat. VIII. Cal. Mart. 1108. ap. Mart. et Dur. Coll. I. 623). subscripti sunt *Henricus decanus et archidiaconus, Henricus archidiaconus*, qui, qua ratione inter se usi sint, demonstrat diploma anni 1112. (ap. Miraei Opp. Dipl. ed. Foppens. Tom. III. pag. 28—29. Nro. 31) cui subscripti sunt secundo et tertio loco clericorum:

Henricus Decanus pariter et Archidiaconus.

Henricus nepos ejus, Archidiaconus et Fossensis Praepositus.

Qui, quali e gente prognati sint, satis probabiliter conjici potest; memoria enim fit in Hist. Andag. 129. col. 1023. Lamberti, filii Cononis cujusdam comitis, qui pridie Cal. Maji 1106 X annos post iter Hierosolymitanum susceptum defunctus est; ejusque frater H. archidiaconus, et patruus H. ecclesiae B. Lamberti decanus perhibentur. Ibi eosdem duos Henricos occurrere, verisimile; Cononem vero illum fuisse *Comitem Montis-Acuti* (de quo vide Hist. Andag. Nro. 67. col. 966. 96. col. 987), eo probatur, quod idem Cono, ab eodem monacho Hubertino cum Godefrido (Bulloniensi) duce expeditionem cruciferorum iniisse traditur (Nro. 103. col. 997. Nro. 129.) aliunde vero constat, in exercitu illo fuisse Cunonem comitem Montis-Acuti cum duobus filiis, Gozelone et Lamberto (cf. Alb. Aq. II. 11. 23. III. 28. 39.) quorum Gozelo languore gravissimo obiit (Alb. Aq. II. 28. 29. pag. 225), Lambertus vero cum patre sospes in patriam reversus (de quibus cf. Alb. Aq. IV. 47. V. in fine. VI. 47. VI. 60.) postea sub nomine Comitis de Claremonte inclaruit. (cf. Magn. Chron. Belg. ap. Pistor. III. pag. 145. Bouillé: Hist. de Liège p. 193); porro a monacho Hubertino, Idae, uxoris Cononis Comitis, quam Beringerus Abbas S. Laurentii apud Montem-

de rebus suae aetatis libellos ediderat [1]), *Sigibertus noster*,

---

Acutum aegram invenit, quam ergo Comitis Montis-Acuti saepius nominati, uxorem fuisse nullum dubium esse potest, filii „Lambertus et Henricus" vocantur (l. c. Nro. 91. col. 986). — Habes igitur fratrem Cononis Comitis-Montis Acuti Sigiberti patronum, qui qualis ingenii fuerit, difficilius est enucleatu. Nam in discordiis quidem interioribus Ecclesiae, quas supra perlustravimus, saepius occurrit Henricus archidiaconus, magnique momenti videntur, quae sub hujus nomine traduntur. Retulit hic publico conventu argumenta, quibus Theodericus Abbas ab Otberto accusatus, Leodii se defendit (Hist. Andag. Nro. 82. col. 976); eundem Beringerus Abbas S. Laurentii inter eos recenset, quibus, fortasse ut eos ab Otberti consuetudine sibi quidem detestanda avocet, scripserit (l. c. Nro.96. col. 989.); missus est cum Beringero ab Otberto, ut de abbatia S. Huberti, Theoderico quasi absente, disponeret (l. c. Nro. 100. col. 994); cum Brunone archidiacono honestum, Wiredum Archiepiscopo Coloniensi commendandi negotium exsequitur (l. c. Nro. 126. col. 1019), denique eum in conventu Aquisgranensi loco omnium explicasse, quae in Otberto reprehendenda essent, vidimus, ibique contra dignitatum ecclesiasticarum emtionem, atque pro majorum legibus sic locutus est, ut virum probum dixisse decet. Exoritur vero quaestio, num semper idem Henricus significetur, utrum patruus an nepos; quam — etsi conjectura, patruum (patronum Sigiberti) tanquam aetate provectiorem, et ordine ecclesiastico insigniorem, his muneribus magis parem fuisse, quam nepotem, quodammodo commendabilis videatur — propter certorum nunciorum inopiam indiscussam relinquimus.

1) Sigibertus ipse in libro de script. eccles. cap. 171. „Rogatu etiam praedicti viri (i. e. Henrici A. et D. E. S. L.) validis Patrum argumentis respondi Epistolae Hildibrandi Papae, quam scripsit ad Hermannum Metensem Episcopum, in potestatis regiae calumniam. — Scripsi ad ipsum Henricum Apologiam contra eos, qui calumniantur Missas conjugatorum sacerdotum. — Ipso etiam rogante respondi Epistolae Paschalis Papae, qui Leodiensem ecclesiam, aeque ut Cameracensem, a Roberto Flandrensium Comite jubebat perditum iri." — Erat libellus contra Paschalem Papam tempore horum haud dubie ultimus, quem tamen primo loco digessimus, cum solus certo sub nomine Sigiberti exstet.

unde, quanti inter suos aestimatus sit, liquide apparet. Et sane, qui epistolam, quam pro illis edidit [1]), attente legerint, eum spem in auxilio suo positam non fefellisse persuasum habebunt. De cujus virtutibus ut lector unusquisque rectius judicare possit, singula, quae ille ibidem proposuit, percenseamus.

Ingressus est Sigibertus hanc viam, ut brevi introductione, qua omnibus bonae voluntatis hominibus, ex ore Leodiensis ecclesiae „veritatem fidei et Catholicam unanimitatem inconcusse tenentis" salutem dicens Ecclesiae infaustam sortem deplorat, eamque in „desertum mare", in „Babylonem" jam esse conversam conqueritur, praemissa [2]), ipsam epistolam Paschalis, causam totius mali, repeteret, atque singula ejus dicta eodem ordine, quo ea ab ipso proposita erant, recenseret atque refutaret. —

Neque mirum, quod vir Apostolorum auctoritate semper innixus atque Christiano amore penitus imbutus, facillime hoc moveretur, quod Papa ipse Roberto auctor suasorque fieret ut bellum ecclesiae inferret, et quod, quantopere eo a recta et apostolica via aberrasset, modo hoc modo illo argumento et testimonio prolato palam faceret. Sic statim ab initio disquirit, unde gladius a Papa Roberto traditus, in manus illius venerit, atque cum Papa illi Deo benedixisset, qui Ecclesiam debellandam traderet, et propter hoc ipsum coelestis Hierosolymae aditum Roberto pollicitus esset, bellorum mala, etsi mundo necessaria ex divina providentia semper per malos inferri et prophetarum et Augustini et Hieronymi testimoniis probat [3]). — Porro cum gratias illas Roberto victori Cameracensium actas legisset; ideoque ex edicto papae illis maximas calamitates illatas esse cognovisset, advocati quidem partes tam moderate egit, ut de judicio Pontificum in rebus Cameracensium tacere vellet, eosque fortasse non immerito tale discrimen sibi attraxisse concederet [4]), admodum tamen miratus est quo novo exemplo factum sit, ut praedicator pacis suo ore et alterius manu inferat Ecclesiae bellum [5]). Inobedientes enim Ecclesiae quo poenarum genere afficiendi sint, locis Evangelii et Augustini demonstrat, atque si quis pro Apostolico dicat merito depopulandam esse Ecclesiam, cui in-

1) Citamus ex editione Goldasti Apolog. pro Henrico IV. pag. 188 — 203. De editionibus vide infra. pag. 191—92.

2) l. c. pag. 188—189. 3) l. c. pag. 189—191.

4) pag. 192. supra. pag. 193—194.

5) l. c. pag. 191 —192.

cumbat excommunicatus Episcopus, ei gravissima duo exempla alterum Gregorii M., qui Maximo, Salonitani Episcopatus invasori, Honoratum, cujus electionem ipse approbaverat, non superordinavit, neque arma illi intulit, sed eum tantum sacerdotalibus armis debellavit, tandemque resipiscentem sine reordinatione in gratiam recepit [1]), alterum S. Martini, qui quo certius a Maximo Imp. impetraret, ne sectatores haereseos Prisciliani occiderentur, Itachio Episcopo caedis Priscilliani participi ideoque ab ipso excommunicato ad tempus communicavit [2]), haec inquam exempla, ut Pontifici religiosissime sequenda proponit.

Leodiensibus igitur eandem, quam Cameracensibus, fortunam instare ex epistola intelligens, haec verba candida sane ex ore matris Ecclesiae Leod. profert. „Hic vero me invasit angustia, quasi parturientis. Unde exclamare compellor, quia omnes parturientis dolores hic meus dolor vincit. Filios enim genui, hosque lacte alui fidei, hos pane veritatis confirmavi, et in virile robur provexi. Ipsa me beatificabam, quia eis in Regis curia, et in Dei ecclesia florentibus nihil deesse credebam, quod vel ad corporis pertinet decorem, vel ad animae spectaret valorem. Sed quid est ab omni parte beatum? Ecce mater mea, sancta Romana Ecclesia, vult infligere eis notam excommunicationis, et insuper erexit super eos gladium occisionis." Quid igitur se ipsos morte aut excommunicatione dignum fecisse contra canonicam regulam quam tamen, rege secundum Evangelii praecepta honorato et Simoniae vitio, quantum licuerit, evitato, semper secuti esse sibi vi-

---

1) l. c. p. 192—193. cf. Johannis Diac. Vit. Greg. M. IV. 9—15. ap. Mabill. I. p. 459 — 461. hoc exemplum in disciplina ecclesiastica frequens fuisse videtur; nam Leo IX in synodo Remensi, Archiepiscopum Remensem jurare se non reum esse simoniacae haereseos jubens, mandavit etiam ut recitaretur „sententia, qua Maximum Salonitanum Episcopum, ex simili culpa notatum, pari modo se inde purgare Gregorius M. sanxerit." (cf. Anselmi Historia dedic. eccl. S. Remigii. ap. Mabill. Acta VI. 1. pag. 722. a.) — Atque quanto jure eo usus sit Sigibertus eo probatur, quod Bernoldus Chronographus eodem citato, Bernardum, qui in insectandis schismaticorum sacramentis justum limitem transgressus erat, refutaret. cf. Chronicon. ad an. 1091. ap. Ussermann pag. 146.

2) l. c. pag. 193. cf. Chron. ad an. 386. Sulpicii Severi Dialogos de virtutibus S. Martini loc. sup. cit.

deantur? Quando porro et a quo se excommunicatos esse, quam ob causam, cur neque ab Episcopo neque ab Archiepiscopo in judicium vocatos sed ex ordine legitimo Ecclesiae exemtos inauditos damnatos esse?[1])

His igitur commotus, singularis illius impetus causam invenit potiorem [2]), neque immerito — ut ex rebus hic expositis scire licet — „quod Leodienses faverent Episcopo, faventi partibus Domini sui Imperatoris." In hac re — ait — sunt initia dolorum, pro hac re erubescunt caussae malorum, quia Satanas solutus terram perambulans, jam divisit Regnum et Sacerdotium. — „Quis vero jure reprehendet, quod episcopus partibus Domini sui favet, cui promissam cum juramento fidelitatem debet." Inde quae jurisjurandi sanctitas sit diserte explicat, quae ut jam divinis praeceptis in tertio Decalogi mandato recte observato nitatur, omninoque caute et raro jurejurando uti fas sit, ita inprimis jusjurandum in Regis obsequium dictum sanctissimum atque inviolabile esse; eorum etiam judicium, qui eos, qui ab Henrico desciscant, a perjurii culpa absolvi posse contenderunt, prophetae Ezechielis et S. Hieronymi dictis refutat.

Ad acriorem adhuc insurgit iram, cum Leodienses non solum excommunicatos, sed etiam *pseudoclericos* a Papa vocatos esse repetat [3]); mox tamen ardori suo temperans, „maledictum — inquit — excommunicationis Dominus Paschasius nobis improperat; sed illud ante omnia timemus, quod Spiritus Sanctus per os Psalmistae dicit: Maledicti omnes, qui declinant a mandatis tuis: Maledictum excommunicationis quod ex novella traditione Hildebrandus, Odoardus et iste tertius indiscrete protulerunt, omnino abjicimus et priores sanctos patres usque nunc veneramur et tenemus" atque libero et veridico animo mox addit:. „Dominus noster Episcopus communicat Regi et Imperatori suo, cui ex regalibus ejus acceptis fidelitatem juravit. Nimium effluxit tempus, quo haec consuetudo incepit, et sub hac consuetudine migraverunt a saeculo sancti et reverentes Episcopi, reddentes Caesari quae erant Caesaris, Deo quae erant Dei." Ut jam antea [4]) dictum Petri „Deum timete, Regem honorificate etc. et insigne illud Pauli „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit", — attulit, ita hoc quoque loco ad testimonium Ambrosii et eximium dictum Augustini „per jura Regum possideri possessiones et per Imperatores et Reges seculi Deum jura humana distri-

1) l. c. pag. 194.
2) l. c. pag. 195.
3) l. c. pag. 196.
4) l. c. pag. 194.

buisse generi humano" provocat atque „consulant sibi episcopi Regibus et Imperatoribus obnoxii, ex eorum regalibus acceptis, ne proprio gladio id est, eorum beneficiis eos interficiant" suadet. Denique [1]) — quod et alii aequales recte monuerunt — e veteri novoque testamento et gestis (populorum Christianorum) elucere, Reges et Imperatores aut minime aut difficile posse excommunicari, et adhuc de hac re sub judice litem esse monet; admoneri quidem posse, increpari et argui a viris, „timoratis atque discretis", tamen, quos Christus vice sua constituerit, tantum illius judicio relinquendos esse.

Ut porro se in omnibus antiquorum patrum statuta servare neque „omni vento doctrinae circumferri" probet, et quae per adversariorum potentiam in Ecclesiam ingruerit labes detegat, se etiam Episcopum, Archiepiscopum provincialem Synodum ex antiqua traditione ait tenere, quidquid ibi de scripturis sanctis diffinitum fuerit, Romam non referri usque ad graviora negotia, de quibus non inveniatur in scripturis sanctis auctoritas, „illos vero Legatos a latere Romani Episcopi exeuntes, et ad ditanda marsupia discurrentes omnino refutare, quos si e fructibus agnoscantur, non morum correctionem, neque vitae emendationem, sed hominum caedes, et Ecclesiarum Dei depraedationes attulisse, constet."

Neque eum, honorem et salutem Ecclesiae suae defendentem puduit a Legatis ad Papas ipsos progredi. Monet igitur Paschalem „potius deposito spiritu praesumptionis, cum suis consiliariis sollerter recolligat, quomodo a beato Sylvestro usque ad Hildebrandum sedem Romanam Papae obtinuerint, et quot et quanta inaudita ex ambitione illius sedis perpetrata sint, et quomodo per Reges et Imperatores diffinita sint, et pseudopapae damnati et abdicati sint, et ibi plus valuisse virtutem Imperialem, quam excommunicationem Hildebrandi, Odoardi et Paschasii." — Paulum Apostolum in faciem Petro principi Apostolorum restitisse. Inde remota arrogantia Pontificum, cur sedes illorum de gravibus et manifestis non reprehendatur. „Qui enim [2]) — inquit — reprehendi et corrigi non vult, pseudo est, sive Episcopus, sive clericus" [3]).

---

1) l. c. pag. 197.

2) l. c. pag. 198.

3) pag. 198. addit: Quod excommunicati dicimur, non gravius justo feras: quia, ut credimus, nos ab excommunicatione excipiet saltem ipsa Romanorum authoritas Hildebrandus Papa . . . primo indiscrete Henrico faventes excommunicavit: sed reprehendens se intemperantiae, excepit ab excommunicatione illos qui Imperatori adhaerebant, necessaria et debita subjectione, non voluntate fa-

Ad eam partem epistolae Paschalis progressus, qua is „Henricum haereticorum caput et omnes ejus fautores omnimodo persequendos esse" jussit, pluribus, quae tale Pontificis edictum in ludibrium verterent, praemissis, illud hoc modo refellit, ut nihil se pro Imperatore dicere velle confiteatur, tamen se hoc dicere, illum vel tum, si talis esset, qualis ab adversariis depingatur, non tam armis sumtis, quam precibus ad Deum fusis repellendum esse (quod scilicet homines tum peccatis suis tyranni furorem meriti essent.) — Paulum Apostolum pro regibus (illius aetate Romanis Imperatoribus Christianorum persecutoribus) orationes faciendas esse docere, et prophetas ethnicis regibus, populum Judaeum infestantibus sicut Nabuchodonosori et Balthasari fidem servandam et pro eorum salute precandum esse jussisse; tolerandum regem, etiamsi hypocrita esset, cum in libro Job „Deum hypocritas regnare facere propter peccata populi" dictum sit. Pontificum vero vetustorum hanc fuisse normam, ne ullo modo bello immixti sanguine se macularent, confirmat celebri dicto Gregorii M. de rebus Longobardorum [1]), ejusque exemplum omnes a Gregorio secutos solo gladio spirituali usos esse, donec Hildebrandus Papa primus levarit sacerdotalem lanceam contra diadema regni, et suo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem gladio accinxerit [2]). Ecclesiae fundamentum solum concordia firmissima regni et sacerdotii conservari, (e munere utrique injuncto, huic regendi, illi ligandi et solvendi,) hujus virtutem causa et modo regendi, illius causa et modo ligandi et solvendi cerni. Inde Gregorium accersit testem, sapientissime dicentem, eum qui pro suo velle, non pro merito eorum subjectos liget, et solvat, ligandi et solvendi potestate se ipsum privare [3]); cum porro jam antea excommunicationem Regis graviter reprobasset, hac admissa Pontifices legitimum modum ligandi atque solvendi transgressos esse, contendere videtur atque haereditarium quasi bellum contra eum, cui pro dignitate regali

ciendi vel conciliandi malum, et hoc pro decreto scripsit, haud dubie ad decretum illud an. 1085. alludit.

1) l. c. pag. 200. quod is scripsit Sabiniano diacono: Unum est, quod humiliter suggeras serenissimis Dominis nostris: quia si ego servus eorum in morte vel Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens nec Regem nec Duces nec Comites haberet, atque in summa confusione esset: sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido. cf. Pauli Diac. Hist. Langob. IV. 30. cf. Waltram. de unitate Ecclesiae. I. 12. II. 1.

2) l. c. pag. 198. pag. 200. 3) p. 200—201.

ipsi se subjicere jubeantur, excitasse eis objicit; illis potius, qui injuste excommunicati essent, ipsam Romanae Ecclesiae auctoritatem succurrere (haud insulse monet); cum enim Gregorius scripto et facto approbasset Romanum Praesulem absolvere posse excommunicatum injuste ab aliquo, quis negaret, etiam Deum posse absolvere si quem Romanus Praesul injuste excommunicasset.

Sacrificium, a Roberto Leodiensium caede offerendum, quo gratius nullum esse posse ipse Paschalis confessus est, detestandum esse neque ullo modo, quum sit rapinis pauperum, lacrymis viduarum et pupillorum plenum atque sanguine innocentium maculatum, Deo placere posse, acutis verbis demonstrat; maxime vero eum stimulat illud dictum Paschalis [1]) „Roberto et militibus ejus inde remissionem peccatorum et coelestem Hierusalem contingere." Hactenus — exclamat — Evangelicis, Apostolicis, et Propheticis testimoniis innitebamur: et quod minus habebat materia, augebat exemplorum copia; hic vero quid dicam nescio, quo me vertam non video. Si enim utriusque legis totam bibliothecam si omnes totius bibliothecae veteres expositores revolvam, exemplum hujus Apostolici praecepti non inveniam," neque immerito exemplo Hildebrandi, quippe qui „ultimam sacris canonibus manum imponens" — Mathildi Marchionissae pro remissione peccatorum Henricum debellandum tradidisset, in Ecclesia novam auctoritatem, per quam reis sine confessione et poenitentia offeratur praeteritorum peccatorum impunitas, et futurorum libertas, exortam, fenestram malitiae hominibus patefactam esse, quasi jam tum futuram ecclesiae corruptelam animo praesagiens effatur [2]). Quam ut Deus optimus maximus avertat, his piissimis verbis in fine expetit. „Te o mater liberet, Deus ab omni malo; sit Deus tibi ostium, sit ostiarius. Nullus in te introeat, nisi cui ostiarius aperuerit. Te, inquam, tuumque Praesulem liberet Deus, et ab his qui (ut ait Micheas propheta) seducunt populum Dei: qui mordent dentibus suis et praedicant pacem. Et si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum bellum."

Habes hic libellum, qui haud dubie causa fuit, cur catholici semper Sigibertum schismaticum atque saevum pontificatus adversarium increparint [3]); quin etiam Baronius Leodienses ob eundem

1) l. c. pag. 202.
2) l. c. pag. 203.
3) cf. Gretseri Opera VI Contra Replicatorem lib. I. pag. 342.

cum Donatistis comparandos censuit [1]). — Auctor quidem pontificum singulorum vitam et actus acerrime insectatur atque, qui in ecclesiam abusus irrepserint, libere detexit [2]), Hildibrandum, Odoardumque (Ottonem scil. Urbanum) quasi despiciens, iis nominibus, quae antequam pontificatum adepti essent, habuerant, appellat [3]), neque in eorum rebus recensendis, a facete dictis omnino abstinet; sic — ait — Robertum, cui a pontifice mandatum esset, ut Henricum quovis modo insectaretur, similem sibi videri Alarico [4]), qui cum ad capiendam Romam iret, monitus a quodam, ut ab hoc impetu desisteret, respondisse feratur, quotidie se a viro quodam ad hanc urbem destruendam impelli, quamquam Alaricus, qui Roma capta ecclesiis hominumque sanguini pepercisset, papa, qui armigerum suum in totius regni ideoque multarum ecclesiarum ruinam pelliceret, mitiorem se praestitisset; Pontificis zelum [5]), Henrico mala inferendi cum praepostera Petri Malcho auriculam abscindentis iracundia comparat, neque insulse, qui auriculam Malchi sanasset, etiam illam Regis sanare posse addit. Arma a Papa ecclesiae illata esse detestatus „si liceret — inquit — dicere (salva Apostolicae dignitatis reverentia) ipse nobis videtur dormivisse [6]). Dormierunt cum eo omnes consiliarii ejus, quando conduxit sibi vastatorem Ecclesiarum Dei;" quod ille Leodienses pseudoclericos nominavit, id e more vetularum et textricium conviciantium fecisse [7]), dicere

---

1) cf. Annales eccl. edit. vet. XII. pag. 26.

2) vide supra multis loc. cf. pag. 198. Hildebrandus Papa, qui author est hujus schismatis, et primus levavit sacerdotalem lanceam contra diadema regni.

3) Cur Paschalem semper *Paschasium* vocet, nescio.

4) pag. 198. cf. Cassiodori Hist. Trip. XI. 9. pag. 368. Hist. misc. XIII. 27.

5) pag. 199.

6) pag. 190.

7) pag. 196. ead. pag. quomodo (Pasch.) sic *convicia venalia* invenerit etc.

ausus est. — In his, si summa adversarii iniquitate exacerbatus, modestiae modum excessisse videri possit, haud pauca tamen se offerunt, quibus pium et Ecclesiae regulis obedientem animum probaverit. — Ecclesiam Romanam matrem ubique appellat [1]), ejus antiqua statuta summa semper reverentia colit, ad locos sacrae scripturae, tanquam normas vitae et Ecclesiae semper relegat pontificem, eumque Apostolicum ne ab Apostolo deficiat [2]) severe monet. — Pravis illis asseclis Henrici, qui rerum saecularium appetitu discordias inter regnum et sacerdotium fovebant, minime adnumerandus videtur, cum has diaboli opera conflatas esse dicat [3]), et concordiam tanquam summum bonum exoptet [4]), se consiliis Regum aut Imperatorum non interesse confiteatur [5]). Jus Imperii divinum omni illud Pontificis impetu omnique singuli depravatione firmius acumine et eloquentia tutatur [6]), tamen pro Henrico nihil dicit, ejusque vitia ne verbo quidem defendit, quamvis probe perspexisse censendus. Corruptelae, quae et in Ecclesiam suam ingruerit, minime ignarus, Leodienses Simoniacos argui non sine dolore referre videtur, atque se (hoc est Leodienses) illos quidem vitare, tamen quos vitare nequeant, eos pro loco et tempore tolerandos censere, persuasos, fore, ut J. C. ipsis auxilio accurrat [7]), tamen et illos „qui notam avaritiae ho-

---

1) vide supra et pag. 190. pag. 199.

2) pag. 190. Nos ergo non infirmamus aut reprehendimus verbum Episcoporum episcopi, sed quia Apostolicus non debet deviare ab Apostolo, quaerimus humiliter per singula, utrum haec Apostolici verba sint per omnia gravitate Apostolicae authoritatis sana et irreprehensibilia. pag. 199. Esset Apostolicum, imitari Apostolum etc. cf. Hist. litt. IX. 560.

3) vide supra. pag. 195.

4) pag. 200. 5) pag. 197.

6) vide supra mult. loc.

7) pag. 194. Simoniaci sumus. Simoniacos, quantum ad nos, vitamus, et quos vitare nequivimus, pro loco et tempore toleramus,

nesto nomine praetexentes, quod gratis se jactant dare, vendunt sub caritatis nomine, et... sub nomine oblationum artificiosius accipiunt munera" se vitare dicit. Sic se atque suos peccatores, Salvatoris gratia egentes esse confessus, adversariorum vero peccantium superbiam et simulationem aspernatus candidum atque vere Christianum animum probat.

Quid igitur est, cur talis vir schismaticus atque haereticus dicatur? num schismaticus, qui inter armorum strepitus fide et indulgentia commendatis, concordiam Ecclesiae et Imperii vehementer expetat, num haereticus, qui „a novellis traditionibus" inconcussa fide ad evangelicam auctoritatem et canones [1]) appellet? — Nonne is summa laude immo admiratione dignus, qui concordi — et si pauca dicta, ira stimulante, emissa excipias — modesto animo verum dixerit, qui saevis illis, quae aetatem illam concutiebant, turbis inexterritus, neque Otberti violentia neque adversariorum ejus petulantia infectus et ultra se ipsum elatus, fundamenta reipublicae et ecclesiae Christianae valida mente perquisierit, neutrique parti adulatus, quae iis vere prodessent, libero animo proclamaverit?

Si de dicendi genere in hoc libello Sigiberti quaeris, non te fugere potest, eum ratione, singula Papae dicta refellendi abductum, interdum eadem argumenta repetere; ceterum modus demonstrandi proprius est aetati auctoris, qua principia juris publici et politices neque e legum codicibus, neque ex doctrina philosophorum, sed e Vulgata petebantur, atque dictis patrum, imprimis S. Augustini et Gregorii M. illustrabantur. Latino sermone interdum obscuriori, soloe-

---

certi quod ipse Jesus facto flagello de resticulis peccatorum cathedras vendentium columbas evertit et nummulariorum effudit aes. — pag. 198. Nos vero per misericordiam Dei juxta regulam obedientes et corrigibiles sumus, et schisma et Simoniam et excommunicationem per omnia dictante ratione et Spiritu sancto vitare volumus.

1) l. c. pag. 194—198.

cismis haud raro infecto in oratione soluta rimatis saepe verbis parum apte usus est [1]). — Quem tamen si conferas cum aequalibus — Henrici Imperatoris et advocatis et adversariis — vix ullo eum inferiorem invenies; superat enim libros Waltramo Numburgensi adscriptos — etsi iisdem, quibus ille, interdum usus est [2]) locis sacrae scripturae et patrum — concinnitate, Ivonem Carnotensem [3]) et Vvenricum Scholasticum

---

1) e. g. pag. 188:

Qui hactenus non intelligebat *loquendo*
Quid sit desertum mare, nunc intelligat *videndo.*
. . . . non solum *Babylonia*
sed etiam mundus et *ecclesia.*
In Babylone confusae sunt linguae *gentium*
in Ecclesia dividuntur linguae et mentes *credentium.*

pag. 189. Quid enim tam *mirabile*
immo quid tam *miserabile.*

pag. 193. quod vel ad corporis pertinet *decorem*
vel ad animae spectaret *valorem.*

pag. 194. Ob hoc dolendo *miramur,*
Cur excommunicati *dicamur.*

pag. 195. In hac re sunt initia *dolorum*
pro hac re erubescunt caussae *malorum.*

cf. de hoc more scriptorum medii aevi Stenzel II. pag. 48.

2) cf. de judicio Salomonis ap. S. p. 189. ap. Waltr. Apolog. pro H. IV sive de unit. Eccl. I. 8; locum Pauli de fide regibus et magistratibus praestanda ap. S. pag. 194. W. I. 3; locum Ezechielis de juramento etiam regibus ethnicis servando ap. S. 195. ap. W. I. 4. 17. S. Gregorii dictum de recto modo ligandi et solvendi. ap. S. pag. 201. ap. W. I. 6. cf. supra. pag. 184. Nota 1.

3) cf. Ivonis Epistolam ad Hugonem Archiep. Lugdunensem Sedis Apostolicae Legatum. ap. Goldastum l. c. pag. 183—187. cf. Sig. de script. eccl. Cap. 167. cf. dict. Augustini „per jura regum possideri possessiones" ap. S. pag. 196. ap. Ivonem l. c. pag. 186; de conflictu veterum canonum et novarum traditionum ap. S. pag. 197. ap. Iv. pag. 184; de concordia regni et sacerdotii necessaria. ap. Sig. pag. 200. ap. Iv. pag. 186.

Trevirensem [1]), quos ipse laudat et quibuscum etiam in nonnullis locis citandis consentit, alterum dicendi copia, alterum acumine aequiparat, Bennonem Cardinalem probitate animi superat; si adversariorum scripta comparare velis, Bernoldo Chronographo (Bernaldo) in sententiis struendis clariorem, Bernardo (Constantiensis deinde Hildeshemensis scholae magistro, postremum monacho Corbejensi) quoad animum moderatiorem, quoad dicendi genus simpliciorem se praebet [2]).

Quomodo libellus ab aequalibus exceptus sit, nunciis silentibus vix dici potest; num Leodiensium res admodum adjuverit, merito in dubium vocari possit, cum pace, quam imperator aestate anni 1103 cum Roberto Flandrensi fecit [3]), quies in his regionibus restituta sit. Condicio Leo-

---

1) qui sub persona Theoderici Virdunensis ad Hildibrandum de discordiis Regni et Sacerdotii scripsit. (cf. Sig. de script. eccles. Cap. 160.) ap. Martene et Durand: Thes. anecdot. I. col. 214 — 230. cf. locum Petri: „Deum timete." ap. Vvenricum. col. 221. supra cum Sig. pag. 194; de sanctitate jurisjurandi atque edicto Papae, quo omnes a fide Henrico praestita absolvit ap. Vvenr. pag. 224 — 225. ap. Sig. pag. 195 — 196. Et in hoc Vvenricus Sigiberto similis, quod (col. 228. supra) de episcopis haec dixit. Nostris autem episcopis, archiepiscopis legitime electis, communi assensu receptis, laica etiam communio interdicatur, et in nulla deprehensi culpa, Heinrico solo quia fidem tenent et perjurare timent reprobi judicentur (cf. Sig. supra. p. 182. e. p. 195). Ex horum lectione repetita Sig. rationes et argumenta, quae de rebus ecclesiae et imperii secum tulit, roborasse, probabile videtur; quos omnes inter se conferre, atque quae fuerit ratio politica totius aetatis, eruere quamvis gravissimum, locus et consilium opusculi nostri vetat.

2) cf. de horum libris Stenzel: Geschichte der fränkischen Kaiser. I. pag. 495 — 505.

3) cf. Sig. ad an. 1103. Stenzel. I. p. 572 — 73. II. p. 304. Tamen in rebus ecclesiasticis ab illo dissentientem se praebet litteris ad Lambertum Atrebatensem datis (vide sup. p. 175. n. 2.) ubi dixit: hoc tamen (scil. hominium, et pacem cum imperatore) factum esse „salva mihi auctoritate et obedientia Romani Pontificis, ejusque Eccle-

diensis Ecclesiae adversus pontificem, fides erga imperatorem eadem mansit, donec Henrico IV mortuo atque Otberto cum Henrico V in gratiam reverso, et cum clero et populo Paschalis Papae jussu ab excommunicatione absoluto [1]) in integrum restituta est.

Itaque, quod saepe libellis politicis accidit, ut in rebus ipsis decernendis parvam habeant auctoritatem id fortasse erunt, qui de Sigiberti libello dicant, iisque libenter assentior. Auctoritatem vero habet — ut ita dicam — moralem, quam digna memoria recolere, res est historiae potius humanae, quam historiae civilis.

Inde gloriam apud posteros haud parvam sibi paravit. Nam quamquam jam aetate concilii Tridentini in indice Romano librorum prohibitorum positus, atque usque ad hodiernum diem semper in eo repetitus est [2]), tamen eum non solum evangelici, sed etiam catholici in omnibus fere conciliorum collectionibus iterum iterumque typis excudendum curabant, ita ut pluribus editionibus, quam ullus alius Sigiberti liber divulgatus sit [3]). — Quin etiam Doctor

---

siae nec non Remensis et absque meae Christianitatis legalitatisve violatione porro me super his loci ac dignitatis vestrae temerationem aut damnum nullatenus incurrisse."

1) cf. Martene et Durand: Coll. ampl. I. 620 — 621. litteras Paschalis P. III. Idus Novembris (Stenzel. II. 312. perperam die 11. Octobris 1107) ad Arch. Trevir. datas. — In Chronico S. Trudonis. l. c. pag. 685. Otbertus cum Heinrico V reconciliatus apparet.

2) cf. Indicem librorum prohibitor. auct. Pii IV Colon. 1564. Sigiberti liber contra epistolam Paschalis Papae; jussu Pii VI Romae 1786. p. 270. Sigeberti Gembl. Epistola nomine Leodiensis ecclesiae contra ep. Pasch. Pap. ex Ind. Trid. Inde et eodem titulo in Indice juxta exemplar Rom. (edit. anno 1835) Mechliniae 1838. 8. p. 337. repetitur. cf. Bellarmin. de Script. Eccles. p. 73. Blount Censura celebrium auctorum p. 371.

3) Nobis quidem editiones quatuordecim notae sunt. Primum — nescitur ex quo codice — editus est in Tomo II. pag. 809 — 817. Conciliorum omnium Coll. (edit. ep. Petro *Crabbe* Mechliniensi.) Coloniae

Theologiae Sorbonicus *Gerbais* eundem Francogallice vertit [1]).

2. Liber adversus Epistolam Hildibrandi Papae ad Hermannum Mettensem Episcopum.

Memorat Sigibertus, „se rogatu Henrici Archidiaconi validis patrum argumentis respondisse *Epistolae Hildibrandi Papae*, quam scripserit ad Hermannum Mettensem episcopum, in potestatis regiae calumniam."

Notissimum quidem, anno 1076 Henrico rege a Gregorio Papa excommunicato, multos in Germania et principes et episcopos dubitasse, num omnino regem excommunicare,

---

Agrippinae. 1551, repetitur deinde in *Schardii* (Dissertat.) de jurisdictione imperiali et eccles. potest. 1566. fol., transiit in *Centuriam* XII Historiae eccles. Magdeburg. pag. 1110—1118. (Basil. 1569. ex officina Oporini) in *Goldasti* Apolog. pro Henrico IV. pag. 189—203. Hanovii. 1611. 4., in alteram editionem sylloges Schardianae. Argentorati. 1618. pag. 64 — 72. Coll. conc. Reg. Par. 1644. Tom. XXVI. pag. 701 — 721. Coll. conc. *Philippi Labbei et Gabr. Cossartii*. Tom. X. pag. 630. a. 1671. atque ejusdem exemplar Venetum ed. Coleti (1728, Tom. XII); *Jo. Harduini* Tom. VI. Pars 2. pag. 769. 1715. Brown Append. ad Fasciculum rerum expetend. et fugiend. Orthvini Gratii. Lond. 1690. fol. pag. 176—184. separatim editus Parisiis. 1697 (vide infr. not. 1.); in Mansi Coll. concil. Tom. XX. Venetiis. 1775. col. 986—99. — Antea jam inter Acta Codicis Udalrici Babenbergensis Nro. 234. Eccardus Corp. hist. medii aevi. Tom. II. (1723) col. 238—253., atque Martene et Durand Coll. ampl. I, (1724) p. 587—594 e Codice Stabulensi mutilo atque tantum usque ad verba „Deum timete, regem honorate (ap. Goldast. p. 194 lin. 15.) pergente, nomine vero ut videtur Sigiberti insignito, eundem ediderant. — In Cod. Bamberg. P. I. 9. Nro. 64. membr. saec. XII. de quo supra. pag. 45. Nota 3. libellus Sigiberti manuscriptus exstat. fol. 114—120. cf. Archiv. VII. 823.

1) Hist. litterar. IX. 561. „Cette Apologie au reste a paru si intéressante à M. Gerbais, Docteur de Sorbonne, qu'il a cru rendre service au public en la traduisant en notre langue en faveur de ceux, qui n'entendent pas le Latin. Sa traduction a été imprimée in 8. à Paris chez Frédéric Leonard en 1697, avec le Latin joint au François.

subditosque ejus a fide legitima avocare liceat, atque inter eos ipsum Hermannum Ep. Mettensem, quem propugnatoribus partis pontificiae strenuis neque rebus adversis exterritis adnumerandum esse constat [1]) fuisse videri. — Is cum de hac quaestione gravissima Papam interrogasset, duplex, quod nobis superstat, responsum accepit [2]); in utroque Gregorius exemplis, ex historia petitis demonstrare studet, reges jam saepe a pontificibus esse excommunicatos et depositos; est vero potissimum secundum, in quo de ratione, quae inter potestatem regalem et sacerdotalem intercedat, talia effatur, ut eum haec in regiae potestatis calumniam dixisse quisque probus cum Sigiberto contendere possit. Nam ne exempla historica, quae modo non minus fallaci quam inepto in doctrinae suae usum vertit [3]),

---

1) vide supra pag. 134.

2) Alterum VIII. Cal. Septbr. Ind. XIV. (i. e. anno 1076) datum, in Greg. Epp. IV. 2. ap. Mansi conc. l. c. col. 208, in quo haec ad Herimannum: Eis autem qui dicunt, Regem non oportet excommunicari; licet pro magna fatuitate nec etiam eis respondere debeamus, tamen ne impatienter illorum insipientiam praeterire videamur, ad sanctorum patrum dicta vel facta illos mittimus, ut eos ad sanam doctrinam revocemus; alterum datum Idibus Martiis in Greg. Epp. VIII. 21. (col. 331.) inter epistolas anni 1081, quod vero Bruno de bello Saxonico ap. Freher. ed. Struv. I. 202) nullo die adjecto, rebus anni 1076 inseruit (in Cod. Udalr. Babenb. Nr. 156. ap. Eccard. II. pag. 158. pluribus in fine amplius). Ibi Gregorius: Quod autem postulasti te quasi nostris scriptis juvari ac praemuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt auctoritatem sanctae et apostolicae sedis non potuisse regem Henricum, hominem Christianae legis contemptorem, ecclesiarum videlicet et imperii destructorem, atque haereticorum auctorem et consentaneum excommunicare nec quemquam a sacramento fidelitatis ejus absolvere, non adeo necessarium nobis videtur, cum hujus rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum scripturarum paginis reperiantur. — cf. Schröckh: XXV. p. 470—474. Stenzel I. p. 396—397 pag. 508—513.

3) cf. Stenzel, l. c. pag. 509. Nota 66.

perlustrem, neve dicta ejus, quibus ecclesiam Romanam omnium matrem et caput esse, ab ea nusquam appellari, judicia ejus a nemine retractari aut refelli debere vel posse[1]) probare studet, repetam neve ei inhaeream quod summis utriusque ordinis muneribus confusis, regibus et principibus, quod nullum sacramentum divinum administrare possint, rebusque tantum saecularibus intenti sint exprobret, inter horum innumerabilem seriem vix paucos, qui probitate atque pietate excelluerint, nullum qui miraculorum gloria effulserit atque viris Sanctis aequiparari possit, inveniri posse, cum in una tantum pontificum seriatim succedentium sede a Petro fere centum inter sanctissimos computentur[2]), contendat; id solum moneam — quod et acerrimi viri illustris defensores vix excusare poterunt — eum, auctoritatem regalem hominum imperiosorum et sceleratorum temeraria usurpatione esse conditam, dixisse[3]); idem ergo, quod nostris temporibus ab hominibus nequam, et ad omnia reipublicae fundamenta susque deque vertenda paratis tam impudenter saepe repetitum

1) ap. Mansi l. c. col. 332.

2) l. c. col. 334—336.

3) Ipsa verba referam col. 333: Sed ut ad rem redeamus, itane dignitas a saecularibus etiam Deum ignorantibus inventa non subjicietur ei dignitati quam omnipotentis Dei providentia ad honorem suum invenit, mundoque misericorditer tribuit? . . . . *Quis nesciat reges et duces ab iis habuisse principium, qui Deum ignorantes, superbia, rapinis, perfidia, homicidiis, postremo universis pene sceleribus, mundi principe diabolo videlicet agitante, super pares, scilicet homines dominari caeca cupiditate et intolerabili praesumptione affectaverunt:* Qui videlicet, dum sacerdotes domini ad vestigia sua inclinare contendunt, cui rectius comparentur quam ei qui est caput super omnes filios superbiae, qui ipsum summum pontificem, sacerdotum caput, altissimi filium tentans, et omnia illi mundi regna promittens ait: Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me. Quis dubitet sacerdotes Christi regum et principum omniumque fidelium patres et magistros censeri.?

est, de sede Romana pontificali, quam reges Christiana tanta gloria decoraverant, tantaque opulentia instauraverant, primum fere proclamasse.

Neque defuere temerariis atque impiis dictis ejus valida responsa, inter quae excellunt libri de unitate ecclesiae conservanda, sub nomine Waltrami Numburgensis editi[1]), libellus Vidonis postea episcopi Osnabrugensis[2]), epistola Vuenrici, scholastici Trevirensis, quam ex persona Theodorici Virdunensis ad Gregorium dedit[3]). His in re tam praeclara Sigibertum nostrum adnumerari posse. valde gaudemus neque, quin cujus dicta gravissima ad tuendum divinum regum jus jam cognovimus, et in hoc certamine dignus fuerit aemulus, dubitamus. — Eo magis dolendum est, librum ejus periisse, vel certe — per trecentos annos frustra petitum — in bibliotheca quadam adhuc ineditum latere[4]). In Indice tantum Romano jam ex concilio Tridentino usque ad hodier-

2) cf. supra atque Goldasti praefat. ad Apologias. Vix memoro insipidam „suspicionem" Jac. Gretseri (Opp. Tom. VI. pag. 95. cf. pag. 339—340) jam a Goldasto (l. c. 23) et Schröckh (XXV. pag. 473) refutatam, opus illud, quod a Saxone conscriptum multa capita docent, Sigiberti esse.

3) in codice Udalrici Babenberg. I. No. 172. ap. Eccard. Tom. II. col. 184. potiss. col. 191. cf. Stenzel, I. pag. 499, 509.

4) vide supra. cf. Stenzel l. c. Venricus etsi non ipsas „litteras Gregorii ad Herimannum memorat et potius ad litteras Gregorii domini regis depositionem, et Rodulfi inthronisationem continentes" respicit (cf. loc. cit. col. 219. col. 220, 224) tamen se principiis Gregorii, hic et illic proclamatis, adversari, multis locis testatur: sic col. 220. „Novum est autem et omnibus retro saeculis inauditum, pontifices regna gentium tam facile velle dividere. Nomen regum inter ipsa mundi initia repertum adeo postea stabilitum repentina factione eludere, Christos Domini quoties libuerit plebeja sorte sicut villicos mutare, regno patrum suorum decedere jussos, nisi confestim adquieverint anathemate damnare" dicens, calumniis illis Gregorii (vide pag. 194. No. 3.) respondisse videtur.

5) cf. Hist. litt. de la France. IX. 556. Fabricium et alios l. c. Schröckh XXV. pag. 473.

num diem cum illa Epistola contra Paschalem Papam sive „Liber contra Gregorium Papam"[1]) sive „Responsum ad Hildebrandi Papae epistolam, quam scripsit in potestatis regiae calumniam" invenitur.[2]) Optandum est, ut docti Indicis editores nobiscum communicassent, ubi librum illum legerint.

3. Apologia contra eos, qui calumniantur Missas conjugatorum sacerdotum.

Memorat porro Sigibertus, se ad ipsum Henricum[3]) Apologiam contra eos, qui Missas conjugatorum sacerdotum calumniati essent, edidisse[4]) quam nusquam lucem vidisse plures annotarunt[5]) nonnulli gavisi sunt[6]), schismaticam illam atque merito perituram existimantes. Satis sane felix hujus epistolae fortuna praedicanda est, quod in Indice prohibitorum librorum non est enumerata, felicior etiam illa, si re vera aetatem tulisse dicenda esset, quam tamen ei contigisse nos quidem demonstrare studebimus.

Acta celeberrimorum illorum conciliorum in initio Quadragesimae anni 1074[7]) et 1075[8]) Romae habitorum, quo-

1) cf. Ind. Pii IV. Colon. 1564.

2) cf. Ind Pii VI. pag. 270. Ind. Roman. anni 1835, edit. Mechliniae an. 1838. l. c. ex Ind. Trid.

3) i. e. ad archidiaconum, non ad Imperatorem, ut Trithemius et alii plures post eum locum Sigiberti perperam interpretati sunt.

4) vide supra pag. 179 n. 1.

5) cf. Svertii Athen. Belg. pag. 674. Schröckh, XXV. 483.

6) Bellarminus de script. eccles. l. c. Jac. Gaddius de script. 1649. fol. Tom. II. pag. 347—48. Foppens: Bibl. Belg. Tom. II. pag. 1096. Hist. littéraire. IX. 556. Il est fâcheux, que cet ouvrage soit perdu, non à cause, qu'il pût être de quelque prix, car il semble, qu'il ne méritoit point d'autre sort, mais pour la raison, que nous sommes privés de juger par nous-mémes, de quelle manière l'Auteur traitoit son sujet.

7) cf. epistolas Gregorii I. (42. 43.) 51. 52. 53. 54. 56. 57. 58. a die 14. usque ad diem 17 Martii 1074. cf. Stenzel. II. 262.

8) cf. Baronii Annales eccl. ed. vet. XI. pag. 462. 467—69 et loc. ibid. cit. Greg. ep. II. 52. Romae in synodo secunda, Cal. Martii

rum primo Gregorius VII. decreta contra simoniacos et uxoratos sacerdotes emisit[1]) altero et eadem majori cum vi repetiisse[2]) et decretum contra laicorum investituras adje-

---

1) cf. Lamb. Aschafnab. ad an. 1074. l. c. pag. 378. Mariani Scot. text. edit. et Flor. Wig. l. c. ad an. 1074. Sigib. eodem anno. cf. Ep. Greg. II. 11. ad Albertum Comitem, dat. VII. Cal. Novbr. (1074) ind. XIII.

2) cf. in Bernoldi Apologetico pro decretis Gregorii VII, editis in synodo Romana adversus Simoniacos et incontinentes altaris ministros Cap. 5. apud Ussermann. l. c. II. pag. 278, in epistola Gregorii ad Ottonem ep. Constantiensem Apologetic. cap. 1. l. c. pag. 272. et in Pauli Bernriediensis Vita Gregorii VII. Cap. 36. l. c. pag. 417. canones synodi quatuor, eosdemque in Bertholdi et Bernoldi Chronicis ad an. 1075. l. c. pag. 21. et 28., quos num Bertholdus qui synodi anni 1074 nullam fecit mentionem, recte anno 1075. adscripserit plures dubitarunt (cf. criticam Pagii in Annalès Baronii ad an. 1074. Tom IV. pag. 253. notas Ussermanni l. c. pag. 21. et 28. et sententias doctorum controversas ap. Usserm. l. c. pag. XXIII. et pag. 270. Neugart: Episc. constant pag. 459.) eos tamen sine certioribus argumentis ipsi anno 1074 adscribere vix audeam, cum et pro Bertholdo quaedam certent et a synodo anni 1075. similia decreta esse videam. cf. ep. Greg. II. 62. ad Sichardum episc. Aquilejensem dat. X. Cal. Apr. ind. XIII. in qua Gregorius haec: Fraternitatis tuae prudentiam latere non debet, neque tui ordinis dignitatem ignorare oportet, quae statuta quaeque decreta in peracto concilio praeteritae quadragesimae consilio confratrum nostrorum ac totius conventus assensu, sequentes sanctorum patrum auctoritatem, statuimus. — Decrevimus enim, quod si quis eorum ordinum, qui sacris altaribus administrant, presbiter scilicet, diaconus, uxorem vel concubinam habet, nisi illis omnino dimissis dignam poenitentiam agant, sacris altaribus penitus administrare desistant, nec aliquo ecclesiae beneficio ulterius potiantur, sive potitis fruantur . . . . Monemus itaque te, ... immo apostolica auctoritate tibi praecipiend mandamus, ut tu in dioecesi tua . . . . fornicatoribus clericis, nisi a fornicatione abstinuerint, praefata conditione officium et beneficium penitus interdicas. cf. Ep. II. 67.

cisse [1]) videtur, ipsa aetatem non tulisse notissimum est. — Inde, scriptorum dictis — ut fieri solet — neque satis accuratis neque inter se consentientibus [2]) vix certo confirmari potest, utrum Gregorius primo illo an altero patrum conventu, an tempore inter utrumque interlapso, id, ut laici officia clericorum conjugatorum nullo modo reciperent, eorumque Missas respuerent, decreto suo de matrimonio sacerdotum interdicendo adjecerit.

Est tamen, cum ex universa rerum natura tum ex ipsius Gregorii dictis probabile, eum cum decreto anni 1074 sacerdotes ubique acerrime resistere [3]) et anathemati malle subjacere, quam uxores relinquere videret [4]) hoc, quo eis obedientiam laicorum detraheret, mox certum remedium invenisse. — Inde eum jam ab initio anni 1075 huic doctrinae inter laicos divulgandae operam dedisse, docet epistola III. Idus Januarii data [5]), qua, decretis contra Simoniacos et fornicatores repetitis, Rodulphum Sueviae et Bertholdum Carentanorum ducem rogat et apostolica auctoritate admonet, ut „quidquid episcopi dehinc loquantur aut taceant, officium

---

1) Id evenisse in synodo anni 1075, contra Hugonem Flav. qui l. c. pag. 196. decretum tanquam anno 1074. emissum edit, demonstrasse videtur Pagius Critica, l. c. pag. 256. cf. Stenzel I. pag. 362.

2) Sic Sigibertus ipse jam anno 1074. Gregorius Papa, celebrata synodo simoniacos anathematizavit, et uxoratos sacerdotes a divino officio removit, et *laicis Missam eorum audire interdixit.*

3) cf. Stenzel. I. pag. 355—358. cf. Dr. Johann Anton et Augustin Theiner: die Einführung der erzwungenen Ehelosigkeit bei den christlichen Geistlichen und ihre Folgen, II. 1. pag. 172—183.

4) cf. Marianum Scot. apud Flor. Wig. ad an. 1075. Dum clerici magis eligerent anathemati subjacere quam uxoribus carere, Hildebrandus papa ut per alios (si posset) eos castigaret, praecepit ut nullus audiret missam conjugati presbyteri. — In textu edito ap. Struv. I. pag. 653. verba Mariani paullum mutilata videntur.

5) ep. II. 45. ap. Mansi col. 158—159.

eorum, quos aut simoniace promotos et ordinatos aut in crimine fornicationis jacentes cognoverint nullatenus recipiant, et quantum poterint tales sacrosanctis servire mysteriis etiam vi, si oportuerit, prohibeant." — Inter canones synodi, nisi anni 1074, certe anni 1075 cum tertio illo „Ut a clericali officio cessent, quicunque se pro incontinentia reprehensibiles exhibent", quartus „ut populus clericorum officia nullatenus recipiat, quos apostolicas institutiones (scil. de simonia et coelibatu) contemnere videat" receptus est [1]). — Quod cum Gregorius in epistola ad Ottonem ep. Constantiensem acrioribus adhuc verbis repetiisset [2]), his verbis: „ut qui pro amore Dei et officii dignitate non corriguntur, verecundia saeculi et objurgatione populi resipiscant" additis, intimum animi consilium detexit. — Anno 1075 epistolam dedit „per totum regnum Italicum et Teutonicum debitam S. Petro obedientiam exhibentibus, his verbis incipientem „Si qui sunt presbyteri, diaconi, subdiaconi, qui jacent in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte omnipotentis Dei et auctoritate S. Petri introitum ecclesiae, usque dum poeniteant et emendent. Si qui autem in peccato suo perseverare maluerint, nullus vestrum officium eorum auscultare praesumat, quia benedictio illorum vertitur in maledictionem et oratio in peccatum: testante Domino per Prophetam „Maledicam (inquit) benedictionibus vestris" [3]) eosque qui huic

---

1) scil. in Bernoldi Apologetico et Chronico l. c.

2) Ait enim l. c. „Sed nec illi, qui in crimine fornicationis jacent, Missas celebrare aut secundum inferiores ordines ministrare altari debeant. Statuimus etiam, ut si ipsi contemptores fuerint nostrarum, immo SS. Patrum constitutionum, populus nullo modo eorum officia recipiat (cf. supra pag. 197. n. 2. 198. cum n. 5.) cujus verba secutus est Bertholdus in Chronico l. c.

3) Exstat epistola decretalis usque ad haec verba in textu genuino Mariani Scot. apud Florentium Wigorniensem ad an. 1075., loco

praecepto obedire noluerint, idololatriae peccatum incurrere docentem, edidit. —

Quanta sedulitate Gregorius VII. decreta sua, epistolis in omnes Christianarum terrarum angulos emissis, proclamare atque confirmare studuerit, notum, neque nostrum hoc singulis exemplis probare. — Sufficiat pauca monere, quae ad nostram regionem propius accedant. — Sic eum jam anno 1074 Annonem Archiep. Coloniensem monentem „ut non solum in ecclesiae suae dioecesi, sed etiam in omnibus suffraganeorum suorum parochiis, presbyteros; diaconos et subdiaconos admonitionibus suis caste vivere faciat,"[1]) videmus; anno 1075 illum, ut concilio fratrum et coepiscoporum convocato leges illas auctoritate apostolica clericis quam maxime commendaret, exhortatur[2]); iisdem diebus Theoduino Leodiensi praecipit „ut admoneat et coerceat quoscunque sacri ordinis ministros caste vivere et concubinas

---

vero minus idoneo, sejuncta a verbis, quibus Marianus eam lectori proponit (sup. pag. 198. n. 4.)in textu edito (cf. sup. pag. 121. nota) et in Chronico Bertholdi (ap. Ussermann. l. c. pag. 97.) usque ad verba: in peccatum: ad an. 1079. ad quem minime pertinere videtur. Exstat paullo amplior in Gerhohi Reicherspergensis exposit. ad Psalmum X. ap. Pez. Thes. Anecdot. V. pag. 157. unde Mansi XX. 433. eam tanquam fragmentum actorum concilii anni 1074, canones tertium et quartum continens edidit. — Eodem quo apud Gerhohum, habitu exstat in Ivonis Pannormia. lib. III. cap. 134. Gratiani part I. distinct. 81. cap. 15. praescriptis his: Gregor. omnibus per regnum Italicum et Theutonicorum (ap. Richter pag. 244). unde opinio fratrum Theiner (l. c. pag. 172.) esse canonem concilii anni 1074 corruere videtur. — Similis exstat epistola Gregorii VII.omnibus clericis et laicis in regno Teutonicorum constitutis ap. Schannat et Harzheim, III. pag. 184—185. Mansi XX. col. 625.

1) dat. XIV. Cal. Decbr. ind. XIII. II. 25. ap. Mansi col. 144—145. cf. Theiner. l. c. pag. 187.

2) Ep. II. 67. dat. IV. Romae IV. Cal. April. ind. XIII. col. 176—177. cf. Theiner l. c. pag. 195.

omnino derelinquere." [1]) — Eum remedium illud, laicos contra clericos inobedientes excitandi, sicut in Ep. ad Rodulfum et Bertholdum, etiam in Flandria adhibere studuisse, docet Epistola ad Adilam comitissam [2]), qua „pervenisse ad aures suas, quod quidam suorum dubitent, utrum necne sacerdotes ac levitae, seu ceteri qui sacris altaribus administrent, in fornicatione persistentes missae deberent celebrare officium" testatus, ex auctoritate sanctorum patrum confirmat „nullo modo ministros sacri altaris in fornicatione existentes missae debere celebrare officium, quin etiam extra choros esse pellendos, quousque poenitentiae dignos fructus exhibeant." Eodem die ad Robertum [3]) „pervenisse ad sedem suam, quod in terra suae dominationis, qui vocantur sacerdotes in fornicatione positi non erubescant cantando missam tractare corpus et sanguinem Christi, non attendentes quae insania quodve scelus est, uno eodemque tempore corpus meretricis et corpus attrectare Christi," — scripsit, eum igitur ex parte omnipotentis Dei et auctoritate beati Petri rogat, eique omnino praecipit, ut ubicumque possit, huic sceleri resistat."

Neque defuere his regionibus discordiae intestinae, quae ubique decreta haec saevissima sequerentur. Conqueritur Ebrardus, Watinensis monasterii canonicus [4]), monachis, quod apostolica decreta de missis conjugatorum sacerdotum spernendis libenter excipere viderentur, comprovinciales et clericos vicinos, caedes, incendia, exterminium exitiale quotidie

---

1) Ep. II. 61. dat. Rom. X. Cal. Apr. ind. XIII. col. 172—173. cf. Theiner l. c. pag. 197.

2) Ep. IV. 10 IV. Id. Novbr. ind. XV. (1076) ap. Mansi col. 216—17. cf. Theiner. l. c. pag 198—199.

3) Ep. IV. 11.

4) cf. Chronicon Watinensis monasterii, auctore Ebrardo .... c. XXII. ap. Martene et Durand. Thesaurus III. pag. 809—810. cf. Theiner l c. pag. 204—205.

comminatos esse; Gregorius, sibi relatum esse, „Cameracenses hominem quendam flammis tradidisse, eo quod simoniacos et presbyteros fornicatores missas non debere celebrare et quod illorum officium minime suscipiendum foret, dicere ausus fuerit" testatur[1]). Conqueruntur acrius et fortasse verius clerici Cameracenses[2]) quae, episcopo ad partem pontificiam inclinante, ab illa eique adhaerentibus, mala patiantur: „Hactenus in ordine clericali, quo viverent, maximum viguisse honorem et reverentiam et clericorum nomen, tanquam in sorte Dei attributum, caeteris insignius dignitate praeiisse et gratia, dici autem factos esse opprobrium vicinis." .... „Quidquid in his agatur nunc a quibusdam inventum et suggestum esse, qui totius catholicae religionis eucharistiae videlicet atque baptismi, confessionis et poenitentiae, quae pro nihilo ducant, destruere machinentur sacramentum;" — atque condicione detestabili illa explicata — „in his igitur — inquiunt — quae praelibata sunt et nostri nominis intolerabilem injuriam consideramus, et apud laicos quibus futuri sumus in sibilum, maxime perhorrescere oportet infamiam: quantoque apud majores nostros constat esse inauditum, tanto nobis videtur indecens atque inhonestum."

Quae si comperta habes, Sigibertum non cum scriptoribus curiae Romanae schismaticum et mendacem habeas, quod loco illo celebri anni 1074 Gregorium laicis Missam sacerdotum uxoratorum „*novo exemplo et ut multis visum est, inconsiderato praejudicio* interdixisse contendit, atque sanctorum Patrum sententiam, sacramenta sua virtute i. e. spiritu sancto operari, laudat, inde dictum evangelicum „hic est

---

1) Ep. IV. 20. ad Josfredum Episc. Parisiacensem, VIII. Cal. April Ind. XV. 1077. ap. Mansi col. 226. cf. quae Theiner pag. 182—183. n. ad refellendam narrationem illam affert.

2) cf. Clericorum Cameracensium ad Remenses epistolam ap. Bouq. XIV. pag. 778—780 ap. Theiner l. c. pag. 220—221.

(scil. spiritus sanctus) qui baptizat" explicari memorat; tum, quae mala his novis legibus in Ecclesiam ingruerent — clericos illos, qui obedientia erga decreta Pontificis praetexta, simoniam tantum dissimularent, insectatus atque bellum laicorum contra clericos, quo baptisma sanctum et extremum Dominicum viaticum corrumperetur, ipsumque Corpus Domini violaretur, detestatus — ostendit.

Neque ratione quidquam atque ipsa rei natura magis suadetur, quam ut, si quis Sigiberti epistolam ad Henricum archidiaconum quaerere velit, eos potissimum libros illa aetate conscriptos, in quibus similia simili in rerum cogitatorumque tenore leguntur, studiose evolvat; id quod libri proprium videtur, quem Martene et Durand [1]) sub titulo:

Epistola cujusdam adversus laicorum in presbyteros conjugatos calumniam

ex manuscripto Gemblacensi ediderunt, quemque illi, — nulla idonea causa addita per conjecturam Vuenrico Trevirensi [2]) adscripserunt. Tendit enim haec [3]) in universum

---

1) Thesaur. nov. anecdot. I. col 230—241.

2) l. c. col. 230. nota b. stylum atque scribendi rationem eandem ac in epistola Uvenrici (de qua supra) esse contendunt, quod vero utroque libello diligentius pervoluto non confirmare audeo, etsi Theiner l. c. pag. 261. n. ei astipulari video. Obstare videtur huic conjecturae, quod nullum testimonium, Uvenricum libellum de missis et sacramentis presbyterorum conjugatorum scripsisse exstat.

3) Theiner l. c. pag. 258. epistolam ad Gregorium directam esse tradit, quod si re vera probari posset, Sigibertum auctorem non esse demonstraret; nihil vero, quod ad idem statuendum nos inducat, invenimus, nisi quod auctor (col. 233.) loco evangelii „omnia munda mundis" allato exclamat: et tu novus morum corrector, contra ejus doctrinam sacro-sancta mysteria eis qui mundi sunt, per quemcunque vel qualemcunque ministrata, immunda asserere conaris? Hoc ad Gregorium pertinere videtur, magis tamen exclamationi auctoris ultra se ipsum elati, quam directae epistolae allocutioni simile.

eo, de quo Sigibertus suam agere memorat, scil. quod legem „ad laicos promulgatam, qua imperitis persuasum est, conjugatorum sacerdotum missas, et quaecunque per eos implentur mysteria fugienda esse" omnium malorum causam probet eamque omnimodo impugnet. In hac vero, sicut in Sigiberti loco ad an. 1074, si argumentum dogmaticum spectes, de vi propria sacramentorum, si historiam, de malis, per leges novas in ecclesia exortis, agitur.

sic in Chronico:

scripserunt (scil. sancti Patres) quod sacramenta quae in ecclesia fiunt, baptismus scilicet et chrisma, Corpus et Sanguis Christi spiritu sancto latenter operante eorundem Sacramentorum effectum, seu per bonos, seu per malos intra Dei Ecclesiam dispensentur, tamen quia Spiritus Sanctus mystice illa vivificat, nec bonorum meritis dispensatorum amplificantur, nec malorum peccatis attenuantur.

in Epistola. l. c. col. 232.

Et nos quidem ante haec doctorum tempora putabamus, missas illas et similia quae per sacramenta in ecclesia geruntur, neque eorum per quos amministrantur mala dici debere, neque ex eorum perversitatibus aliquid contagii, unde merito apud fidelium mentes quasi minus ad salutem sufficientia vilescere debeant, contrahere posse.

e Gregorio col. 233.

Hoc est mysterium, quod nec bonus melius, nec malus pejus facere potest.

ex Augustini libro de blasphemia spiritus col. 234.

Ad quam congregationem (scil. ad eam, quae ad redimenda peccata accepit Spiritum Sanctum) si per malum clericum, sed tamen catholicum ministrum reprobum et fictum aliquis accesserit, corde non ficto in ipso spiritu accipit remissionem peccatorum, qui spiritus in sancta ecclesia etiam isto tempore sic *operatur*, ut nullius veram confessionem aspernetur, nullius simulatione fallatur, atque ita reprobos fugiat, ut etiam per eorum ministerium probos colligat.

ex Anastasio col. 236.

Malus bonum male ministrando sibi tantum nocuit. Nam inviolabile sacramentum, quod per illum datum est, aliis perfectionem suae virtutis obtinuit.

Sigibertum in Chronico breviter attigisse illud „Hic est, qui baptizat", diximus. De eodem in Epistola commentarius

quidam secundum disquisitiones Augustini scriptus est, ubi legitur inter alia: col. 234.

Et uberius atque expressius tractans illum evangelii versiculum, „hic est, qui baptizat" sive, ait, baptizet in ministerio servus bonus, sive servus malus; non sciat se ille qui baptizatur, baptizari nisi ab eo qui tenuit potestatem baptizandi.

et postea col. 235.:

Quos baptizat — inquit — ebriosus, quos baptizat homicida, quos baptizat adulter, Christus baptizat: —

Collatis porro, quae in utroque scripto de illis, qui vitium simoniae dissimulent, dicta sunt:

in Chronico:	in Epistola col. 237.
aliis a simonia non declinantibus, aliis notam avaritiae honesto nomine praetexentibus dum hoc quod se gratis dare jactant sub caritatis nomine vendunt, et ut de Montanis dicit Eusebius, sub nomine oblationum artificiosius munera accipiunt.	Alii enim coemtione vel quolibet alio modo illicite usurpata ecclesiastica officia ablatis baculis et statim, sicut prius inter eos convenerat, redditis, quae cum reatu modo possidebantur, sancte et juste a modo posse haberi asserunt. Alli istius in illum, illius in istum praelationes, quas injuste sortiti erant, ridiculo transferentes concambio, pie et religiose id fieri posse astruentes, vigilantia sua ex uno duplex periculum constituunt. —

perspicuum est, ab utroque scriptore etiam non iisdem verbis, simili tamen modo haec vitia tractata esse; neque minus liquet, eodem quo in Chronico quoque de bello laicorum contra clericos agitur, dolore captum et commotum esse hujus libri scriptorem.

in Chronico:	in Epistola col. 231.
. . . hac opportunitate laicis insurgentibus contra sacros ordines et se ab omni ecclesiastica subjectione excutientibus, laici sacra *mysteria temerant*, et de his disputant, infantes baptizant, sordido humore aurium pro sacro oleo et chrismate utentes, in	Illi autem, laicos dico, quibus amministris tam ordinata agi placuit capitula, sua auctoritate defendentes vesaniam, nihil est, quod contra propositum christianitatis non audeant, ecclesiae *mysteria contemnere*, parvulos suos lavacro salutari

In Chronico:	in Epistola col. 231.
extremo vitae *viaticum* Dominicum, et usitatum ecclesiae obsequium sepulturae a presbyteris conjugatis accipere parvipendunt, decimas presbyteris *deputatas* igni cremant.	fraudare [1]), ipsi absque humili peccatorum confessione et solenni ecclesiae *viatico* migrare religiosum *deputant*, sibi ad peccatorum redemtionem sufficere arbitrantes, si commissum sibi in pastores suos saeviendi officium strenue adimpleant.

Adde quod in Epistola Gregorius, Ambrosius, Hieronymus atque Augustinus, quos Sigibertus etiam in illa pro Leodiensibus maxime citavit (et quorum rebus in Chronico diligentiorem dedit operam) praeter alios citantur [2]), quod in demonstrandi ratione plura sunt in utroque scripto similia, quod iisdem vel similibus verbis atque in Epistola illa plura dicuntur (sic ibi *muliercularum textrina et opificum officinae* [3]), in Epistola *vetulae et textrices* memorantur) denique, quod haec Epistola *e codice Gemblacensi* edita est, neque poteris, quin nobiscum statuas, eam genuinum Sigiberti scriptum haberi posse, nisi alius auctor, cui majori jure adjudicari possit, prodeat. —

Agedum quod singulis vestigiis conjecimus, etiam ex universa cognitione probemus. [4])

Auctor statim ab in initio modeste dicendi licentiam precatus, — „quis catholicus in tanta matris ecclesiae perturbatione non doleat

1) cf. col. 240. eadem simili modo repetita.

2) col. 233. Huic autem evangelicae atque apostolicae sententiae patres omnes consonant, quos in arce auctoritatis positos vitae et doctrinae merito ecclesia reverenter suscipit. Primum quidem illi reverendi nominis Gregorius, Ambrosius, Hieronymus atque Augustinus.

3) cf. col. 230.

4) Excerptum epistolae, quam nos primum Sigiberto vindicare studemus, hoc loco dare aptum duximus; plura tamen omisimus, quae et ap. Stenzel. I. pag. 500 — 502. Theiner. pag. 259 — 268 exstant.

(interrogat) quis viscera miserationis non exerat. „Nihil enim aliud mulierculärum textrina et opificum officinas personare, quam totius humanae societatis jura confusa, christianae sanctitatis statuta convulsa, popularis status subitam immutationem, ecclesiastici decoris impiam delirationem, novas in dominos perfidias servorum, omnimodas in servos suspiciones dominorum, infidissimas sodalium proditiones, dolosas in ordinatam a Deo potestatem machinationes, amicitiam laedi, fidem negligi, et impudentiori malitiae licentia impia, et christianae religioni contraria dogmata induci et, quod miserrimum esset, omnia haec potentia eorum, qui christianitatis duces vocantur, vel permissione concedi, vel consensu fulciri, vel auctoritate roborari." . . . „Haec superstitiosos adinventores religionis habitu palliavisse, et melli venenum ammiscentes per praelibatae dulcedinis gustum mortem ad interiora transmisisse, et arma, quae pro asserenda ecclesiarum libertate se cepisse gloriati essent, in miserabilem eorum captivitatem, vel multum malitiosos, vel multum stultos vindices retorsisse." „Si enim — (animo pacem ante omnia appetente, ductus pergit) — ad principia redeas, quid pulchrius, quid christianitati conducibilius, quam sacros ordines castitatis legibus subjicere, promotiones ecclesiasticas non pecuniae pacto sed vitae merito aestimare, juvenis regis vitam [1]) et mores ad suam et subditorum utilitatem corripere, episcopalem dignitatem ab omni saecularis servitii necessitate absolvere." [2]) — Contrarium vero evenisse multis atque gravissimis exemplis propositis demonstrat, proscriptiones, mutilationes et cruciatus, quin etiam caedes clericorum, laicorum insolentiam, omnium sacramentorum et mysteriorum ecclesiae contemtionem, superstitionem foedissimam undique ingruentes vividis coloribus depingit.) —

Tristissima hac rerum descriptione praemissa, ad ipsam rem se convertens legem illam „sacerdotum conjugatorum missas etc. fugienda esse" omnium malorum causam invenit. Sic fit, ut ad refellendas eorum opiniones, tanquam haec sacramenta sint impura, atque polluta, recto itinere pergat; primum, quaestione ex rationis tantum lege instituta, interrogat, stultior an superbior sit viator, qui propter adjacentis vasculi vilitatem saluberrimum et purissimum fontem sub ardore et siti

1) Inde in aetatem, qua Epistola emissa est, conjici potest.

2) col. 230 — 231.

3) vide ap. Stenzel et supra.

despiciens praetereat, et juste — addit — illum languere, qui oblatam certissimae sanitatis potionem recuset, pro eo, quod forsitan scabiosus est qui eum porrigat, deinde ad (sacrae scripturae) auctoritatem, qua rationem longe vinci cum Augustino ait, conversus Christi exemplum, qui Scribas et Phariseos super cathedram Moysis sedentes in omnibus, quaecumque dixissent, audiendos doceret, digerit, porro dictum evangelii, secundum quod et impius ille Caiphas cum Sacramento pontificatus prophetiae spiritum accepisset, proponit, atque „an infirmius futurum sit Ecclesiae sacramentum, ut impuri ministri, impuri quidem, sed ministri ad peragendum officium insufficientiam supplere non possit" ex adversariis quaerit.[1] Omnia munda esse mundis; qualicumque animo Christus annuncietur, pertinere ad Evangelii profectum.

Huic autem evangelicae atque apostolicae sententiae patres supra memoratos assentari dicit, quorum ex unoquoque locos ad argumentum suum probandum citat, potissimum quae Augustinus de illo „hic est qui baptizat" tam religiose quam diserte edidit; loco Hieronymi idem, quod in baptismate etiam in aliis sacramentis Ecclesiae locum habere confirmat. — Adjectis etiam testimoniis e decretis pontificum, subjungit vir vere christianus „Romani enim pontifices, apostolorum successores dici quidem, sed et esse possent, si gloriam suam quaerentes et ad magnificandam linguam suam de corde suo prophetantes, spirituale aedificium in illorum doctrina fundatum aliqua in parte labefactare non timuissent. Quia vero gloriosissimam Dei civitatem, a principio suae fundationis usque ad perfectionis suae finem pulchre distinctis pro temporum ordine ejusdem religionis cerimoniis, sub uno domino et una fide unus Deus et Pater omnium regit et confoederat; nullus moveatur si per qualemcunque doctorem aliquem illo etiam meliorem modo erudiat, qui olim eum, cum quo facie ad faciem loquebatur, per Jethro sacerdotem Median docuit."[2]) — His omnibus expositis, alii quid inde conjiciant, videant, rogat; se non ita diligentes esse, ut sacerdotes indignos hoc modo detestari et sacramenta eorum polluta habere possint, vel „permissam, immo injunctam laicis in eorum contumelias et supplicia licentiam approbare valeant," neque ita religiosos vel esse, vel esse velle, ut contra sacrae scripturae auctoritates „contra evangelicas et apostolicas institutiones venire prae nimia religiositate praesumant, etiamsi harum novitatum auctores ad faciendam sibi fidem signis et prodigiis mirificari viderint." Apostoli dictum illud, quod anathemate affligit ipsum

1) col. 232—233.

2) col. 236.

angelum de coelo aliter evangelizantem, se valde revereri confitetur. Concludit hanc expositionem, erroribus et vitiis, in quae pars adversaria incidisset, miraculis, quae vesanae mentis occaecatione statuere posse gloriati essent. Iterum increpatis.[1])

Sunt vero multi, qui a parte pontificum stantes refragati sint[2]) et Sigibertum in Chronico et (si conjectura uti liceat) in his, quae modo perlustravimus, propria causa edicti Gregoriani posthabita, excommunicatorum quoque clericorum sacramenta, quippe a nemine in dubium vocata, rata esse defendisse, atque in hoc jam satis ab Anselmo Cantuariensi refutatum esse[3]) qui consonans fere dicto Gregorii Papae[4]) in Epistola ad Guilelmum Abbatem (Hirsaugiensem) missas et sacramenta conjugatorum presbyterorum non propter hoc reprehendi contendat, quod ea, quae in iis tractentur, contemnenda sint, sed quod tractantes exsecrandi existimentur, „ut qui Dei et Angelorum praesentiam non revereantur vel hominum detestatione repulsi, sacra contaminare desistant."

His vero objectionibus et papae et viri, qu mvis maxime reverendi, tamen ejus asseclae nimis studiosi, quibus nihil veri inest, nisi quod edictum, quo sacramenta illa populo interdicta essent, solum ad decretum de mulieribus abjiciendis

1) col. 236 — 237.

2) cf. Baronium XI. pag. 452. Criticam Pagii l. c. ad an. 1074. Schannat et Harzheim Concil. Germ. III. pag. 234.

3) Anselmum (Cantuariensem) epistola ad Guilelmum Abbatem, VIII. Sig. refutasse apud plures recentiores invenitur (cf. Bellarmin de script. eccles. l. c. Valerii Andreae Bibl. Belg. pag. 809. Foppens. II. 1096.) Nomen Sigiberti in Anselmi operibus — quantum scimus — nusquam occurrit; in Epistola ad Guilelmum Abbatem. lib. I. Nro. 56. in editione Lugdunensi ap. Laur. Durand. 1630. pag. 22. (de cujus aetate cf. Theiner. l. c. pag. 202.) de presbyteris conjugatis, quae in textu notavi, edixit. — Eum in hac de presbyteris conjugatis sententia mansisse, docent acta synodorum Londinensium anni 1102 et 1108. ap. Baronium XII. pag. 24. pag. 66. Theiner. pag. 305 — 312.

4) vide supra pag. 199, „ut qui pro amore Dei." etc.

exsequendum sufficere visum est, Epistolae auctor satis valide respondet, sic alteram partem exorsus:

„Sed forsitan causentur super his, quod nos legimus, se quoque legere; quod tenemus se etiam tenere non ex ignorantia rei sed certi causa mysterii ad id perductos esse, pravae quae diu inoleverat consuetudini consuetudinaliter resisti nequivisse, ut saluti animarum consuleret, regio morbo novum medicamenti genus adhibuisse, perversitatis licentia, quae in immensum excreverat, dum hoc modo refrenetur, parum et satis venialiter in illo decreto peccatum esse." — Quam adversariorum ratiocinationem argumentis valde religiosis infirmat, hanc enim nihil esse, nisi illud apostoli. „Faciamus mala, ut veniant bona" se propter peccata, quae laxatis temeritatis frenis commiserint, jure in hanc contumeliam incidisse, tamen Deo Patri misericordiarum se ipsos confidere, itaque etsi hoc ipsis pati fuit dignissimum, tamen illis haec inferre exstitisse impium; maxima mala inde secuta esse ostendit; tamen, etsi bona inde maxima emersissent bonum illud tanto malo compensare, nihil esset, nisi quod, ne alius in peccatum incidat, nos peccemus, aut ut ille aliquis peccatum evadat, nos eum ad majus, vel ad aeque magnum inducamus, quia et in tuenda corporis salute amentiae res est, aliquem ne moriatur, de Mosella retractum Rheno immergere et stultum, gladio incumbenti gladium de manibus excutere et venenum lethale ori admovere." — Inde Augustinum testem accersiens, contra mendacium, „quod occidit animam" se vertit, atque illud potissimum in rebus quae ad religionem pertineant, vitandum esse docet; quare etiamsi hoc edicto castitas vitae reformari possit, eam nullius pretii esse, si pro ea veritas quae est summa castitas, negligatur. Denique iterum quomodo hoc edicto omnia sacramenta violentur atque vita religiosa evertatur, explicans, incidit in dictum adversariorum, quod miseris auditoribus dicant „quidquid timetis nos, potestate nostra freti super nos accipimus" atque ab hoc quam maxime abhorret, quod his similibusque praeceptis homines illiterati rerumque imperiti ab itinere veritatis revocentur; inde seditionem contra clericos, quos antea magni aestimare consuevissent, concitari multis exemplis patere.

Itaque omnibus argumentis et objectionibus, quibus adversarii ad edictum Pontificis defendendum usi erant, refutatis, se non pauca, „quae adhuc dicenda sunt, praetermittentem, alia capitula, ab adversaria parte edita [1]), vanitatis et erroris prout videtur plenissima seorsum con-

---

1) Verborum epistolae: „reliqua quaeque superius praelibata capitula ab illis edita" sensus vix satis explicari potest dicto (col. 231.) „illi

sideranda proponere" fatetur, tam vero humilem et modestum se gerit, ut eos, „in quorum manus haec forte veniant, precetur, ne his, quae dicta sint, aliqua ipsis vel contentionis vel pertinaciae contra parvitatem suam subqriatur suspicio, quia dum rationibus et auctoritatibus id fiat christiana aequanimitate, paratus sit rectiora docentes et patienter audire et fideliter credere et humiliter obedire". —

Nonne et animus idem pacificus et religiosus, nonne eadem modestia, confessio peccatorum propriorum, et confidentia in Deum vere christiana, quam in Epistola contra Paschalem laudavimus; si cui dicendi genus non tam planum videatur, quam in illa Epistola, reputet, hanc haud dubie a Sigiberto, adhuc juniori, neque tam plano tum calamo quam postea gaviso, editam esse. —

4. *Epistolae de jejuniis quatuor temporum.*

Adnectimus his, quae de vitae Sigiberti politicae ratione atque de libellis ejus politicis diximus, pauca de epistolis, quas de jejuniis quatuor temporum edidit, partim quia „ipso poscente Henrico archidiacono Trevirensibus, qui regulas cujusdam Bernonis secundum allegoriam, ut sibi videtur, bene concinnatas, observant et a consuetudine Leodicensium discordant" respondisse fatetur [1]), partim quod quaestio, quam ibi ventilavit, illa aetate plurimis synodis est agitata, atque inter ea, de quibus tunc partes ecclesiasticae decertabant, insignem tenuisse locum videtur.

Cum jejunium quatuor temporum, quod Calixtus papa in ecclesia Christiana instituerat, jam cum aliis ritibus in Germaniam esset translatum, anno 813 concilio Moguntino est decretum, ut semper tribus diebus, feria IV, VI. et VII, primae hebdomade Martii, secundae Junii, tertiae Septembris, et ejus, quae fuerit plena ante vigiliam natalis Domini, Decem-

autem laicos dico, quibus amministris tam ordinata agi placuit *capitula,*" tamen inde decreta in conciliis Romanis prolata ab auctore designari conjici potest. — Sigibertum certe, si hoc loco tale dedit promissum, ei non stetisse probabile. —

1) Liber de S. e. cap. 171.

bris celebraretur." [1]) — Cum vero ratio, secundum quam jejunium q. t. celebrandum esset, incerta esse videretur, placuit synodo in urbem Seligenstat anno 1022 praesidente Aribone, Archiepiscopo Moguntino convocatae [2]) de eodem tale suffragium ferre:

„ut si Calendae Martiae in IV. feria, sive antea evenerint, *eadem* hebdomada jejunium celebretur. Si autem Calend. Mart. in V. feriam aut VI aut Sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam jejunium differatur: simili quoque modo, si Calend. Juniae vel Septembres in IV. feria aut antea evenerint, in subsequente (Jun.) vel III. (Septbr.) si in V. feria, aut VI. aut sabbato contigerit, in III. (Jun.) vel IV. (Septbr.) hebdomada celebretur.

Si quando jejunium mensis Junii in vigiliam Pentecostes inciderit, jejunium cum vigilia non uno die celebretur, sed in ipsa hebdomada Pentecostes; mense Decembri jejunium semper in proximo sabbato ante vigiliam Natalis Domini celebretur."

Eadem regula in Germania tunc praevaluisse videtur; certe Berno Abbas Augiensis, vir inter aequales et ingenio et doctrina insignis, cui ipse quoque Sigibertus adversarius laudes tribuit [3]), singulari dialogo Ariboni Archiep. inscripto [4]), demonstravit, decreto consonas regulas esse rectas, atque plenam singulorum inter se jejuniorum q. t. rationem continere. Sic

---

1) cf. Harzheim, I. 411. Benedicti Capitularia ap. Pertz. Mon. Germ. IV. 2. pag. 54. cum notitia fontis ap. Knust. l. c. pag. 20.

2) scil. Ind. V. anno regni XXI., imperii VI. (lege IX) quae omnia quadrant in annum 1022; inde annus 1023 in Burchardi Wormatiensis decreto XX. in fine. l. c. fol. 334. falsus cf. Mascov.: Commentarii. pag. 253. — Decreta exstant ap. Burchardum l. c. in vita Meinwerci. Cap. LXXVI. Nr. 2. ap. Leibn. I. pag. 551 — 552.

3) cf. infra et in libro de v. ill. Cap. 156.

4) cf. Bernonis Abbatis Augiensis dialogum, qualiter quatuor temporum jejunia per sua sabbata sint observanda in Bern. Pez. Thesauro anecdot. IV. Pars. 2. pag. 53. sq.

enim effici — dicit — ut sabbatum jejunii primi non ante IV. Nonas Martii neque post VI. Idus Martii celebretur; (cum vero Calendae Martiae, Juniae et Septembres ex littera dominicali cujusque anni ita inter se cohaereant, ut in subsequentes semper ferias incidant) levi inde opera quartae feriae ejusdem mensis praecedentis respectu habito a sabbato jejunii primi usque ad secundi et tertii sabbatum per quatuordecim hebdomadas rationem deduci posse; ultimum quidem terminum jejuniorum mensis Decembri modo tredecim, modo quatuordecim hebdomadis a jejuniis Septembribus distare; tamen cum auctor in hoc modo calculi allegoriam genealogiae sanctae ab Abrahamo usque ad Christum per terna quatuordena genera deductae inesse doceret, et in hoc genealogiae similem esse voluit, quod ultima domus majorum Christi, si Jechoniam semel ducas, tantum tredecim, si bis, quatuordecim generibus contineretur.

Tantum tamen afuisse videtur, ut regula hoc modo et synodi auctoritate et scriptoris egregii argumentis commendata ab omni Christianitate acciperetur, ut jam aequales Bernonis, Wazo Leodiensis et Olbertus Gemblacensis antiquam rationem secuti „dies temporis ante Calendas Martii non excluderent a jejunio verni temporis, sed in primo statim sabbato, immo in primo aliquando mensis die jejunium et jejunii historiam explerent"[1]) Gregorius VII. vero, mensium discrimine omnino neglecto, ut jejunium qt. temporum, quod dicitur Martii, in prima hebdomada Quadragesimae, jejunium aestivale infra Octavam Pentecostes celebraretur[2]), constituit. — Illud statutum receperunt episcopi Germanici, qui a parte Gregorii stabant in acta synodi, anno 1085 Quedlinburgi habitae[3]);

1) cf. Sigib. libellum primum ad Trevirenses. ap Mart. et Durand. Thes. anecdot. I. col. 304.

2) cf. Baronii Annales ed. vetus Tom. XI. pag. 588.

3) cf. Chronicon Bernoldi Constant. ad an. 1085. ed. Ussermann. l. c. pag. 128. Harzheim Concil. Germ. III. pag. 200. Stenzel. l. c. I. pag. 520.

idem Gebehardus episcopus Constantiensis anno 1094 auctoritate synodali adamavit [1]); porro id Urbanus II. conciliis anno 1095 Placentiae et Claromonti habitis communem Christianitatis legem proclamavit [2]); denique — ut plura conciliorum extraneorum decreta transeam — episcopi anno 1105 (IV. cal. Junii) Nordhusam convocati, jejunia quatuor temporum in Quadragesima et hebdomada Pentecostes Romano more celebranda esse statuerunt. [3])

Eodem tempore, quo mos Romanus concilio anni 1095 proclamatus increbrescere coepit [4]), Leodienses de recto modo jejuniorum celebrandorum dubii a Trevirensibus consilium „Utrumnam statim in primo sabbato Martii sit jejunandum, etiamsi idem mensis sexta aut septima feria proveniat vel incipiat, an in aliud sabbatum propter quartam feriam sit differendum" petiisse videntur [5]); Trevirenses hac occasione usos regulam a Bernone explicatam illis proposuisse, eamque argumentis et verbis auctoris commendasse, horum epistola apertissime docet. [6]) —

---

1) Bernold. Constant. ad an. 1094. Baronius l. c. pag. 644. Mansi XX. pag. 795.

2) de concilio Placentino. ap. Bern. Const. ad an. 1095. pag. 168. Mansi XX. 803. 806. de Claromontano cf. Guilelmum Malmesburiensem IV. 2. fol, 73. 2. Mansi col. 818. Nr. XXVII.

3) cf. apud Mansi l. c. col. 1195 ex Ekkehardo Urangiensi.

4) cf. Sigiberti epistolam primam in fine pag. 305.

5) Epistola haec periit, vel certe adhuc latet. Ceillier XXI. pag. 384—385 eam etiam a Sigiberto scriptam esse contendit, quod re vera argumento quodam confirmari potest. cf. l. c. p. 293 infra cum pag. 299. lin. 20.

6) etsi in hac epistola (ex Ms. Regiimontis ap. Mart. l. c. pag. 292.) ipsum non nominant; cf. tamen pag. 294. ibid. Si autem consuetudinem ecclesiae nostrae scire vultis, *et hoc legere vel audire vos non molestat, hoc quod sequitur est in sacramentorum libro,* et seqq. cum Sigib. pag. 304. Berno, a cujus ore vos pendetis, cujus verba sunt vobis pro regula *qui vestrum sacramentorum librum suo exemplari attitulat* et Bern. l. c. pag. 68.

Huic epistolae nomine Leodiensium respondisse videtur Sigibertus,[1]) quum et codicis Gemblacensis auctoritas [2]) et subsequentis epistolae ipsius nomine insignitae verba[3]) atque tota res tractandi ratio[4]) eundem auctorem responsi, quod in Thesauro Martenii et Durandii exstat, probent. Est vero summa ejus haec:

Cum Trevirenses propter hoc maxime jejunii primi dies omnes mensi Martio attribuerent, quod in eo esset principium anni, et coepisset ipsa creatio mundi, Sigibertus eum minime totum esse primum, sed e fabula veteri gentilium primum diem saeculi poni in die XVIII. ejusdem mensis, eumque igitur aeque ultimum esse ac primum mensem, neque licere Trevirensibus a parte eum totum primum vocare, quum Martio ne unum quidem diem a Februario mutuari permittant; cum porro (Zachariae VIII. 19. prophetae) dictum sic, quasi is „jejunium celebrandum esse primo, quarto septimo et decimo mense", dixisset, citassent[5]), et inde jejunia mensium Martii, Junii, Septembris et Decembris

1) Incipit Epistola Leodicensium rescripta Trevirensibus de differentia quatuor temporum l. c. pag. 295—305.

2) Miraeus (Praef.) citat inter codd. ms. Gembl: Liber de jejunio quatuor temporum, *ad Leodicenses* quem ipsum non vidisse fatetur (falsa inscriptio „ad Leod." apud plures historiae litterariae scriptores Val. Andream, Caveum, Fabricium invenitur, donec eam Hist. litt. Franc. auctores. IX. 561. dictis auctoris refutarunt); Martene: Nota a (igitur post incendium Gembl.). Hujus epistolae auctorem S. G. monachum docet nos codex manuscriptus Gemblacensis, *ubi eam vidimus*. Haenel Catal. msсptor. pag. 763. in catal. bibl. urb. Bruxell. anno 1826 composito in uno volumine cum S. Hieronymi in Jeremiam expositione, enchiridio S. Xisti, Sigiberti responsionem ad Trevirenses de *injuriis* (!) quatuor temporum exstare memorat.

3) cf. enim dictum Sigiberti col. 306. De posteriori interrogatione primum dico, me non dixisse, de quarto quid fiet? sed dixisse, quid conferetur quarto jejunio. cum loco libelli primi col. 303.

4) Ut in epistola contra Paschalem, singula Trevirensium dicta repetit, priusquam ea refellit. cf. dicta col. 296 de interpretatione sacrae scripturae cum Chron. ad an. 395 et plura infra citata.

5) cf. l. c. col. 293.

sacrosancta auctoritate stabilire studerent, noster, scripturae valde peritus, et ex editione LXX. et ex illa Hieronymi recte Zachariam, „jejunium quarti, quinti, septimi et decimi fore" docere ostendit atque ex Hieronymo exponit, jejunia illa ab Aprili ducta, a Iudaeis esse instituta ad celebrandos dies, quibus ab hostibus afflicti fuerant vel quos defectione a vero Deo fatales reddiderunt, neque id qualicunque modo ad jejunia IV. temp. pertinere posse; Calixti potius decreto de iisdem instituendis allato, omnes certiores facit, ea quatuor anni temporibus esse astringenda atque cuique tot dies, quot menses tempus complectatur, scil. tres esse attributos.[1]) —

Hoc stabilito, Bedam testem maxime idoneum affert[2]) quippe qui cum ex Isidoro Hispalensi vernum tempus VIII. Cal. Martii e more Graecorum et Romanorum VII. Idus Februarii incipere doceat, ex Anatholio Laodicensi causam Romani moris hanc afferat, aequinoctia et solstitia esse debere medios terminos temporum; inde noster si aequinoctium vernale ex veterum more VIII. Cal. April eveniat, XLVI. inde diem in VII. Id Febr., si vero e decreto Nicaeni concilii, aequinoctium XII. Cal. April.[3]) XLVI inde sive primum verni temporis diem in III. Nonas Februarii incidere concludit, itaque causam satis probabilem, cur IV. et VI. feria jejunii primi mensi Februario (ex hac ratione paucis diebus exceptis, verno) si forte interdum ita eveniat, adscribantur, suppeditatam existimat Hanc porro thesin multis exemplis et ratiocinationibus confirmans, satis facete addit „se, si ratio et ordo temporis evicerit, quod ver ipsis Calendis Martii oriatur, verbum non amplius addere, quin excludantur a jejunio quarta et sexta in Februario feriae, si cum mense suo fuerint penitus alienae a verno tempore," huic vero ordini, cum praeter rudem Romuli institutionem nihil faveat, auctoritatem patrum et coelum et terram ipsam repugnare. Quid tantum — exclamat — inhaeremus occidenti litterae, ut deviemus a spiritu vivificante? Quid tantum inhaeremus in quaerendo primo mensium sabbato?

---

1) l. c. col. 296—297.

2) cf Bedae librum de ratione temporum (quem a nostro acriter pervolutum esse, adhuc infra demonstrabitur) Cap. 33. Opp. ed. Colon. 1612. Tom. II. pag. 114.

3) l. c. pag. 300. ad eandem rem, de jejunio aestivali agens, reversus, addit: Nec desunt aliqui modernorum quanto juniores tanto perspicaciores, qui ascensum vel descensum solis in solstitiis oculis et digitis notantes, contendunt aequinoctia et solstitia rectius esse ponenda *in quinto decimo Calendas.*

cum, si tantum hebdomada non feria prima mensis cernatur, non opus sit sabbatum a loco suo movere.

Tum ad alteram quaestionem progressus affert, Trevirenses mirari [1]) cur Leodienses, quando primum sabbati jejunium ante Quadragesimam evenerit, officium illius in secundum vel tertium Martii sabbatum differant. Inde iis respondit jam generali conventu et concilio episcoporum, jussu Conradi imperatoris Triburiae habito episcopos inter cetera voluisse hoc decernere capitulum „ut si quando jejunium primi mensis evenerit infra hebdomadam, qua caput jejunii in feria IV. constet, amborum jejuniorum celebritas unius officii expletione complerentur," huic vero decreto *cum pauci suorum refragati sint*, eos sanius illud obtinuisse „ut jejunium primi mensis in altera hebdomade in qua habetur officium celebraretur juxta antiquorum consuetudinem." [2]) Hanc consuetudinem postquam et paparum et concilii decretis confirmavit, ad dictum illud Trevirensium [3]) „hoc antequadragesimali jejunio ipsis videri primi sabbati sedem de loco pelli, quod Nabuzardan expugnat adhuc muros Jerusalem," conversus exemplo aliorum jejunii temporum, scil. aestivalis, quo in hebdomadam Pentecostes, sive hyemalis quo per Dominicam nativitatem de hebdomada in hebdomadam, de sabbato in sabbatum transducatur, morem suum excusat, atque exemplis quibusdam, e ratione anni ecclesiastici petitis, quae ei insit causa, ostendit. [4])

---

1) l. c. pag. 293.

2) Recepit notitiam de hoc concilio et in hunc locum, et in Chronicon ad an. 1030 (ap. Str. ap. Mir. 1031. dubium an recte, cum ex Hermanno Contracto ad an. 1035. cf. Cod. Aug. et Bern. ap. Userm. l. c. pag 206. ponatur. cf. Harzheim. III. 101.) e Balderici Chron. III. 46. ed. Le Glay. pag. 313. in quo vero tantum „moderatissimus pastor (scil. Gerardus Ep. Cameracensis) antiquam patrum consuetudinem servari monuisse et obtinuisse" traditur, neque explicatur, unde Sig. in Chron. *Gerardum et paucos cum eo*, et in hoc libello „*paucos nostratium refragatos*" esse cognoverit. Aut igitur acta ipsa synodi, nunc quidem — quantum scimus — incognita legit (quod e dicto pag. 303: sua pene memoria tres sedes archiepiscopales, scil. Trevirensem, Coloniensem et Moguntinensem voluisse duo mysteria duplicis ejunii unius diei officio compleri" quis conjicere possit) aut, ut suam rationem majori ornaret auctoritate, asseclas illas Gerardi ex ingenio suo confinxit.

3) l. c. pag. 293.

4) col. 301 — 303.

Deinde ad allegoriam illam, de generationibus Christi, quam Berno suae jejuniorum deducendorum regulae inhaerere docuit, veniens, hanc lineam quippe quae non per XIV. hebdomadas a quarto jejunio ad primum recurrat, sed huic spatio tantum X. relinquat, a vero tramite aberrare; ideo se quidem Bernonem magni habere, „quia quod pro virili portione potuisset in tabernaculo Dei obtulisset, sed ex praecepto Apostoli se omnia probare, quod bonum est tenere, ab omni mala specie abstinere, inde — haud dubie aetatis tristem conditionem spectans addit: „Species mala est discordia ecclesiae, pro qua omnes quotidie oramus, ut in primis eam dignetur Deus pacificare et adunare toto orbe terrarum, nec tamen unam eam adunari patimur, dum per dissonantiam ecclesiastici ritus ab invicem dividimur. Vos vestrosque ritus non improbamus, sed quod ex antiqua patrum traditione tenemus, utrum recte teneamus, bonorum judicio committimus: [1])

Denique — cum in Anatholii ratione de temporibus initiandis fundamentum suae doctrinae posuisset — haud dubie grave duxit, ad eum recurrere ejusque laudes ex Hieronymi libro de viris illustribus repetere [2]) et ad exemplum Wazonis Leodiensis et Olberti Gemblacensis eandem probantium rationem jejuniorum celebrandorum provocare. „Hos (vero) — candidum ingenui animi documentum editurus inquit — aliosque sanctos et doctos viros in hoc sequimur, non quia sancti et docti fuerunt, sed quia veritatis assertores esse probantur," recordatus dicti illius Augustini „se solis scripturis canonicis hunc honorem atque tenorem deferre, ut nullum earum auctorem errasse aliquid firmissime credat; alios vero se sic legere, ut quantalibet sanctitate et scientia praepolleant, non ideo verum esse putet, quia ipsi ita senserint, sed quia sibi per illos canonicos auctores vel probabili ratione, quod a vero non abesset persuadere poterint." — *Hoc Augustini exemplo se multorum scripta legisse; sed non omnibus fidem habentes et quos magis sequi debeant quaerentes:* hoc non ex pertinacia scripsisse asseverant, et praeclaro Trevirensium epilogo repetito, si aliquid melius e ratione catholica ostendere possint se promtos esse illis cedere quam pertinaciae suae inutiliter deservire, eos confirmant. [3]). —

Postremum decretum apostolicae auctoritatis illud, anno 1095 a tota pene ecclesia receptum citat atque inde etiam, (quamvis ipsum esset Leodiensium, separatum officium jejunii quadragesimalis et jejunii IV.

---

1) col. 303. 304.

2) scil. e Cap. 73. (ap. Fabric. Bibl. eccles. pag. 162).

3) l. c. col. 305.

temporum celebrantium, ordini contrarium), cum Quadragesimae prima hebdomada saepe in Febr. hebdomada Pentecostes saepe in Majum incidat, theoriam Trevirensium collabi concludit.[1])

Hic Sigiberti libellus, qui utrum fide intemerata et reverentia erga auctoritatem patrum ecclesiae, et doctrinae copia amplissima, an libertate animi et ingenii acumine magis excelleat dubitari potest, etiam adversarios tanta admiratione replevisse videtur, ut, bene et decenter a Leodiensibus responsum esse, confiterentur[2]) et tantum hoc unum adderent, se dubitare, num juste arguatur regula Bernonis modo crescere modo decrescere, cum in allegorica regulae vi tantum de ternis quatuordecim generationibus ab Abrahamo ad Christum agi, intervallum vero ab ultimo jejunio usque ad primum non in rationem venire putarent.

Inde Sigibertus, alia etiam epistola pro Leodiensibus clericis conscripta[3]) inprimis hanc epistolae prioris partem accuratioribus argumentis probare studet.

Primum quidem decem hebdomadas ab ultimo usque ad primum jejunium cum decem generationibus a Noë usque ad Abrahamum conferri posse conjicit; tum vero Bernonis regulam non in eo solum, sed potius in hoc laborare contendit, quod, cum a Calendis Martii usque ad diem Domini natalem (VIII. Cal. Januarii) XLII. hebdomadae et VI. dies delabantur, Berno porro non a calendis ipsis, sed a sabbato jejunii vernalis hebdomadas numeret, saepe Abrahamo dies plures, quos Christus amittat, adcrescant; qui quomodo (e litteris dominicalibus singulorum annorum) modo crescant, modo decrescant, tam facile, quam docte expromit. In fine aliis verbis, sed eodem sensu rationem suam repetit, atque Bernone iterum merita laude decorato, se quidem eadem via (scil. XIV. hebdomad.), tamen non ubique per eadem vestigia (scil. a Calendis Martiis, non a sabbato) ingredi fassus, pia vota ecclesiae Trevirensi imprecatur.

---

1) l. c. col. 305.

2) In Epistola Trevirensium ad Leodienses, cur regulam Bernonis modo crescere modo decrescere arguant. edita l. c. col 305—306.

3) Quae in codice Martenii est inscripta: Rescriptum Domni Sigeberti Gemblacensis monachi pro Leodiensibus clericis col. 306—309.

III. METTENSIA.

I. VITA THEODERICI, EPISCOPI METTENSIS.

Sigibertus ipse principio operum suorum catalogi se prima aetate in ecclesia S. Vincentii Mettensi pueros instruere jussum, vitam Theoderici scripsisse [1]) testatur, atque cum eum illius ecclesiae et abbatiae conditorem nominet, praecipuam causam, qua tum ductus illius viri rerum scribendarum provinciam susceperit, haud obscure indicat. Praeterea etiam se Ulrici et Rudolfi, fratrum fortasse in eodem monasterio degentium precibus provocatum, hoc onus in humeros suos suscepisse fatetur. Jam ex hac vita, tanquam primo talis juvenis specimine et virtutes omnes, quibus postea insignis erat, facile cognoscuntur, neque desunt vitia, quae adolescentium opera commaculare solent. —

---

[1]) cf. Libr. de S. e. Cap. 171. Cum Miraeus eandem non inter codices manuscriptos Gemblacenses recensuisset, pluribus, antequam a Leibnitio (Scr. rer. Brunsvic. I. pag. 293—313) e Ms. quodam, ibi non accuratius insignito, haud dubie vero Codice illo Guelferbyt no memb. saec. 15. fol. 76. 14. Ms. Aug. in Catalogis sub titulo. „Sigeberti Gemblacensis Vitae episcoporum Mettensium et Tullensium," notato, (de quo infra) col. 1—5*b* edita esset, periisse videbatur. — Bollandistae, pluribus locis quaestione ventilata, num Theodericus inter Sanctos esset ducendus, demum vitam ejus omittere rati sunt (cf. Acta Sanct. Jul. Tom. IV. pag 348. Sept. II. ad diem 7. Praetermissi) cf. Hist. litt. IX. 545—546. Antonii Possevini Apparatus sacer. 1608. Tom. II. pag. 403. — Vita distincta est in 22 capp. occurrit vero numerus XIX. bis. — Epitaphium cap. 21. editum est ap. Baluzii Miscell. Tom. IV. pag. 553. e veteri codice, in quo Flodoardi poemata. — Sigibertus nomen episcopi semper scribit: „Deodericus."

Prodit enim juvenem primum modesta illa verecundia, qua opus statim ingreditur, cum versus excusatorios praemittens, tum in Epistola ad Abbatem F. (Fulcvinum) asseverans „se de gestis domni et patroni Theoderici, quae veraci relatione agnoscere potuerit fideliter, pro captu suo annotare studere ausu quidem temerario, affectu tamen voluntario" eumque „ne quis vel quali scripserit stylo, sed quid et de quo, attendat" rogans, deinde prooemium, in quo sacrosanctum officium esse, ut majorum bene meritorum res digna memoria recolantur exponit, denique invocatio, qua versibus tumidis et graecis quibusdam verbis immixtis [1]) Christi auxilium ad opus illud apte perficiendum implorat. — In percensenda hac vita ipse „digressionem quandam in laudem urbis Mettensis, heroico metro" scriptam fecisse, [2]) fatetur neque ob hanc episoden, etsi operi minus congruam, ardoris tamen ingenii et vigoris testem, neque ob versus et locos poetarum, aliis locis vitae insertos, juvenili rerum scriptori merito succenseas. [3]) — Ceterum non ubique se intra ju-

---

1) Unde quidam collegerunt, eum Graecam linguam calluisse, utrum vero versus:

Kyrrie Christe theos, pantocraton archos anarchos, . . .
Adsis una Trias, animae trina monas

et dictum Cap. V. percussos ea coecitate quae graece dicitur ἀκρασία: haec conjicere nobis permittant, an e scholastica tantum doctrina percepta, a juvene ibi libenter adhibita sint, dubium.

2) Libr. d. v. i. 171. Unde Trithemius loco festinantius lecto in libro de script. eccles. eum vitam Theodorici heroico metro scripsisse effinxit. — Carmen de laude urbis Mettensis e Leibnitii editione (Vitae Cap. XVII.) reimpressum est ap. Bouquet. XI. 435—437.

3) In singulos locos poematis et disquisitionem de origine nominis urbis, illi praemissam — in qua duorum auctorum versus citat et distichon in effossis terra lapidibus repertum edit, inquirere locus deest; si quis, quam in similibus dicendis diversum sit saeculorum ingenium, perspicere velit conferat Sigib. cum carmine Venantii Fortunati ad Villicum Ep. Carm. lib. III. 14. ed. Brower. Mogontiae. 1617. et ap. Meurisse, pag. 78.

stos vitae enarratoris terminos continens, plura quae ad ipsum Theodericum minus pertinebant, enarrat, alia vero, quae commemoranda erant, silentio praetermittit. Orationis continuae atque in omnibus partibus aequabilis minus adhuc gnarus, ipsa acta satis rude interserit, nec certum in exponendis rebus ordinem observans, modo huc, modo illuc deflectit, vix ut, qui singulorum inter se connexus sit, recte posset aestimari, nisi vel de universo scriptoris consilio ex ipsius dictis quaedam colligerentur, vel e fontium cognitione de iis, quae ejus ubique animo observarentur, conjectura fieret. De his jam singulatim videamus.

1. Primum enim res coenobii S. Vincentii maxime ei curae fuisse manifestum est; ad eas igitur fusius enarrandas ut viam sibi muniat primum — inquit Cap. V. — ex subsecivis ejus operibus se industriam episcopi comprobare velle cap. XIII. jacta fundamenta ecclesiae sancti Vincentii anno 968. quo et Ottonem II. Imperatorem consecratum esse conjecit,[1]) e „majorum ipsis quamvis paucissimis verbis" confirmat — quae, utrum e Chronico quodam antiquissimo sint desumta, an, — quod nobis quidem magis probabile videtur — ecclesiae ipsi vel monumento cuidam insculpta, cum nec vola nec vestigium, ut dicunt, supersit — discerni non potest; Cap. XIV. narrat Theodericum, Imperatoris in itinere Italico comitem, semper ecclesiae illi construendae atque omnibus opibus augendae intentum fuisse; deinde bullam quam Theod. a Johanne XIII impetravit anno 970 pro monasterio illo, in quo inter cetera consueto more talibus coenobiis attributa id potissimum memoria dignum videri possit, quod statuitur, ut Abbati „si quando Episcopus defuerit, liceat in festivis diebus ad episcopalem sedem accedere, ibique cum dalmatica

1) haud dubie e bulla Joannis Papae, anno 970. imperii Ottonis minoris anno tertio (scil. a die 25. Decbr. 967) data. — Annales Lobienses, quibus ad an. 968. idem traditur, postea demum cognovisse videtur.

et sandaliis a Papa transmissis missas celebrare,"[1]) subjungit epistolam Theoderici de decimis ecclesiae illi dandis; iternm Cap. XV. quantas opes et reditus ei adsignaverit, exponit, privilegia illa Joannis decreto Benedicti VII. anno 980[2]) emisso roborata esse dicit, Cap. XIX.; Cap. XX. edit diploma ab Ottone II. anno 983, XII. cal. Julii Mantuae editum quo is omnia jura, privilegia atque dona monasterii confirmavit,[3]) neque abstinuit, quin etiam dedicationem ecclesiae S. Vincentii II. Idus Maji anni 1030 celebratam[4]) — quam adhuc quasi in recenti memoria eorum, qui interfuerint haerere monet, in fine vitae enarraret.

2. Alterum, quod in hoc opere spectavit, hoc fuisse videtur, ut nobilem Theoderici originem ejusque cum domo Imperatorum Saxonica consanguinitatem memoriae posterorum commendaret. — Itaque jam cap. I. eum ex pago Saxoniae Hamalant[5]) patre Everardo atque matre Amalrada progenitum esse tradit, atque postquam Amalradam sororem Mathildis Reginae fuisse addidit, occasione hac utens, de stirpe Mathildis celeberrimum Widukindi locum affert.[6]) Injecta Brunonis mentione ex hagiographorum illius aetatis more de

1) cf. etiam Inventionem Sanctorum ap. Leibn. l. c. pag. 304. Alpertum de divers. temp. II. 24. l. c. pag. 130—131.

2) si fidem habemus Ind. VIII., quae e diplomate Benedicti VII. (975 —983) annotata est.

3) In Vita quidem leguntur haec signa: Dat. XII. Cal. Julii. Anno Dom. Inc. 982. Ind. XI. Anno regni invictissimi Ottonis XXV. Imperii autem XV. Annus regni et imperii aperte corrupti; Ind. XI. incidit in annum 983. qui etiam ap. Calmet I. 392. legitur, cf. Böhmer No. 619.

4) cf. Chron. S. Vincentii Mettense ap. Labbe I.

5) cf. Gallia Christ. XIII. 726.

6) Lib. I. ap. Hervag. pag. 14. Theodericum ab eo recte insigniri filium sororis Mathildis eo elucet, quod et ipse se sobrinum Archiepiscopi Coloniensis nominat (ap. Meurisse pag. 326) et a Continuatore Reginonis ad an. 965. consobrinus Ottonis Imp. perhibetur.

amicitia, quae Theoderico cum illustri viro illo fuerit, exponit, oratione utens longo circumscripta anfractu et ipso illo Horatii dicto „doctrina vires promovet insitas etc." commemorato, [1]) tandem Theodericum hujus opera episcopatum adeptum esse tradit; [2]) tum e Ruotgeri Vita plura de vita

---

1) cf. Cap. II. *ut enim ait quidam*: „doctrina" Idem dictum adhibet de S. Lantberto Cap. I. Nr. 2. ap. Acta Sanct. Mens. Septbr. Tom V. pag. 589.

1) De anno, quo Theodericus episcopatum adeptus sit, variant scriptorum nuncii. Chartularium S. Arnulfi ap. Meurisse pag. 315. et Chron. epp. Mettens ap. d'Achery. II. 228. (30 ibid. error scribae) Adalberonem, episcopatu 35 annos (i. e. ab anno 929. cf. Flodoard ad h. a. usque ad an. 964) administrato diem obiisse supremum 26. Aprilis (VI. Cal. Maji); eundem diem statuit Necrologium eccl. Mett. ap. Meurisse l. c.; annum ipsum 964, nullo die addito, epitaphium, cujus fragmenta e veteri libro eruit Meurisse l. c.; annum 964, diem vero VII. Cal. Martii Chronicon Ms. S. Trudonis III. 12. (de quo vide infra). Quibus testimoniis contraire videntur Cont. Reg. et Sigib. in Vitae Cap. III. anno 962 Adalberonem mortuum esse narrantes. — Sigibertus ipse in Chronico anno 964. Theodericum sedem ascendisse docet, eique suffragatur Chronicon S. Vincentii ad an. 964; Vitae Cap. XVIII. dedicationem altarium quorundam, VIII. Id. Aug. 972. *nono* pontificatus ejus anno factam esse annotans, an. 963 post hunc diem vel 964. primum statuere videtur. Cum vero Cap. III. haud dubie e notitia quadam vetustiori, Theodericum III. Nonas Martii „officinante Henrico Trevirorum Metropolita benedictionis oleo consecratum tradat, id, si unquam, jam anno 963 evenerit necesse est, cum Henric. Trev. jam mense Novembri anni 963 Romae in concilio adesset (cf. Liudprand. VI. loc. supra cit.) atque peste in Italia an. 964. obiret (Conf. Reg. ad h. a.). — Inde etiam nuncius Cont. Reg. „Theodericum anno 965. successorem institutum esse," parum commendari videtur.

Annales Mettenses brevissimi, e codice olim Collegii Claromontani, nunc inter libros D. Th. Phillipps in Middlehill, a. V. D. Lappenberg Monum. V. pag. 155. primum demum in lucem prolati cum in aliis cum Sigiberti Vita Theoderici consentiunt (scil. in notitia anni 1030 cum eo non solum indict. XIII. et epacta XIV. sed etiam VII. anno Conradi II. idque quidem perperam —

ejus et obitu desumit.[1]) — Cap. VI. Eilbertum quendam comitem conditorem coenobii Valciodorensis, propinquum Theoderici, nominat atque Cap. XIX. justo longius in Everardi comitis fratruelis illius, pueri vix dum decennis, quem ipse a cunabulis educandum susceperat, obitu (978) commoratus, tria ejus epitaphia: primum oratione soluta a Theoderico tumulo inscriptum, duo versibus hexametris conscripta, edit. —

3. Laudat Sigibertus heroem suum Cap. XVI. potissimum in eo, quod summum in Sanctorum reliquiis suam in sedem transferendis studium collocavisset, quod ut testimonio fide satis digno confirmet, addit „*Paginam quandam ab his qui interfuerunt, plenissime digestam de translatione Sanctorum*" in quo opusculo, quantam cum Ottone Imperatore in Italia versatus Sanctorum reliquiis colligendis operam dederit, a multis expositum est.[2]) Singulorum Presbyterorum, qui hoc vel illo corpore transferendo bene meruerint[3]) et memoria celebrata et ipsa nomina apposita, et repetitio dictorum, quae ab episcopis et incolis variorum locorum ipsi perceperint, deinde totus sermonis habitus libelli auctores re vera coaetaneos esse demonstrant[4]). — Exstat etiam haec narratio in codice quodam antea S. Symphoriani Mettensi, deinde Colbertino, unde eam Valesius primum descripsit d'Acherius edidit, deinde a Baluzio iterum cum ipso codice collatam, Barre in editione Spicilegii repetiit.[5]) — Utraque hac narratione

---

monasterium S. Vincentii dedicatum esse annotarunt. cf. etiam ad an. 978 cum Sig. Chron.) anno 962. A. obiisse. anno 963. Theod. successisse tradunt. —

1) cf. Cap. VII. et VIII. cum Ruotgeri Vita Brunonis Cap. XXXII. XXXVII. VIII. XL. XLII.

2) cf. Chron. ad. an. 970.

3) cf. apud Elpidium de Tendone et Heriwardo apud Euticem de Adelardo, filio Gerardi. etc.

4) cf. Hist. litt. VI. 436.

5) cf. II. 133. sub titulo „Inventio Sanctorum a Domno Deoderico

collata, intelligitur, Sigibertum miraculum in comite quodam daemoniaco catena sancti Petri patratum immiscuisse, quo Theoderico occasio oblata esset, partem catenae monasterio S. Vincentii vindicandi. — Addit porro in fine, et Fortunati Tudertini[1]) et Miniatis corpora, Fidentii etiam et Terentii reliquias, quarum in majorum narratione nulla fiat mentio, ad Mettenses translatas esse, atque Theodericum et Fortunati (III. Cal. Julii) et Miniatis (VIII. Cal. Novembr.) Fidentii et Terentii (V. Cal. Octobr.) passiones ipsum descripsisse, et diem passionis vel depositionis annotasse, Quintiani vero martyris de Altro Campaniae et Florentii martyris de Tile, quorum et pignora ex Italia transtulerit, Gestis quidem non allatis, dies tantum passionis III. Nonas Jul. et VI. Cal. Novbr. retulisse[2]).

Pontifice repertorum." Lectiones in textu Barrii multo meliores quam in illo Leibnitii.

1) de quo in Gregorii Magni dialogo (scil. I. 9.) memorabilem exstare narrationem jam juvenis intellexit.

2) Memoratu dignum videtur, in Codice quodam, antea S. Vincentii nunc Gothano cum opusculis Sigib. de S. Lucia (de quibus vide infra) et nonnullis, in memoriam S. Vincentii collectis exstare plures passiones Sanctorum, in hac „Inventione" et a Sigiberto memoratorum. Occurrit quidem passio sancti *Victorini* episcopi et martyris. fol. 87; fol. 90. Scripta Euticetis, Victorini et Maronis ad Marcellum de passione s. m. Nerei et Achillei fol. 90*b*. Relatio ad Marcellum de passione sanctorum Euticetis, Victorini et Maronis (cf. apud Leibn. l. c. pag. 303) fol. 72 *b*, passio sancti Feliciani (cf. Leibn. l. c. pag. 303. Hist. litt. VI. 435. Calmet: Bibl. Lorraine. 893) fol. 80 *b*. passio scti. Gregorii presbyteri (cf. Leibn. l. c. pag. 304) fol. 76. passio s. m. Prothi et Jacincti fratrum (l. c. pag. 305); fol. 82 *b*. p. s. m. Digne et Emerite (cf. ibid pag. 305) fol. 74. sancti Vincentii episcopi (ibid) fol. 78. passio sancti Miniatis Martyris. 85. sctorum martyrum Fidentii et Terentii (cf. supra) cf. de codice post Calmet Bibl. Lorraine. l. c. Archiv. VI. 80. Jacobs et Uckert Beiträge zur älteren Litteratur, oder Merkwürdigkeiten der Herzogl. Bibl. zu Gotha. II. 1. pag. 140. Parte IX. (Pa-

4. Multum diversa ab hac episode alia est, minus etiam operi conveniens. Cap. enim IX. narratur, familiaritatis amicitiaeque foedus inter Mett. et Halberstadenses jam a Theoderico cum (et ipse in ecclesia Halberstadensi esset educatus,[1]) et) utraque ecclesia eodem patrono ac tutore uteretur, Stephano protomartyre, initum ab Adalberone successore confirmatum esse. Cum enim antistes Halberstadensis in celebratione missarum solemnibus diebus „logii" cujusdam, sive „rationalis" i. e. indicii doctrinae et veritatis, quod praerogatum esset ecclesiae suae e decreto Agapiti Papae, usum haberet, atque Adalbero Hildiwardum tunc temporis episcopum rogavisset, ut illud secum communicaret, hic, ut ex parte voto suo satisfaceret, se exemplar illius illis praebere velle respondet, hac tamen condicione, ut neutri Ecclesiae jam amplius liceret id ulli alii impertire, sed solis his duabus sororibus id proprium maneret; pro remuneratione autem hujus doni ab Adalberone vel modicam sanguinis Stephani protomartyris partem et reliquias S. Glodesindis postulavit.[2]) — Jam, cur haec, quae ad solum Adalberonem pertinent, Vitae Theod. inseruerit, vix videremus, nisi fons superesset — ipsam dico epistolam, ab Hildiwardo Adalberoni datam, quam a Sigib. in hoc capite conscribendo adhibitam, interdum ad verbum descriptam esse tam perspicuum est, ut accuratiore comparatione jam supersedere possimus. Cum vero epistola haec Vitae Adalberonis (quam ab abbate monasterii S. Symphoriani verisimile Constantino, intra an-

---

tres et Theologi medii aevi) Nr. 148. (Memb. Nr. 61.) Archiv. VII. 413. Antea autographon Sigiberti habitus est, cum vero ab his, qui eum nostris temporibus perscrutati sunt, saec. XII. vel XIII. adscriptus sit, opinio haec, ceteroquin nullo certo argumento nixa, evanet. —

1) cf. Cap. II.

2) Unde patet, Annalistam Saxonem, sanguinem Stephani jam 980 donante Theoderico Ep. Mettensi ad Halberstadensem ecclesiam translatam esse narrantem errare, ap. Eccard. I. 330.

15 *

norum 1004 vel 1005 et 1056[1]) spatium conscripta esse constat) annexa soleat reperiri[2]), dubium non est, quin et Vita ipsa in nostri notitiam venerit, id quod — ut Chronici locos, qui ambiguitatis speciem habere possint, praeteream loco Cap. XII. quo Theodericum „*in pago Calvomontensi in villa quae ex occidenti rusticorum lingua Spinal vocatur*, castellum et monasterium construxisse[3]) tradit, confirmari videtur.

5. Hoc vero loco non possumus, quin veniam a te, lector benevole, petamus, ut nobis, vagum scriptorem nostrum in studiorum suorum diverticula secuturis iterum ab ipsius Theoderici rebus deflectere et ad priscas Mettensis ecclesiae fabulas reverti liceat. Nam ubi Theodericum, majorem ecclesiam Stephani, jam ruinam minitantem, funditus exscindi jussisse et denuo exstruxisse enarrat, „quia non omnibus omnia nota sint" de oratorio ecclesiae illius pauca addere in animo habens, fabulam illam vario modo a permultis medii aevi historicis decantatam recolit: Servatio episcopo Tungrensi cum Hunni Gallias peragrarent, Romam tendenti divinitus esse revelatum, solum in communi omnium ecclesiarum et urbium ruina integrum fore oratorium S. Stephani

1) Auctor Vitae B. Adalberonis (de cujus die emortuali supra disputavimus) se ab illo monasterio S. Symphoriani praefectum tradit l. c. pag. 678.; Constantinus Abbas memoratur anno 1024. ap. Mabill. Annal. IV. 169 (e tabulario S. Symphoriani) cf. pag. 180. Acta Saec. VI. Tom. I. pag. 28. Gallia Christ. XIII. 847. Calmet, Hist. de Lorraine III. pag. CXCIX. cf. Alp. de div. temp. II. 24. in fine. Anno 1056 jam Richerus in diplomate ap. Meurisse pag. 362 Abbas S. Symphoriani memoratur, quem, quum Adalbero (III.) a se constitutum esse dicat, post annum 1046. (cf. Sig. ad h. a.) ad dignitatem hanc evectum esse constat.

2) scil. in codd. olim S. Symphoriani et Guelferbytano, de quibus infra et in Paris. Nro. 5673 sec. XII cf. Archiv VII. 62. 421. ap. Labbe I. 682.

3) cf. Labbe I. 673. 682. Meurisse pag. 325. „Il y a quelque chartes de cet Evêque a Espinal, dans lesquelles les belles fondations, qu'il y a faites sont exprimées. Mais je ne les ay pas pu recouvrer."

Mettense.[1]) Hanc fabulam e Pauli Diaconi gestis epp. Mett. a Sig., quamquam ejus dictis pro juvenili levitate licentius uso, in Vitam receptam esse plurium testium eandem rem tractantium comparatio satis planum facit. —

Cur vero disjecta haec membra in vitam suam congesserit, accuratior codicis olim monasterii S. Symphoriani Mettensis, nunc ex bibliotheca Colb. Parisiensis saeculo XI. haud dubie jussu Constantini abbatis exarati,[2]) cognitio fortasse explicare potest. — In eo enim „Inventio illa reliquiarum,"[3]) Vita Adalberonis cum Epistola Hildiwardi[4]) Pauli Diaconi gesta epp. Mettensium[5]) memorantur, ne de vita sancti Clodulfi[6]) dicam — quam inter fontes Chronici fuisse

1) cf. (Greg. Tur. II. 5. 6.) Paul. Diac. gesta epp. Mettens. ap. *Auctorem* Episcopum ap. Pith. pag. 89. discursum quendam e chartis sancti Arnulphi ap. Meurisse pag. 49—51 qui etiam, quales hac in narratione de personis et annis sint difficultates, explicavit; Donati Vitam S. Trudonis. Cap. 8. ap. Mabill. Acta II. pag. 1076. Harigeri Gesta epp. Leod. Cap. 23—29. l. c. pag. 28—47; Chron. epp. Mettens. ap. d'Achery II. 225. Gesta Trevirorum, altera vice edita ap. Leibn. Muller et Wyttenbach Cap. XLV.

2) In fine codicis leguntur hi versus editi apud Labbeum I. 784.

Pontificale decus qui gestit noscere cautus
Perlegat hunc librum Bettonis arundine scriptum
Quem Constantini statuerunt jussa patrari
Ad decus augendum vel honorem multiplicandum
Martyris eximii victoris Symphoriani.

cf. notitiam codicis ap. Labbe I. 683. Catal. Bibl. Reg. Paris Nr. 5294. IV pag. 73. Pertz. Archiv VII. pap. 419—421. qui cum in Catal. Paris. a sec. XII. adscriptus sit, eum saec. XI. vindicavit. Labbe I. 784. eum „ante sexcentos annos" i. e. med. saec. XI. scriptum existimat.

3) Eam in notitia sua omisit Pertz, invenitur vero cum Vita S. Arnulfi et Genealogia. No. VIII. apud Labbeum l. c. in Catal. Paris. No. 9. ex eodem haud dubie. Inventio ap. d'Acherium edita est. vide pag. 225 cum Nota 5.

4) Nr. 11. ap. Pertz. l. c.

5) Nr. 2.

6) Nr. 10.

satis validis argumentis inducimur, ut statuamus, ex quo eum hos libellos omnes, cum ibi collectos in promptu haberet — jam hanc vitam editurum, in usum suum vertisse probabile videri possit[1]). —

6. In eodem codice etiam exstat Epistola Johannis Papae ad Walonem episcopum de datione pallii[2]), cujus lectio Sigibertum fortasse commovit, ut de jure pallii apud episcopos Mettenses quaedam intersereret Cap. X. Vitae. — Ibi enim, a Theoderico et Adalberone non solum ipsis, sed posteris etiam omnibus episcopis jus pallii esse partum, enarraturus[3]) jam ante eos sex episcopos hoc adeptos esse privilegium[4]) dicit. — Qua in re exponenda proxime accedit ad auctorem vetustum Gestorum Trevirorum,[5]) qui Walonem privilegio illo a Joanne (VIII.) donatum et publice eo usum, a

1) Cod. Guelferbytanus saec. 15. (vide pag. 220. Note 1.) cujus accuratiorem notitiam benevolentiae *V. D. Wasserschleben* debemus, in ordine nonnullarum Vitarum simillimus. Sequuntur Sigiberti Vitam Theoderici Vita Goerici, Vita S. Clodulfi, B. Adalberonis cum Epistola Hildiwardi, S. Romarici, S. Amati, S. Adelphi, B. Mansueti (fol. 5*b* — 18*b*) eadem igitur quae in Cod. S. Symph. (ap. Pertz. No. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.); tum vero sequitur vita S. Grodegangi confessoris atque pontificis urbis Mettensis (fol. 18*b* — 24*b*) quae in Cod Mett. non invenitur. —

2) No. IV. l. c. ex eodem haud dub. codice editam a Labbeo. cf. Mansi XVII. pag 248 — 249.

3) In Adalberonis demum gratiam hoc esse confirmatum, e dictis ejus patet; Theoderico nil nisi exordium causae adscripsit. Unde haec didicerit, nescimus, cum biographus Adalberonis de hac re nihil tradat.

4) vide infra, cf. de Urbicii archiepiscopatu ap. Meurisse pag. 56 — 62 de Chrodegango fragmentum veteris membranae ibid. pag. 166 — 167; de Angelramno ibid. pap. 174, de Drogone ibid. pag. 189. 190. de Ruperto, Walonis successore ibid. pag. 281.

5) scil ap. d'Achery ed. de la Barre II, 213. qui Gesta e codice olim S. Cornelii Compend. nunc Parisiensis primae recensionis usque ad an. 1132. continuatae edidit. cf. Archiv VII. pag. 513.

Chronici S. Trudonis, adhuc inediti locus (*primae partis* lib. II.

Bertolfo Archiepiscopo Trevirensi et Metropolitano interpellatum „quando vel quomodo, vel a quo procedere cum pallio fuerit ei concessum" asseruisse tradit:

non se primum, sed quintum fuisse, quem Apostolica dignitas hoc honore dignata sit sublimare, *salva tamen in* omnibus *Metropolitani subjectione.* Primum Urbicium, *secundum Pipini Regis ex sorore nepotem Crodegangum,* tertium Angelrannum, quartum Drogonem, Caroli Imperatoris filium.

cum ap. Sigibertum:

unde et quidam Mettensium Pontificum honorati ultra privatum praesulum modum, plerumque a sede apostolica tale consecuti sunt privilegium, sive ob sanctitatis gloriam, ut *salva Metropolitani subjectione* Archiepiscopi fungerentur officio et honore. Ex quibus primus fuit antiquus ille Urbicius et multo post tempore *Pippini Regis ex sorore nepos Crodegangus,* et post eum Angelramnus et alter ab illo Drogo Caroli Magni imprimis (leg. imperatoris) filius.

---

cap. 15 ad an. 872.) de eadem re citatus ap. Meurisse pag. 275, e Gestis Trev. addito testimonio „e cartis archivi monasterii S. Trudonis" descriptus videtur, cujus et alii loci secundum excerpta a Chesnio transmissa [vide l. c. pag. 134; Lib. I. cap. 5. ad an. 645. pag. 137; ad an. 657 ibid. cf. etiam Henschenii Comment,- praev. ad Vitam S. Sigiberti Acta Sanct. Mens. Febr. I. pag. 221. Nro 80 e Cap. 6. 7. 8.; Mens. Septbr. III. pag. 585. Nr. 20; ad an. 757. ap. Meurisse pag. 171., ad an. 802 pag. 178., ad an. 838. lib. II. 12. pag. 205.; ad an. 870. lib. II. 15. pag. 268; ad an. 944 lib. III. 7. 8. pag. 311 ad an. 947. pag. 312; ad an. 964. III. 12. pag. 315. (locos ad an. 944, et 964 tanquam partis II. Chronici citari, collato libro III. partis II. ap. Meurisse pag. 373. 374. 375. solum lapsu calami factum esse constat)] exstant. — Quam Meurisse pag. 373 — 407. partem secundam Chronici nominat, est fere opus Rudolfi, abbatis S. Trudonis ab anno 1108, sup. pag. 134 sqq. a nobis citatum (ed. ap. d'Achery II. 660 sq.) ex cujus praefatione, tunc minime tam amplam praedecessorum suorum memoriam exstitisse, concludi potest, ita ut pars prima Rudolfo res suae aetatis enarranti postea demum praemissa videatur. — Loci tertiae partis lib. IV. cap. 14. ad an. 1164, ap. Meurisse, pag. 419. cap. 15. ad an. 1171. pag. 419 — 420 citantur. — cf. le Long. Bibliothèque

Num conjecturae illi „utrique scriptori documentum quoddam, quo Walo se ipsum defenderit, ante oculos fuisse," magna accedat commendatio, dubito; tamen de conjunctione, quae inter has narrationes intercedat, vix certi aliquid statui potest, priusquam de auctoribus et textibus variis Gestorum accuratius fuerimus edocti.[1]) —

---

ed Fevret. de Fontette, I. pag.790. Nro. 12775 ubi secundum Grammaye: Catalogue des Historiens du Brabant. Chronicon Trudonopolitani Coenobii ab anno 600—1560 auctore *Roberto* Abbate et quatuor monachis continuatoribus post eum, citatur.

1) Nam cum jam constet, opus illud, sub nomine Gestorum Trevirorum circumlatum magis quam aliud ullum per plura saecula revisum, ampliatum, atque in nonnullis locis plane commutatum esse, in qua recensione textus locus quisque citatus inveniatur, primum semper quaerendum videtur. — Inter illos codices, qui adhuc in notitiam venerunt, vetustissimus familiae Fichart Francof. pergit usque ad an. 1101. successionem Brunonis Archiepiscopi cf. Gesta ed. Achery. l. c. pag. 220. Praefat. ap .Wyttenbach et Müller pag. XXIV. Archiv VII. 511, neque certo demonstratum est, jam medio saeculo undecimo editam esse partem Gestorum, ex qua hunc locum Sigibertus desumere posset; d'Acheriana porro editione perlustrata, nullus alius Gestorum locus invenitur, quem in Sigiberti notitiam venisse certis argumentis evincas, nisi si dictum Chronici ad an. 413. „Treverim, quam condidit Treber filius Nini Assyriorum Regis, profugus a facie novercae suae Semiramidis, et a suo nomine Treberim denominavit" cum Gestorum Cap. I. (ap. d'Acherium quidem cum aliis fabulis usque ad Cap. XX. resectum, in codice tamen Fichartii haud dubie exstans, et jam primae recensioni Gestorum proprium cf. Praef. Wyttenb. pag. XXV.) conferre velis. — Ad locum ad an. 1071. de Thebaeae legionis sepulcro, quem jam e Lamberti exemplo Chronico insertum, notitiis vero rerum Trevirensium accuratioribus repletum diximus (vide pag. 111. cum not.) textus vetustissimus Gestorum nihil attinet, quum simplex illa inscriptionis tabulae plumbeae, quam religiosi Christiani, ut a sacris reliquiis Thebaeorum martyrum ludibrium appropinquantium Normannorum averterent, loco aurearum litterarum inscriptae monasterii S. Paulini pariete scriptarum constituisse traduntur, notitia ap. d'Achery l. c. pag. 214 illi explicando non sufficiat; commendatur potius conjectura Honthemii (Prodr.

7. Minus Sigiberto succensendum esset, quod haec, etsi a consilio suo alieniora, cum casu ei ac fortuna offerrentur, posterorum memoriae tradidit, nisi eum graviora neglexisse satis pateret. — Nam de vita Theoderici politica nihil fere affert, quin etiam in fine id potissimum de eo gloriatur „quod cum inter aulicos et consiliarios primus haberetur et negotia regni sapientiae ac dispositioni ejus crederentur, tamen nollet se saecularibus implicare negotiis, sicut fecisset, eatenus ut Deo posset militare liberius," quod „evomens ab animo omnem curialis anxietatis nauseam in qua multiplex molestia omnem aliquando excludit modestiam, in qua quisque potest illam volubilem inspicere fortunae rotam totum se ab activa ad vitam transtulit comparativam." [1]) — In quo testes et aequales et certissimos sibi habet obloquentes. Thietmari quidem Merseburgensis auctoritate nolo me tueri, qui eum consuetudine Imperatoris abusum, atque ita vilem fuisse perhibet, ut a Gisilhario Archiepiscopo Magdeburgensi mille talenta auri atque argenti „pro veritatis obumbratione," acceperit [2]), cum quanta hic scriptor in Gisilharium ejusque partes acrimonia fuerit, satis constet; at dignissimus est, qui audiatur Al-

---

Hist. Trev. dipl. I. 100) eum apographum tabulae illius plumbeae, qualis an. 1071 inventa ferebatur, et postea in *secundam recensionem* textus Gestorum (cf. ap. Leibn. pag. 57. Wyttenb. Cap. XLII. pag. 87—89) recepta est, legisse, quippe quae de reliquiis S. Paulini, de martyrio Thebaeorum, de situ singulorum corporum eadem iisdem interdum verbis tradat, ac Sigibertus. Unum, quod addit, S. Paulinum in Phrygia exsulasse, cum Gestis Trev. (ap. d'Achery pag. 210. dext. quae etiam de martyrio cf. pag. 209. ap. Felicem pag. 211. laev.) plures alii, a Sigiberto inspecti (e. g. Hieronymi Chron. ad an. 361. Reg. in Chron. ad an. 295.) tradunt. — Denique in Lamberti notitia tabulam ipsam sive ipsius notitiam „a Trevirensibus ad se perlatam" inhaerere (cf. loc. cit. p. 351) collatio dictorum ejus cum illa (ex ed. Leibn.) demonstrat. —

1) Cap. XXI.

2) Lib. III. ap. Leibn. I. pag. 344—45.

pertus[1]), testis indigena, qui postquam Theodericum Ottoni II. maxime familiarem fuisse probavit, repente eum post illius mortem iram in Reginam praetendentem dum in Germaniam rediret, ad Imperatoris defuncti consobrinum — quem amplissimis largitionibus plures sibi adjungere fama ferebat — divertisse, atque ab illo donis et pollicitationibus corruptum fide, quam Ottoni puero deberet, laesa domum reversum esse. Eum ibidem a partibus hostium Ottonis stetisse, plures confirmant Gerberti epistolae.[2]) Quam postea sortem expertus sit, Alpertus acerrimis his verbis describit:

„Cum hoc factum late per populos percrebresceret, prorsus erat nullus, neque summus neque minimus, qui ejus acta non detestaretur: cum eum locum gratiae apud Imperatorem teneret, ut nemo in omni regno potentia, consilio et familiaritate Regis eum praecederet, non debere eum tantum facinus contra omnium opinionem adversus filium Regis committere."

Tunc a plurimis destitutus atque despectus, morte quidem, antea quam justa proditionis poena deprehenderetur, ereptus est, tamen inhonesta, conscientiae cruciatibus vexatus, hominumque, dum spiraret adspectum effugiens.

Haec vero omnia Sigibertum, qui et ipse Mettis versatus esset, et postea librorum Alperti co.nitionem in Chronico prodiderit, ignorasse, quis est, qui nobis persuadeat.[3]) Quin potius reticuisse ea putandus est, ne auctorem monasterii, cujus beneficiis ipse usus esset, heroem juvenilis aetatis aliqua macula contaminaret, neque in hoc quamvis boni

1) II. 24.

2) cf. easdem ap. Calmet. I. 994—995.

3) Verbis cap. XXI. „Et monitus divina inspiratione, imminere sibi diem obitus, agebat pro omnibus vitae excessibus dignos poenitentiae fructus, festinans ascribi coelestis curiae dignitatibus" jam id quasi suppressum adumbrare videtur.

historici munus non satis tueretur, [1]) tantum a vero aberrasset, nisi et Theodericum ut omnibus saecularibus negotiis se vacuum redderet, studuisse ementitus esset. —

Mortem denique ejus in annum Dom. 983. Ind. XI. Epacta XV. CCR. VII., VII. Id. Septbr. VI. feria, annum I. Regni Ottonis III. cecidisse tradit [2]). Concinit quidem Ind. XI. anno 983 dies 24. Martii sive concurrens anni 983, erat feria VII., ideoque dies VII. Id. Sept. feria VI.; [3]) sed Epacta XV. solum ad annum cycli lunaris XVI. i. e. 984. pertinere potest; quo anno, Ottonis III. primo, Theod. haud dubie obiit. — Accedit, quod et Necrologium Fuldense anno 984. annotat Theoderici Ep. nomen, [4]) Chronicon S. Vincentii eodem anno Adalberonem successisse, [5]) Vita Adalberonis hunc XVII. Cal. Novbr. 984. Ind. XII. [6]) electum esse tradit, et Sigibertus ipse in Chron. ad an. 984. mortem Theod. adscribit, ut solo errore [7]) ibi annus 983. cum CCR. et Indict. irrepsisse videatur. —

8. His, ut videtur, ad finem suum perductis, una quaestio, eaque gravissima superest, num ante Sigiberti compilationem exstiterit Vita Theoderici, qua de re, cum Sigibertum non solum nullo loco ejus mentionem facere sed etiam disertis verbis affirmare audiamus „conquestionem hanc super Domino et patrono suo Deoderico fratres S. Vincentii magis magisque sollicitasse indies, *quia opera ejus multa et magna*,

1) Theodericum nimis extollere eique altiora et puriora, quam quae vere habuit, consilia adscribere pluribus locis studet quod et capit. VI. de subdito monasterio Valciodorensi ecclesiae Mettensi, collato cum Chronico Valciodorensi ap. d'Achery, II. 713 — 714. et dipl. Ottonis I. ap. Calmet. I. 382 — 383 demonstrari potest.

2) Cap. XXI.

3) Eundem diem affert Necrol. Eccl. Mett. ap. Meurisse pag. 329.

4) ap. Schannat. Codex probb. Hist. Fuld. pag. 475.

5) ap. Labbe I. l. c.

6) l. c. I. pag. 671. 682.

7) Annales Mettenses brevissimi (v. supra pag. 224 — 225.) in eundem errorem incidunt. —

sic pene consumsisset oblivionis caries ut lignum vermes vel sicut tinea vestes; quam vero sollicitudinem a majoribus relictam se posteris transmittere non debere" [1]) dubitari plane non posset, nisi Hugo Flaviniacensis, Fingenii cujusdam Scoti (sive Hiberni) quem Theoderico *primo* Mettensium episcopo aequalem fuisse oportet,[2]) mentio e injecta adderet: [3])

Cujus adventum, peregrinationem et conversionem qui plenius nosse desiderat, in vita Theoderici eximii Mettensis episcopi scire potest.

Hac in narratione errorem, a nobis quidem non detegendum, latere, non est, quod dubitemus. Inventionem illam Sanctorum partem vitae antiquae fuisse [4]) codicis S. Symphoriana habitu refutari videtur; testimonium vero Chronici cujusdam episcoporum Mettensium, [5]) quomodo vertendum sit, infra demonstrabimus.

2. PASSIO S. LUCIAE.
EPISTOLA DE PROPHETIA S. LUCIAE.
TRANSLATIO S. LUCIAE.

Cum reliquiae S. Luciae inter illas, quas Theodericus ex Italia Mettas transtulit, fuissent, vix mirum est, Sigiberbertum hujus virginis et martyris rebus operam dedisse.

---

1) pag. 294.

2) Memoratur enim Fingenius Abbas monasterii S. Felicis anno 991, Abbas S. Symphoriani an. 992. cf. Meurisse pag. 339. Mabillon. Annal. IV. 74. Acta VI. 1 pag. 28.; denique Abbas S. Vitoni Virdunensis, ubi 1004. obiisse videtur cf. Hugon. Flav. pag. 159. 163. Cont. Bercarii Hist. epp. Virdunens. ap. d'Achery II. pag. 239. Mabil. Annal. IV. pag. 154. pag. 169—170. Acta VI. 1. pag. 28.

3) l. c. pag. 159. initio partis alterius: cf. Acta V. pag. 354. Annales III. pag. 603—604. Histoire litteraire VI. 437. IX. 545.

4) quod conjecit Mabill. l. c. pag. 354 et 604.

5) ap. d'Achery II. 224. de quo cf. Hist littéraire. VI. 437. vide Append. I.

Passionem S. Luciae alcaico metro scripsisse fatetur;[1]) Meurisse opus, quod ipse perlustravit, rimatorum versuum genere nimis abundante et languida oratione conscriptum existimavit.[2]) — Exstat in codice illo, olim S. Vincentii, nunc Gothano, per duodecim folia deductum,[3]) cujus jam Mabillonius in Annalibus Benedictinis[4]) sex versus — inter quos et ultimum — nostra aetate W. DD. Jacobs et Uckert[5]) primum et ultimum versum ediderunt, ex quibus vero non satis de ejus pretio judicare licet. Metrum est dicolon tetrastrophon duobus versibus alcaicum; plura in prosodiam peccata eum Daedaleis pennis Horatii metrum et carmina imitatum esse evincunt. Laudanda tamen fortasse candida fides, qua in fine S. Luciae se ipsum commendat:

Lucia martyr fortis et inclita
Lucia virgo nobilis et pia
Me me misellum Sigibertum
Extrahe ab ignibus inferorum.

Qualescunque vero recentioris aetatis judicio hi versus habentur, illi tamen, qua eos Sigibertus emisit, exoptatissimi fuisse videntur. — Monachi enim Limburgenses (qui opera Henrici III. Imperatoris anno 1042 brachium S. Luciae a Theoderico II. Episcopo acceperant)[6]) epistola ad fratres S. Vincentii conquesti, se de illius gestis nullum habere sermonem, excepta illa sub Paschasio proconsule pas-

---

1) cf. libr. de v. i. cap. 171.

2) pag. 323.

3) fol. 53*b* — 65*b*. Miraeus quidem inter Ms. Sigiberti Gemblaci exstantia „Passionem S. Luciae, metrice descriptam" memorat; num vero incendio Abbatiae anno 1678 superstiterit, dubium, etsi Foppens (Bibl. Belg. II. 1096) et alii notitiam repetant.

4) ad an. 1031. Tom. IV. pag. 372.

5) loc. supra pag. 226. cit.

6) cf. Sermonem Sig. de translat. S. Luciae infra citand. cum epistola Limburgensium ap. Martene et Durand. Thesaur. anecdot. I. col. 292.

sione, rogant, „ut illam, sicut spopondissent, metrice compositam sibi transmittere dignentur, ut praeclari participentur opusculi" etc. — Et docent versus, a Mabillonio editi,[1]) Sigibertum in carmine suo monachos Limburgenses allocutum, iis de brachio illo accepto gratulatum esse. —

Sigibertus ipse porro „quibusdam reprehendentibus illam Sanctae Luciae prophetiam: Annuncio vobis pacem Ecclesiae Dei datam, Diocletiano ejecto de regno suo, et Maximiano hodie mortuo: respondisse diligenter considerata temporum ratione et rerum veritate" ait, quod quidem opusculum sub titulo „Epistolae de passione S. Luciae," fratribus S. Vincentii directae in Codice nostro Gothano exstat. [2]) — Quae fuerit occasio et qui sensus prophetiae illius, si qui quaerunt, ex passione S. Luciae oratione soluta apud Surium exstante explicationem petant. [3])

Faustiori sorte gavisus est sermo, quem ipse „in laudem ipsius virginis scripsisse, et in quo translationes ipsius a Sicilia in Corfinium civitatem Italiae et a Corfinio in Mettim urbim Galliae, ordinata temporum consequentia digessisse" testatur. — Hunc enim, cum in eo plura memoratu digna inve-

1) l. c. Te dico Lintburch nomine nobilis
Fundata summi servitio Patris
Manu Conradi imperantis
Ipsius et Gisilae jugalis

deinde:

Vobis hoc Henrich junior attulit
Nobis Deodrich junior abstulit
Augustus Henrich gloriosus
Deodrichque stola decorus.

2) fol. 65*b*. Epistola de passione Ste. Luciae, excerpta. Dominis dilectis Sto. Vincentio militantibus, ad gloriam et laudem divinitatis frater vester minimus, Sigibertus, utinam ultimus servus vestrae sanctitatis a christo perpetuitatem felicitatis. Dicit S. Hieronymus „Prudens lector non tui sensui attemperes scripturas." etc.

3) cf. Acta Sanct. Tom. VI. pag. 892—894.

nisse sibi videretur, Meurisse edendum putavit. [1]) — Satis docte — Paulli Diaconi potissimum Historiam Longobardorum secutus — quae aetate Faroaldi Spoletanorum ducis, qui S. Luciam e Sicilia Corfinium tulit [2]) orbis terrarum condicio fuerit, in initio exponit eoque fonte usus, res Faroaldi, ejusque filii, Transemundi adumbrat; [3]) quam vel juvenis adhuc magnas rerum vicissitudines oculis haud caligantibus viderit, testis est oratio haud insulsa, qua ablatum Imperium Italiae et Ottoni traditum explicat; mores Conradi Salici et Henrici III. recte expositi cognitionem quandam aetatis propriae produnt. — Juveni illi scholastico litterarum antiquarum scientiam non defuisse, probat, quod Corfinii mentione ab eo facta „Poetarum carmen et Historiarum fidem — ait docere posse, — urbem illam antiquitus validam muris et divitiis plenam fuisse" neque ab Horatio, qui juventutis suae comes fuisse videtur, abstinuit, in obitu Conradi mortem, quae „aequo pulsat pede regum turres et tabernas pauperum" deplorans.

3. VITA S. SIGIBERTI, REGIS AUSTRASIORUM.

In enarratione librorum, quos Mettis composuit, ultimo loco noster vitam nominat Sigiberti Regis (III., scil. Austrasiorum 633 — 656) quem eundem ecclesiam et abbatiam S. Martini extra civitatem Mettensem sitam condidisse tradit. Cujus regis ossa, cum anno 1063 in alium locum translata sint,

---

1) Histoire l. c. pag. 320 — 323. Miraeus quoque inter Ms. Gemblacensia affert „Sermonem in laudem ejus virginis" quod sedulo transscripsere Foppens et Fabricius.

2) cf. Inventionem ap. Leibn. l. c. pag. 306. qua usus est Sigib. l. c. pag. 322.

3) cf. Paul. Diac. VI. 31. 32. 35 (vitium Sig. ibi commisit, Liutprandum, regem Longobardorum fuisse filium Ariperti, quod vero in Chronico ad an. 710. correxit, Ansprandum ibi patrem Liutprandi perhibens) 38. 42; 30. 44; 55. 56. 57.

non incepta videtur conjectura, ipsa hac translatione Sigibertum, ut hanc vitam scribere institueret, motum esse. [1])

Qualis vero haec vita fuerit, quominus satis perspectum habeamus, difficultate quadam e varietate textus exorta impedimur. Nam dum Vita Sigiberti Regis e Cod. Ms. Bibliothecae Alex. Petavii in Chesnii Scriptorum rerum Gallicarum volumine primo [2]) nullo auctoris nomine addito, legitur, alia — ipso nomine Sigiberti insignita a Jac. Mosandro in Tomo VII. collectionis Surianae invenitur, [3]) inde in tertia Surii editione ad Calendas Februarias repetita, [4]) postea in Actis Sanctorum ad diem primum Februarii ab Henschenio edita, [5]) postremo a Bouquetio recusa. [6]) — Has duas vitas, qui accuratius inter se contulerit, statim intelliget permulta in iisdem, verbis et syllabis consentire, [7]), in hoc tamen differre, quod in Vita illa Chesniana auctor his ipsis verbis:

Quia de vita Sigiberti Francorum Regis quaeritis quaeque de eo, vel de ordinatione Regni in Historiis, vel de sanctae religionis propaga-

1) cf. Henschenium in Actis Sanct. Mens Febr. Tom. I. pag. 214.
2) pag. 591 — 593.
3) Coloniae 1581. pag. 84 — 88.
4) Non ipse vidi hanc editionem, (Col. 1618) cf. tamen Act. Sanct. l. c. pag. 214.
5) l. pag. 227 — 230.
6) Tom. II. pag. 597 — 602. De codice Malmundariensi cf. Acta Sanct. l. c. pag. 214. secundum Molanum Chapeaville I. 79. not. ad. Cap. XLIV. Harigeri.
7) Nam quamvis a suscepto ap. Chesn. pag. 592. cum Cap. I. Nro. 2. ap. Bouq. l. c. pag. 598. Permaxime — filium genuit ap. C. l. c. cum Cap. I. Nr. 3. ap. B.; Peracto aliquanto — tradidit ap. C. l. c. cum Cap. III. No. 7. pag. 599. Hac de causa Rex — tradidit; Post annum — potenter ap. C. l. c. cum Cap. III. Nr. 8. 9. l. c. pag. 600.; Interea — tutabatur l. c. pag. 592 — 93. cum Cap. IV. Nro. 10. 11 — tutabatur; Quia vero Sigibertus — Regno cum Cap. V. No. 15. Quia vero Grimoaldum — regno pag. 602; Ipse autem Sig. duodecim — ordinanda cum Cap. V. No. 14. init. pag. 601; Expletis autem — construxerat apud C. pag. 593 cum Cap. V. No. 17. Obiit — usque ad fin. — cap. et vitae.

tione in sanctorum legimus gestis, inde collecta expediam paucis: Et quia tres hujus nominis Reges Francorum fuisse scimus, nobilitatis ejus antiquitatem repetam altius, ut quis primus fuerit Rex Sigibertus, quis secundus, quis iste, de quo nunc agitur tertius, vobis patefiat clarius: et simul cunctis palam fiat, unde gens Francorum nomen vel originem trahat, et unde et quando Gallias invaserit, *quas per annos jam ferme sexcentos tenuit*, et adhuc tenens potenter regit et feliciter.

praemissis, fabulosas illas Francorum origines a tot medii aevi scriptoribus decantatas recoquat, iisque haud dubie historiam succinctam regum Francorum usque ad Dagobertum adnectat (quae vero, cum in Cod. Petaviano, qui solus typis mandatus est, folium desit, tantum usque ad regem Meroveum nobis est oblata) [1]) in fine vero vitae de Grimoaldi majoris domus, qui post mortem Sigiberti filio suo Childeberto regnum per usurpationem tradidit, exitu et Childerico, nepote Sigiberti Austrasiorum rege constituto, [2]) quaedam addat: Vita vero, ipso Sigiberti nomine inscripta, hoc prooemio de

---

1) l. c. pag. 592. Post dictum: Anno post mortem sancti Martini LIV. factum hoc excidium Gallicarum urbium Merovechi anno quinto deest fol. in Cod. Ms.; pergit textus: Nam quamvis Dagobertus (No. 2. vide supra). — Inde non distinguere possumus, num narrationes Vitae plenioris Cap. I, No. 1. et 2. „anno 586. Clotharium regem regnare coepisse, anno 39 regni sui Dagobertum socium adscivisse, eique Arnulfum et Pipinum tutores dedisse (cf. Chron. 587. 629. e Fredegar. chron. (scil. lib. VI.) cap. 47. 58. coll. cum Aim. IV. 8. 19.) Dagobertum bellum cum Berthoaldo Saxonum duce gessisse (cf. Chron. ad an. 630. e Gestis reg. Franc. Cap. 41. ap. Bouq. II. pag. 567—568 coll. cum Reginon. Chron. ad an. 572. Aim. IV. 18.) post discesssum Arnulfi Chunibertum Archiepiscopum Coloniensem cum Pipino summum in regno administrando locum tenuisse etc. (cf. Fred. cap. 58. Aim. IV. 19.) in eadem etiam iisdem verbis inveniantur. — Vitam Chesnianam integram in codice bibliothecae monasterii Stabulensis extitisse docet Henschenius, l. c. pag. 213.

2) cf. Chron. 657. et 658. e Gestis reg. Franc. cap. 43. Didonem Pictavensem episcopum avunculum fuisse S. Leodegarii, tradit auctor Vitae illius aequalis (inter fontes Sigib. jam supra relatae) ap. Mabill. Acta II. pag. 680.

16

origine Francorum carens, plura afferat rebus ipsis interserta, veluti paucorum illorum verborum „Dagobertum filium suum, sacro fonte regeneratum, Sigibertum nominasse" loco in Cap. II Vitae rerum S. Amandi, qui quidem, ut munere baptismatis fungeretur, accitus erat, miraculi illius „Sigibertum in ipso baptismatis ritu vix quadraginta dies natum, finita benedictione solum clara voce respondisse: Amen" fusa invenitur narratio eique quaedam de Pipino, Majore domus adnectuntur, [1]) post initio Cap. III. de Sammone Vinidorum rege cum Thuringis et Francis pugnante addita quaedam leguntur, [2]) porro eodem cap. interponitur, qui fuerint provisores regni pueri Sigiberti, quem Dagobertus Austrasiis praefecit, et quae inde in Vinidos gesta sint, [3]) quae porro post obitum Dagoberti inter Sigibertum et fratrem ejus Chlodovaeum (II. regem Neustriae) negotiationes susciperentur de thesauris patris dividendis; [4]) Cap. IV. discordiarum inter Grimoaldum et Ottonem, Utonis domestici filium, causae et exitus, et belli a Sigiberto contra Radulphum, Thuringorum ducem gesti, [5]) mentio fit; Cap. V. praeter multas phrases religiosum animum et virtutes regis commendantes [6]) accuratiorem notitiam de donis S. Remaclo pro Stabulensi et Malmundariensi coenobiis oblatis [7]) edit auctor. Cum utraque Vita tot saeculis post regem Sigibertum sit conscripta, non dubium est, quin omnia fere, quae in ea enarrantur, ad fontes

---

1) Cap. II. ab init. usque ad fin. ap. Bouq. l. c. pag. 598—599.

2) Cap. III. No. 7. Sammon — acerrime l. c. pag. 599.

3) Nro. 7. et hoc totum edicto — excursus illorum.

4) Nro. 9. Et cum in omnibus — Regi Sigeberto.

5) Nro. 11. Omnia in tuto — usque ad fin. Nro. 12. et Cap. IV. corroboratur.

6) Nro. 13. l. c. pag. 601. Nro. 15. 16. pag. 602.

7) Nro. 14. Illius enim — imperiali. Ibi jam diversus ordo in utraque Vita, cum apud Chesnium fundatio monasteriorum notitiam de adoptione Childeberti instituta et in irritum redacta sequatur, in Vita pleniori praecedat.

certos, unde hausta sint, reduci possint. Pleraque pars igitur et eorum quae solum in Vità a Mosandro primum edita et eorum, quae in utraque leguntur, e Fredegarii Chronico transscripta sunt, cujus scriptoris barbara dicta scholasticus noster elegantiori habitu reddere haud infeliciter studuit; Vitam S. Amandi a Baudemundo conscriptam atque Vitam S. Remacli, auctore anonymo — quarum jam in Vita Chesniana vestigia — latius in altera Vita descriptas invenies. [1])

---

1) cf. ad Caput I. Nr. 2. et 3. et ap. Chesnium l. c. Nam quamvis — genuit filium: in univ. Fredegarii Chron. cap. 56. 59. 60; cum loco No. 3. Sed quamvis — subrogaretur Baudemundi Vitam S. Amandi Cap. XV. init. ap. Mabillon Acta II. pag, 715; *cf. cum Cap. II. No. 4. 5. 6. solum in Vita pleniori Baudemundi Vitam S Amandi Cap. XV. XVI. XVII. l. c.* *) *Fredegar. Chron. Cap* 61. 62. *et infra (cf. Reginonis Chron. Harigeri Cap. XLIV. Aim. IV.* 20); *cum Cap. III. Nr. 7. Sammon acerrime: — Fredegar.* Cap. 48. 68. 75. (Aim IV. 9. 23.) *Hac de causa* Rex Dagobertus — tradidit e Fredegar. cap. 75; *et hoc totum — excursus illorum e Fred. cap.* 75. *Gesta reg. Franc. cap.* 42. *Regin. ad an.* 612. *Aim. IV.* 26. *et infra*; Post annum — 9. potenter e Fred. cap. 76. 79. (Aim IV. 27. 33.); *Et cum in omnibus — Sigeberto e Fredegar. cap.* 85. (*Aim. IV.* 36.); Cap. IV. No. 10. post locum de Pipini obitu (e Fred. cap. 85.) occurrit genealogia domus Carolorum, quam multa ab octavo usque ad undecimum saeculum documenta suppeditabant. Grimoaldus — tutabatur e Fred. cap. 86.; *Omnia in tuto — usque ad fin. cap. IV. e Fred.* 86. 87. 88. Cap. V. No. 14. — Duodecim — ordinanda. cf. Vitam S. Remacli, auctore anonymo Cap. 9. ap. Mabill. II. 492. vide infra. *Et ut ab uno — imperiali* e Vita S. Remacli l. c. Cap. 10. et 11 (Harigeri Gest. Cap. 56—59. l. c. pag. 93—96.)

*) Praeter Baudemundi Vitam S. Amandi etiam vitam metrice a Milone scriptam in manus Sigiberti venisse docere videtur notitia Chronici ad an. 879. Libri de s. e. Cap. 106. neque non cognovisse videtur sermonem de elevatione S. Amandi (ap. Acta Sanct. Febr. I. pag. 891—893. coll. cum Comment. praev. ibid. pag. 842.) cf. sermonem de elev. cap. 2. 5. 6. 7. cum Chron. ad an. 812.

Si vero quaeras, utra demum Vita Sigiberto majori jure adscribi possit, mihi quidem Chesniana hunc honorem mereri posse videtur; probat dictum, jam sexcentos ferme annos durare Francorum regnum in Galliis, auctorem saeculi circiter undecimi medii, probat accuratior descriptio loci basilicae sancti Martini[1]) (quae in Vita pleniori est omissa) scriptorem Mettensem, dictum ibi Virgilii (Aen. I. 419. 420.):

(montis) qui plurimus urbi
Imminet, adversasque aspectat desuper arces

adhibitum redolet morem Sigiberti juvenilem, denique — quod his argumentis gravius — probat prooemium de origine Francorum cum loco prooemii a Sig. Chronico suo praemissi comparatum, utrumque ab eodem auctore praecipue e Gestis regum Francorum esse excerptum.[2]) Quin etiam communi hoc fonte cum utroque opere comparato locus Vitae juveni, Chronici viro, aetate jam provecto, congruere magis videtur, quippe quum Vitae celebres Virgilii versus injecti sint,[3]) et commemoretur „a scholaribus cantari, Aeneam ad Italiam venisse et Romani imperii fundamenta jecisse" prooemium vero Chronici amplioris jam et firmatioris eruditionis copiam prodat.[4]) —

1) pag. 593. in memorando loco sepulturae Sigiberti Regis.

2) Et in Vita et in Chronico loco Priami et Antenoris, qui in Gestis duces Francorum, qui circa Maeotidas paludes consederunt, perhibentur, Antenor solus apparet (cf. Aim. I. 1.) cf. locum Gestorum: *creveruntque* in gentem magnam cum dicto Vitae: in gentem magnam *coaluerunt*; Chronici (ap. Struv. I. 689.) in magnam partem *coaluerunt* (cf. in Vita: Romanorum provincias crebris incursibus infestabant, in Chronico: et crebris incursibus Romanum solum incessentes); cf. locum Gestorum (Cap. II.) Tunc ait Imperator (Valentinianus) Si quis potuerit introire etc. cum dicto Vitae „Romani pactum *proposuerunt*: et Chronici: *proposuit* Valentinianus.

3) scil. illi (Aen. I. 242—44)

Antenor potuit, mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, et fontem superare Timavi.

4) Manifestum est, Sigibertum ad hoc elaborandum Gesta iterum

Tamen et ea quoque, quae in altera tantum Vita leguntur, et in contextu et in ordine iis, quae in Chronico ex iisdem fere fontibus hausta traduntur, simillima sunt;[1]) ipsi errores utrique operi communes, veluti ille — quod Sigibertus — fortasse Gestis reg. Franc. et Reginone inductus[2]) — in Chron. ad an. 640. Sigibertum Austrasiae regem a patre constitutum tutelae Cuniberti et Pipini commissum enarrat, in Vita, tutelam Cuniberto Archiep. Coloniensi et Adalgisilo Duci concreditam, curam vero regni Austrasiorum et omnium providentiam Pipino Principi impositam fuisse, tradit, licet Fredegarius in textu edito solum Cunibertum et Adalgisilum nominet[3]) et alio loco Pipinum usque ad mortem Da-

---

perlustrasse; deinde praeter locum Prosperi supra (pag. 31.) citatum, locus Fredegarii II. 4. 5. ap. Canis. ed. Basnage II. 166. in dicto: Alii — voluit; Hist. misc. XI 18. in illo: Hos adeo Romanis infestos — subjectos: descriptus videtur, neque vestigia quaedam Aimoini (I. 1. 2.) deesse videntur.

1) cf. Chron. 648. de bello Sigiberti cum Radulfo cum Vitae Cap. IV. Nr. 12. et supra. Chron. 651. Rex Sigebertus, de posteritatis prole desperans, duodecim monasteria hinc inde construxit Deo: cum Vitae Cap. V. Nr. 15. Cum enim sibi opes, honores, potentia, gloria affatim pro regia affluerent magnificentia, multum tamen felicitati suae deesse dolebat, pro eo quod liberorum dulci affectu carebat. *Et ideo* in aedificandis ad aedificationem animarum coenobiis instabat liberius — quod quam incertum sit, demonstravit Cointius Annal. Tom. III. pag. 226 — 227.

2) cf. Gesta cap. 42. (Dagobertus) Sigibertum majorem filium suum in Auster una cum Pipino duce direxit in regno statutum. Regino ad an. 612. Dagobertus rex . . . filium suum Sigibertum in regno Austrasiae sublimat, eumque Cuniberto episcopo Coloniensis ecclesiae et Pipino duci commendat. cf. Pertz: Geschichte der merovingischen Hausmeier. pag. 38. cum nota pag. 164. Cointii Annales III. pag. 3 — 4.

3) Tamen jam priscis temporibus hoc nomen Pipini ex aliis fontibus textui ipsi Fredegarii obtrusum esse, docent loci ab auctore Vitae alterius S. Gertrudis Nivialensis (cujus primum librum tanquam

goberti in Neustria mansisse satis claris verbis tradat.[1]) — His igitur indiciis neglectis, Vitam Sigiberto abjudicare, eamque saeculo insequenti (sub ann. 1170.) secundae ossium translationis tempore a scriptore illo secundae partis miraculorum ex illa Chesniana amplificatam esse levissima conjectura persuaderi sibi pati[2]) frivolum videtur; plus fortasse ei conjecturae tribuendum esse videatur, qua quis hanc vitam a Sigiberto ipso postea revisam atque e fontibus auctam esse censeat.[3]) — Id quidem non obstare existimo, quod simili modo Vitam S. Lantberti a se bis editam esse ipse testatur, de vita vero S. Sigiberti in operum suorum catalogo nihil simile affert — quamquam non leviter in hoc offendor, quod, cum in omnibus fere locis Vitae Chesnianae fontes satis recte adhibiti sint,[4]) in locis Vitae plenioris dicta fontium ultra modum amplificata, iniquo more connexa, vel adeo mutilata, tumidoque variarum dicendi formularum fuco exornata proferuntur, ut Sigiberti advocatus ejusque laudum praeco facile induci possit, ut haec scriptori opere Sigibertano abuso, quam ipsi tribuenda esse arbitretur.

Vitam Pipini Bollandistae ad diem 21. Februarii ediderunt. cf. ap. Bouq. II. 603.) e „gestis regum Francorum," scil. „Fredegario" in laudem Pipini (cf. pag. 605. e Fred. cap. 58. 61) ipsis verbis exscripti, inter quos ille cap. 75. hoc modo „Dagobertus Mettis urbem veniens, cum consilio Pontificum seu Procerum Sigibertum filium suum in Austrasiae regno sublimavit et Cuniberto Pontifici et Adalgisilo Duci et *Pipino*, *Majori Domus* regnum gubernandum constituit.

1) scil. cap. 85.

2) Hanc conjecturam tueri videtur Henschenius l. c. pag. 214. No. 40. et 42. illa, Sigibertum Vitam Chesnianam ab alio jam conscriptam limate edidisse, variis ex causis recte refutata.

3) cf. Hist. litt. IX. 548.

4) Si pauca excipias, sicut illud, quod auctor — nescio unde — Ragnetrudem (uxorem Dagoberti, ex qua Sigibertum suscepit) vultus elegantia laudabilem, genere etiam inter Austrasios non ignobilem, insigniat.

Cujus criminis ut eum perfecte convincamus, pauca juvat exempla afferre: Sic Fredegarium, qui cum in Chronico Cap. 61, Pipinum Majorem rebus egregie gestis inclaruisse tradidisset, addit:

Zelus Austrasiorum adversus eundem vehementer suggerebat, ut etiam ipsum cum Dagoberto conarentur facere odiosum, ut potius interficeretur. Sed justitiae amor et Dei timor, quem diligenter amplexus fuerat, ipsum liberavit a malis. Ipse vero eo anno cum Sigiberto filio Dagoberti ad Charibertum Regem accessit.

62. Charibertus Aurelianis veniens, Sigibertum de sancto lavacro excepit.

eo modo interpretatur, ut in narratione baptismatis Sigiberti secundum Vitam S. Amandi et Fredegarium satis tumida Dagobertum Aurelianos tendere faciat,[1]) cujus rei testem non habebat, tum narrationis filo ad Pipinum ductus, de eo haec:

eo majorem omnium pene Austrasiorum contra se invidiam conflaverat, observantibus aemulis, ut amoverent eum a latere Regis, ut aut disjungerent eum a Regis corde, aut facerent eum plecti morte. Sed ille callens moderari animo suo, noluit vinci a malo, sed vicit malum in bono. Nam ut se et omne regnum absolveret discordiae scandalo *arrepto ad nutriendum Sigiberto Regis filio, invidorum factioni cessit*, et ad Charibertum Regis fratrem in Aquitania morantem contendit.[2])

effatus, Pipinum invidorum factioni cessisse fingat, ejusque iter cum Sigiberto ad Charibertum (fortasse Aurelianos) susceptum, quod ipse jam perperam in Dagobertum transtulisse videtur in iter quod eum assumpto ad nutriendum Sigiberto ad Charibertum in Aquitania morantem fecisse tradit, convertat.[3]) — Contra, quod Fredegarius cap. 87. pugna cum Radulpho, Thuringorum duce, exposita, abjecto omni pudore, ait:

---

1) Cap. II. No. 5. pag. 599.

2) Nro. 6. l. c.

3) Itaque satis modeste Cointius Ann. II. pag. 816. Sigibertum in hoc loco mentem Fredegarii non assecutum esse ait.

sed hoc praelium sine consilio initum est. hoc adolescentia Sigiberti regis patravit, cum alii eodem die vellent procedere ad bellum, et alii in crastino nec unitum habentes consilium:

id in Vita, quae tamen alia omnia longe uberius exponit, non invenitur; porro quid dicis, quod Fredegarii verba (Cap. 87.) de eventu harum rerum Thuringicarum:

Radulfus superbia elatus ad modum regis in Thoringia se esse censebat amicitias cum Winidis firmans, ceterasque gentes, quas vicinas habebat, cultu amicitiae obligabat. In verbis tamen Sigiberto regimen non denegabat, sed in factis fortiter ejusdem resistebat dominationi.

sic interpretetur (Cap. IV. Nro. 12.)

Sed quia cum aetate ei (Sig.) robur et industria accrevit, *non antea ab inimicorum insecutione destitit quam superbiam eorum domuit, et Thuringos, qui instinctu Radulphi rebelles erant, sub jugo dominii sui victos et confusos reflexit.* —

Quid, nisi hoc est, contraria eorum quae audieris referre?[1]) Si igitur Sigibertus ipse Vitam hanc eo, quo ostendi, modo ampliavit, perexiguam sibi historicorum gratiam conciliaverit et vix inveniatur, qui non Vitam Chesnianam, quamvis breviorem tamen veritatis simplicitate satis commendatam, longe ei praeferendam censeat.[2])

---

1) Neque hoc modo eum excusare audeo, quo Cointius (Ann. III. 99. ad an. 640) qui victorias has de Thuringis sequentibus Sigiberti annis relatas, ideoque a Fredegario jam in decimo Sigiberti anno operi suo finem imponente non enarratas esse existimet, cum Ottonis interitum sequitur, qui in Fredegario cap. 88. bellum Thuringicum etiam in Vitae IV, Cap. 12. ex eodem excerptum eodem ordine sequi videam neque alium fontem, ex quo victorias illas cognoscere potuisset, inveniam. —

2) Locus mihi deest, ut alia hujusmodi exempla afferam, quae si quis colligere velit, multo plura, quam cupiverit, inveniet. Sic etiam in loco, supra disputato illud „*curam regni Austrasiorum et providentiam omnium* Pippino Principi impositam esse" ne Gestorum quidem et Reginonis dictis confirmatur: sic Cap. III. No. 9. Fredegario cap. 85. neutiquam praeeunte de thesauris patris inter Sigibertum et Chlodovaeum dividendis „pene introrepere voluisse discordiam", et Sigiberto repetente sibi debitam partem paterni thesauri „nisos esse ei contraire proceres" partis Chlodovaei enarrat.

His de fontibus eorumque usu expositis superest, ut ex iis, quae hic vel illic e fontibus ignotis adjecit, unum apponamus [1]), idque majoris — ut videtur — ponderis. Enarrat enim, regem, si ipse sine liberis obiisset, filium Grimoaldi Majoris-domus, Childebertum haeredem regni constituisse, postea vero, cum filium nomine Dagobertum suscepisset, testamento illo sublato, hunc, regem futurum, Grimoaldo nutriendum commisisse, [2]) cui narrationi brevissimi cujusdam Chronici, reges tantum atque annos regnorum a Clothario II. usque ad Pipinum referentis, locus „Childebertum adoptivum filium Grimoaldi annos VII. regnasse" [3]) admodum favere videtur. — Qui quid sibi velit, statim temporum censura accuratius instituta docebit.

In eodem enim Chronico Sigibertus 23 annos regnasse (i. e. ab anno 633—656) recte atque toti temporum rationi congrue traditur; [4]) eum primo die Februarii mortuum esse

---

1) Alia enim jam ab Henschenio et Cointio satis disputata, veluti illud: Sigibertum *duodecim* construxisse monasteria: cum ab eo ipso tantum quatuor Casaecongudunense ad fluvium Sesmarum, Malmundariense et Stabulense, S. Martini Mettense instituta esse tradantur, (cf. Henschenii Analecta ex variis auctoribus de Sigiberto in Actis l. c. pag. 233.) plura ejus tempore eoque haud raro adjuvante exordium sumpsisse manifestum est (cf. Acta Sanct. Febr. I. pag. 816—824. ad Vitas S. Amandi. Cointii Annales III. pag. 190 ad an. 645).

2) cf. Vitam Chesn. pag. 593. Vitam pleniorem ap. Bouquet. II. pag. 602. Cap. V. Nro 15. In Chronico adoptionem anno 652. ascribit, cujus vero chronotaxis quam sit incerta, infra patebit.

3) Chron. breviss. e Ms. Tiliano ap. Chesn. I. 781. Bouq. II. 691.

4) Clotharius anno 39 regni sui Dagobertum socium regni instituit i. e. a. 622. (Sig. falso in Chron. ad an. 628.) a quo Fredegarium Sigiberti hujus annos numerare perspicuum est. Inde Sigibertus, quem VIII. anno Dagoberti natum esse statuit, 630 primam lucem vidit (in Chron. falso an. 633.) anno 633 (XI. anno regni Dagob.) Austrasiae rex est constitutus (falso in Chron. an. 640. cf. Fred. cap. 47. 58. 52. 59. 75.) Dagobertus mortuus est 16 vel 17. anno regni (638. cf.

constat;[1]) Chlodovaeus frater, postquam 18 annos ab anno 638 regnavit, et ipse eodem anno 656 obiit.[2]) Eum vero Sigiberto superstitem, narratio Gestorum reg. Franc. Austrasies Grimoaldum, qui revera Dagoberto in Hiberniam ablegato, filio suo regnum tradiderat, inde vero odium in se contraxerat, captum Chlodovaeo tradidisse,[3]) confirmat; itaque regnum Childeberti, Grimoaldi patris armis adjutum, quod demum mense Februario incipere potuit, jam eodem anno finiisse oportet, propter quod ingeniosa Bouquetii conjectura in Chronico illo pro annis VII. menses VII, legentis digna cui adsentiamur, esse videtur.[4]) Num vero, fontibus aequalibus silentibus omnibus, adoptio illa re vera locum habuerit, dubitari potest; certe, cum etiam de aetatis anno, quem Dagobertus filius in obitu patris ageret, vix certi quidquam

---

Fred. cap. 79. Chron. Til. falso in Chron. 645). Simili errore lapsus in utraque Vita annum obitus 662 annotat, atque ex eodem calculo eum ad tricesimum primum annum vitae, et vicesimum octavum regni pervenisse (scil. ab anno 630 et 633) conjicit, contra in Chronico post omnes hos falsos annos annus obitus Sigiberti rectus (656) invenitur. Henschenius perperam Dagoberti annos a morte Clotharii (628) ducens eum mortuum 644 statuit et totam chronotaxin Sigiberti et Chlodovaei (II.) confudit. cf. Cointii Annales II. 809. Mabill. Praef. ad Act. Tom. II. pag. XLIII.

1) scil. e Vita, haud dubie veterem notitiam in ecclesia S. Martini conservatam ideoque fide dignam, secuta.

2) cf not. 4. pag. praec. Fredegar. cap. 79. 80. et cont. cap. 91. ap. Bouq. II. 449. Sig. in Chron. perp. ad an. 662.

3) cf. Gesta cap. 43. Vita S. Wilfridi Eborac. loco pag. 251 n. cit.

4) II. 691. multo magis certe, quam illa Cointii (Annal. III. pag. 389. —390) qui ratione falso subducta, Sig. mortuum anno 654 statuens Childericum filium Chlodovaei II. regis 660 (quod quidem pluribus argumentis commendatur) regem Austrasiorum constitutum esse, interregnum circa VII. annorum eruit, quod a scriptore uni Childeberto perperam assignatum existimat.

statui possit [1]) optimum videtur, de hac re judicium retinere, nisi quis conjecturarum, quae mentis quidem acumen exercere possunt, rei vero ipsi nihil conducunt cupidus, Grimoaldum simulate tantum talem adoptionem, ut licentius ficto suo jure uteretur, praetexuisse existimare velit. —

Adnexuit jam Mosandrus vitae „Miracula quaedam ejusdem regis" quae a Sigiberto Gemblacensi conscripta testatur, in compendium vero redacta esse fatetur. [2]) Eadem titulo „Historia translationis I. Miraculorum S. Sigiberti" praeposito, Sigiberto adjudicata, integra (tribus cap. et undecim §§. distincta) e Ms. codice Stabulensi edidit Henschenius. [3]) In prooemio [4]) auctor ipse haec: Et nos non aliena aut inexperta praesumptive meditari tentamus, sed ea, quae aut recenti tempori facta comprobantur, aut quae a fidelibus certisque hominum personis comperimus, qui se eisdem interfuisse mirabilibus nunc etiam

---

1) Nam si hunc, quod alii adversarii adoptionis contendere ausi sunt, in obitu patris jam decem vel octo (scil. Henschenius l. c. pag. 231.) vel quinque annos (scil. Coint. III. pag. 238. ad an. 649.) natum fuisse statuas, rerum condicioni minus consentaneum esset, Sigibertum ante hunc susciperet, ipsum nondum 16 vel 18 vel 21 annos natum jam de prole desperantem Childebertum adoptasse; nihil vero de aetate Dagoberti constare videtur, nisi quod Eddius Stephanus in Vita S. Wilfridi Eboracensis (ap. Bouq. III. 601) docet „eum juventute prima ab inimicis regnantibus in exsilium pulsum, navigando ad Hiberniam insulam pervenisse. Post annorum circulum amicos ejus et propinquos viventem et in perfecta aetate florentem a navigantibus audientes reditum ejus effecisse;" cum vero in hoc maxime dubium sit, utrum „perfecta aetas" eadem ac legitima ad regnum administrandum (scil. XVII. aetatis, quippe quam Sigibertus XIV. anno regni adeptus esset cf. diploma ap. Henschen. l. c. pag. 235) an provectior sit, vix accurate dici potest, quot annos natus 673. (vide Coint. III. 662. Pertz pag. 48) in Galliam reversus sit. Pertz (pag. 40.) eum decimo octavo anno ad regnum pervenisse, igitur anno 656. vix natum esse statuit.

2) l. c. pag. 88—90. (suspensa est).

3) l. c. p. 236—238. cf. Comment. praev. pag. 214.

4) Quod vero in editione Mosandri deest.

protestantur, fide veracique relatione ad posteritatis memoriam scripto transmittere curavimus." — Causa translationis anni 1063 exponitur, [1]) miracula, eam comitata, atque inter septem annorum spatium secuta candide enarrantur. [2]) Versibus, qui subinde, ut in aliis Vitis Sigiberti nostri, inspersi leguntur, peculiarem illius morem probari Henschenius non temere arbitratur, [3]) neque sufficiens causa est, cur hanc historiam, quam ipse haud dubie, quod eam vitae ipsi adhaerere putaret, non singulatim distinxit, ei abrogandam censeamus. [4])

1) Cap. I. Nr. 1.

2) cf. Cap. III. Nr. 10. (l. c. pag. 238.) miraculum anni 1068 e lectione Mosandri, quae illi 1048 codicis Stabulensis longe praeferenda videtur. cf. Nr. 3. 11.

3) l. c. pag. 214. Nr. 42.

4) cf. Molanum ap. Henschen. l. c. pag. 214. Nr. 41. Hist. litt. de la France IX. 548. Vitam Sigiberti pleniorem suo stylo contractam a Zacharia Lippeloo et Francisco Haraeo, Gallice translatam a Dubletio Henschenius, Vitam Mos. Gallice translatam per Georgium Albericum (Aulbery) esse editam cum aliis ad Hist. Lotharing. spectant. Nanceji 1616. 8, auctores Hist. litt. l. c. pag. 549 tradunt.

IV. GEMBLACENSIA ET LEODIENSIA.

1. PASSIO SS. THEBAEORUM.

Sigibertum se Gemblacum regressum passionem Thebaeorum heroico carmine scripsisse ipse testatur.[1]) Non immerito eos coenobii Gemblacensis patronos vocasse videtur, quia Guibertum ejus fundatorem, illud Deo et Apostolorum principi Petro et *S. Exuperio Martyri glorioso*, (campidoctori scil. sive signifero Thebaeae illius legionis quam sex mille sexcentos (sexaginta sex) viros omnes jam Christianae fidei addictos complexam Maximianus olim, Diocletiani in Imperio collega, ut ejus ope poenas a Christianis repeteret, ex oriente advocasse, et cum milites in angustiis Agaunensibus subsistentes, tyranni hujus jussis obsequi renuerent, decimari eos et iterum decimari, postremo cum constanter in fide perseverassent eamque libenter confessi essent, omnes gladio confici jussisse fertur)[2]) delegasse constat[3]), quin etiam eum corpus illius Agauno Gemblacum detulisse (VIII. Id. Jul.) seriores auctores tradunt[4]); certe quidem saeculo duodecimo, Thebaeorum dies

---

1) Liber de s. e cap. 171.

2) cf. Eucherii Lugdunensis Passionem Thebaeorum ex edit. Chiffleti; et Ruinartii in Actis Sanct. Septbr. Tom VI. pag. 342.

3) cf. Vitam S. Guiberti Cap. 4. loc. infr. cit. Acta Sanct. loc. cit. in Addendis pag. 898.

4) cf. Acta Sanct. l. c. pag. 899. e quodam ms. Gembl. intitulato „Sanctorum, quorum corpora in Brabantia requiescunt, aut in ea claruerunt, breve Chronicon" locum: In Gembiaco quiescit B. Exuperius martyr, vexillifer Legionis Thebaeorum Martyrum, qui passi sunt in Gallia in loco, qui dicitur Agaunum. Hujus corpus

(22. Septembris) festivo splendore apud Gemblacenses agitabatur,[1]) et ipsis recentioribus temporibus dies VIII. Julii festus S. Exuperii quibusdam ritibus celebrabatur.[2])

Molanum Sigiberti carmen adhuc vidisse, ex dicto ejus in notis ad Martyrologium Usuardinum[3]) probabile est: exstare Gemblaci tres libros Sigiberti, quorum initium esset:

„Martyribus roseas Thebaeis ferre coronas."

Transiisse inde haec notitia videtur in Valerii Andreae Bibliothecam Belgicam,[4]) unde — ut fieri solet — in libros Foppensii[5]) et Fabricii[6]) pervenit, ut hoc carmen incendio abbatiae Gemblac. supervixisse existimare posses, nisi Joannis Clei — passionum SS. Thebaeorum inter Bollandistas editoris — testimonium obstaret: se a Guiberto le Clef, circa medium saeculum decimum octavum[7]) apud Gemblacenses, quos, ut certiora de hac re doceretur, adierat, sacrae theologiae lectore, responsum accepisse: nusquam librorum lorum vestigium reperiri. Sic, cum opus nullius fere apud aequales vel posteros famae pluribus apographis divulgatum esse non verisimile sit, omnis ejus recuperandi spes aufertur. —

---

tempore Ottonis I, translatum est in Gemblaco. cf. Molanum ad diem VIII Julii et XXII. Septbr. in Actis l. c. pag. 899. denique nuncium Arnoldi Rayssii in Vita S. Guiberti, qui „eum Agaunum profectum esse, tantumque precibus et interventu aulicorum imperatoris effecisse, ut obtinuerit corpus S. Exuperii, socii martyris S. Mauricii" tradit l. c. pag. 899. — Sed penes lectorem sit ea, de quibus Sigibertus ne verbum quidem profert, longe serioribus testimoniis confirmata habere.

1) cf. Sermonem de elevatione S. Guiberti ap. Mabill. V. pag. 312.

2) l. c. pag. 899.

3) l. c. pag. 899.

4) pag. 810.

5) II. 1097.

6) VI. l. c. pag. 181.

7) Quod ex anno 1757, quo tomus VI. Mens. Septbr. Act. Sanct. editus est, conjicimus.

Hujus libri si argumentum tantum spectamus, interitus ejus hodiernae quidem aetati non admodum videtur lugendus esse, sed quantopere Sig. in hoc quoque opere consuetam curam suam atque diligentiam probaverit, ex hoc facile est ad intelligendum, quod et librum Eucherii Lugdunensis de hac passione vetustissimum [1]) et poema Marbodi Redonensis, scriptoris aequalis [2]) cognovit, atque Marbodum in Eucherii sententiam pedibus iisse existimavit. [3])

2. 3. VITA S. GUIBERTI.
LIBELLUS DE GESTIS ABBATUM GEMBLACENSIUM.

Si, quae Sigibertus in laudibus Thebaeorum praestitit, cum illis, quae ad memoriam S. Luciae celebrandam edidit, conferre possis, non desunt, quae Vitae Theoderici apponas. Similem enim, atque illi, etiam fundatori ecclesiae Gemblacensis, Uvicberto sive Guiberto confessori operam navavit; quin etiam, cum ecclesia illa, ut studiorum suorum mater et vitae virilis senilisque sedes multo ei monasterio S. Vincentii carior fuisse videatur, gesta abbatum Gemblacensium addidit. Hos igitur libros, cum re conjuncti sint, hic etiam conjunctos contemplemur.

Vitam S. Guiberti jam ante annum 1099 scripsisse videtur; nam sermonis de elevatione S. Guiberti auctor, [4]) hunc anno 1099 miraculis clarescere coepisse enarrans, Si-

1) De quo vide Fabric. II. pag. 116. et Acta Sanct. l. c. Comment. praev. §. II. §. XIII.

2) qui anno 1096. episcopatum Redonensem adeptus, anno 1123 diem obiit supremum (cf. Fabric. V. pag. 16. Hamberger IV. pag. 93); eum poema illud vel antea vel cum Andegavi scholastici munere fungeretur (1067—1081) composuisse docet Joannes Cleus. l. c. pag. 896.

3) Libr. de s. e. Cap. 158.

4) Acta Sanct. Mens. Maji Tom. V. pag. 266.

gibertum inde tanto certiorem fuisse ait ejus sanctitatis gratiae, quanto majore vitam ejus omnibus virtutibus plenam stili elegantia persecutus sit. — Edita est primum ad diem 23 Maji [1]) — quem auctor ipse Sancti supremum fuisse narrat — in Surii Actis Sanctorum, deinde vero, cum Lambeccius e codice quodam antea Gemblacensi, postea Ambrasiano-Vindobonensi, in quo cum aliis Gemblacensibus Vita S. Guiberti exstabat, nonnullas varias lectiones edidisset, [2]) his a Mabillonio receptis, in Actorum SS. Ord. S. Bened. Tom. V. (1685) recusa [3]) eodemque anno in Actis Sanctorum Bollandianis, [4]) secundum duos codices, alterum S. Maximini Trevirensem, alterum Corsendoncanum [5]) sub prelum missa est.

---

1) Edit. vet. Tom. III. pag. 377—385. (Edit. Col. 1618. III. 293. sqq.)

2) Comment. de Biblioth. Vindobonensi (1669) II. 898. Nro. CCLXIX. (Hist. Eccl. 128.) Volumen chartaceum in quarto: cf. Kollar. Analecta bonens. (1761) I. pag. 898. 917. Codex a monasterio Gemblacensi Maximiliano I. Imperatori dono datus est, cf. Lambecc. II. 908. lar. I. 934.

3) pag. 301—311.

4) Acta Mens. Maji Tom V. pag. 259—265. Vita ap. Surium in XVI. capp. divisa, ap. Mabillon. in XVIII., Cap. XVI secundum auctoritatem Cod. Ambrasiani (cf. Lambecc. l. c.) in tres diviso. Alio modo ap. Bolland. vita in tria capp. et 19 numeros distincta. Codex Lipsiensis (de quo infra) Vitam etiam in 19 capp. distinctam affert. — In Cod. Ambrasiano Vitae additur: Miracula vitandi fastidii gratia suppressa sunt, quandoquidem multiplicata sunt supra numerum: quod vero a Sigiberto ipso non adjectum esse censeam.

In Actis Sanct. e codice Corsendoncano sermo de elevatione, quem jam Lambeccius, l. c. e Codice Ambras. ediderat, (Igitur Sanctus — mansionem) Mabill. et Kollarius. l. c. repetiere pleniori habitu, prooemio quodam praemisso (Exultemus — agnovit) pluribusque in fine adjectis (Multis denique — laetificaret miraculis.) exstat Kollarius etiam l. c. ex auctoritate Gentilottii sermonem plenius quam apud Lambecc. in Cod. quodam Caes. hist. Eccl. CVI. exstare testatur.

5) Hujus codicis jam 1633 Joannes Hoybergius in Catal. Bibl. Corsendoncanae (ap. Sanderi Bibl. Belg. manuscr. II. pag 59. in primo

Cum Sigibertus se ex hac Vita etiam „excerpsisse lectiones competenti ordine in ejus depositione" memorasset atque Henschenius in Codice quodam Ms. Ultrajectino Vitam et Historiam elevationis in compendium contractas invenisset, auctores Hist. litt. Franc.[1]) quamvis nunquam eum oculis inspexissent — ibi lectiones illas contineri satis apposite conjecerunt.[2])

Opus ipsum a consueto vitarum Sanctorum, quales illo tempore edebantur, more in eo quidem differt, quod Guiberto nulla adscribuntur miracula, quod ipse quoque Sigibertus tam acriter sensisse videtur, ut morte ejus enarrata haec gravia atque aetate, qua vivebat, fere majora adderet. „Tandem vir Dei consummatus in virtutum gratia, quod majus est quam si claruisset miraculorum gloria: miraculis quippe nonnunquam virtutes offuscantur, miracula vero solis virtutibus commendantur;"[3]) in stylo vero dicendique genere viam, hagiographis illius aetatis tritam non relinquit, phra-

volumine Legend. script. et collect. per F. Antonium de Bergis, circa an. 1490.) mentionem fecisse videtur; in secunda parte ejusd. collect. l. c. pag. 61. etiam Vita S. Guiberti, incipiens his verbis: „Sancti Guiberti confessoris annotatur; in Indiculo msptor. biblioth. Monast. Affligemiensis ap. Sander l. c. II. pag. 148. notatur Codex msptus. Vitae S. Guiberti Auctore Sigiberto." Exstat Vita S. Guiberti in codice illo Uffenbachiano membr. saec. XI. et XII. (de quo supra) nunc Lipsiensi Nro. CLXXII. Rep. II. fol. 69; fol. 1—12 *b*. cf. Pertz: Archiv VI. 208. Aemil. Guil. Rob. Naumann: Catalog. libror msptor. qui in bibliotheca senatoria civitatis Lipsiensis asservantur. Grimmae 1838. 4. Nr. V. B. Patres ecclesiast. et scholast. Latin. pag. 52—53.

1) IX. 550.

2) Sigibertus etiam se „antiphonas et responsoria de Sanctis Maclovio et Guiberto mellificasse" testatur, (cf. Antonium Possevinum App. sacr. II. 402. secundum Suffridum Petrum) quae neque unquam in lucem prodiisse videntur, neque in codice quodam exstantia annotantur. cf. Hist. litt. IX. 550.

3) Cap. XVII. ap. Mabill. l. c. pag. 310.

sium ambagibus singula Guiberti acta extollit, totamque Vitam Vulgatae locis exornat, haud dubie — ut rem recto verbo significemus — propter rerum, quae relatu dignae essent, inopiam. Quid enim de Guiberto illo confessore posteris tradendum erat praeter hoc unum, Gemblacense monasterium ab eo conditum esse.

Laudat Sig. nobilem ejus ortum ex auctoritate eorum „qui hujus antiquitatis retinent notitiam," [1]) affert multas ejus virtutes, cum militiae saecularis cingulo deposito rebus divinis se dedicasse, [2]) fundum haereditarium suum Gemblaus (Gemmelaus) ad monasterium construendum delegasse, [3]) beneficio Gislae, aviae ejus, bona monasterii aucta esse, [4]) Guibertum ipsum, omnem mundi gloriam fugientem, in monasterium Gorziense quod tunc, jam monachorum desidia collapsum et depravatum, Adalbero I. Episc. Mettensis et Agenoldus Abbas ad meliorem disciplinam monasticam convertissent, se recepisse, [5]) Gemblacensi monasterio illo tempore Erlvinum, qui jam antea in claustro aedificando omnibusque consiliis utiliter exsequendis doctor et patronus ei fuisset, praepositum; [6]) invidiam vero, quae nusquam desit, duplici modo obstitisse; primum cum Guibertus apud Imperatorem, se lege posthabita in fisco regali monasterium condidisse, accusa-

1) Cap. 1. ap. Mabill. l. c. pag. 301. cf. Fulcv. Cap. XXVI.

2) Cap. II. III. ibid. pag. 302—303.

3) Cap. IV.

4) Cap. V.

5) Cap. VII. VIII. l. c. pag. 304—305. Chrodegangum laudat auctorem coenobii e Pauli Diaconi gest. epp. Mettens. Dictis Vitae S. Johannis Abb. Gorziensis ap. Mab. ibid. pag. 378. Cap. 41. 42. Sig. plane confirmatur; in eo tantum errat, quod Cap. XVI. Abbatem Gorziensem Guiberto morituro (962) adstantem vocet Oilboldum, cum Johannem successorem Agenoldi sive Einoldi usque ad an. 973. vitam egisse constet (cf. Vitam S. Johannis. Cap. 3. et 43. et Mab. l. c. pag. 310 n. pag. 364.).

6) Cap. V. IX.

saretur[1]) deinde cum, hoc periculo averso, et diplomatibus Regis et Papae monasterio patrocinantibus,[2]) Heribrandus de Mavivolt inter nobiles Bratuspantium insignis Gemblacensem fiscum haereditaria lege ex matrimonio uxoris suae Rembidis (sororis scil. Guiberti) sibi competere praetendens, Abbatiam violenter invâsam diriperet et vastaret; tunc Guibertum Erlvino jam occaecato, rebusque restaurandis minus idoneo, ut Gorzia accurreret, coactum, praesentia sua res ad tempus composuisse.[3]) Deinde Hungarorum, qui Conrado duce vias aperiente, usque ad silvam Carbonariam pervenerant,[4]) nonnullos ab eo ad Christianam fidem conversos esse, ipsum porro societatem quandam fraternalem ad Christianam religionem confirmandam et mores emendandos constituisse,[5]) ejus denique Gorziam reversi ibique mortui (X. Cal. Jun. 962.) corpus Gemblacum esse relatum.[6])

Praeter universalis cujusdam doctrinae indicia, quae in omnibus Sigiberti scriptis ex aequo reperiuntur, ea potissimum hoc loco enotare placet, quae ex vetustioribus et authenticis rerum Gemblacensium monumentis discere potuisse videtur. In quo statim neminem fugere potest, eum diploma Ottonis I. quo is constructionem monasterii confirmavit, eique privilegia quaedam impertiit, idque ipsa genuina sua forma jam cognovisse et quaedam e Benedicti VII. bulla pro monasterio ad verbum descripsisse constat,[7]) denique Erlvini

---

1) cf. Cap. X.
2) Cap. X. et XI. cf. infra.
3) Cap. XII. pag. 308. de Erlvini occaecatione cf. infra.
4) cf. Cap. XIII. de Hungaris cum Chron. 903. Reginonis Chron. ad an. 889. 901. Liudprand. I. 2. II. 1. de expeditione Hungarorum in Lotharingiam cum Chronico ad an. 955. Fulcvini gestis abb. Lobiensium. Cap. 25. ap. d'Achery II. pag. 737—39. cf. Dönniges: Otto I. pag. 179—180.
5) cf. potissimum Cap. XIV. et infra.
6) Cap. XV—XVIII.
7) cf. Cap. XI. et infra.

Epistolam ad Aletrannum abbatem Lobiensem — cujus, hucusque ineditae V. D. Naumann apographum e Codice Lipsiensi, in quo exstat,[1]) nobis benevolentissime transmisit — legisse videtur. Erlvinus enim, quo non alius quisquam potest dignior fide testis afferri, jam eadem quae in Vitae Cap. XIII. inveniuntur de Guiberto iisdem fere verbis profert;[2]) idem verbis, memoria dignissimis, societatem illam, quam supra attigimus — a Guiberto initiatam esse refert.[3])

---

1) Nam post finem vitae codex Lipsiensis fol. 12*b*. Quod talis tantusque hic vir domini fuerit ne quis discredat, ipsius domini abbatis Erlvini testimonium accedat: qui ei diutissime convixit quem nichil illius latuit. Is Erlvinus dans operam ad disponendum initiate a domino Wichberto fraterne societatis collegium et ad hoc invitans venerabilem virum *aletrannum*, quem post suam excecationem et expulsionem *evraclus* episcopus ordinaverat abbatem Lobiensium (cf. Fulcvin. Cap. 27) scripsit epistolam in hunc modum.

2) scil. „paganis et idolorum spurcitiis deditis misteria atque dogmata regis eterni administrare non distulit fideliter, cupiens eos supernis civibus sociare amabiliter."

3) vide supra pag. 259. et Notam 5. Vitae Cap. XIV.... de Guiberto: tentus (totus) in hoc, ut consulendo sibi consuleret etiam aliis excogitavit opus, quod non sibi solum, sed etiam aliis prodesset. Nam amplectens super omnia caritatem, quae est vinculum perfectionis et (in qua est) plenitudo legis . . . coepit agere cum pluribus devotis et Dei fidelibus, ut per unum mutuae caritatis conglutinati amorem fraternalem inter se statuerent societatem: ut cum omnes unum in Christo essent, unum saperent, unum diligerent, unum in Christo vellent, unum nollent, nihil diabolica aemulatione contractum, odio condignum vel contrarietate inveniretur diversum, ut vere pacifici mererentur beatitudinem filiorum Dei. Ad haec etiam, ut... peccata sua alterutrum confiterentur, et orando pro invicem salvarentur... per fraternae orationis auxilium redderentur toti mundo, eleemosynis, jejuniis, psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, ad hoc constitutis ab invicem expiati. — Erlvinus in epistola rebus Guiberti perlustratis, in fine haec addit: Post cujus decessum et vite presentis terminum fideles diverse etatis et diversorum graduum ejus incitati bone actionis exemplo opus deificum et amoris dulcedine plenum quod ab ipso exortum est ampliori frequentia pro-

Gesta abbatum Gemblacensium, quorum Sigibertus in catalogo operum suorum mentionem facit, Miraeus adhuc inter libros ejus Gemblaci ms. exstantia et quidem usque ad an. 1136 a discipulo quodam continuata vidisse sibi visus est; [1]) codex porro, e quo apud d'Acherium [2]) edita sunt

mulgare curaverant. Placuit sane pluribus circa locum commorantibus quibus mens sanior et erga deum devotionis erat affectus ob suas animas redimendas fraternalem inter se jungere societatem ut pacis et dilectionis tenentes in terris unionem patrie celestis mererentur perfrui communione. Igitur *Kl. Majas* convenit non modica fidelium turma ad locum memoratum inspiratione ubique clementissimi domini inflammata devovens Deo per circulum anni ad oblationis sacramenta pertinentia luminis panis vinique mensuram communiter repertam *ut in die Kalendarum* unicuique designato de his rebus pro eo fiat oblatio et sacri misterii supplicatio. Totius ergo vinculo dilectionis die prenotato tam abbas quam cuncta congregatio monachorum jam dicti monasterii nec non pagensium copiosa multitudo se conglutinare statuerat permanentes deinceps fide et Karitate sociati. Initiata est hec fraterna societas anno primo imperii secundi Ottonis, qui est annus dominice incarnationis DCCCCLXIII.

1) Vide praefat. ad edit. Chron.

2) Spicileg. ed vet. Tom. VI. pag. 505. ed. de la Barre. II. 759—769. „emptione multiplicavit." — cui Miraeus in excerpto suo (Praef. ad Chron.) adnectit: „Tamen senectute confectus vicesimo tertio anno suae praelationis, VIII. Cal. Martii vita decessit et ante S. Crucis altare sepulturae locum accepit." In Codice Lipsiensi (vide supra) in quo libellus vitam sequitur (fol. 13—56) plura etiam a fol. 51 *b*. post finem editionis d'Acherii legi V. D. Naumann mecum communicavit.

Citat Mabillonius (Analecta ed. de la Barre 1723. fol. pag. 482) locos e Chronico quodam ms. Gemblac. circa an. 1194 et 1204 et ap. le Long.: Bibliothèque I. pag. 746. ad Nro. 11983. annotatur Ms. Chronicon Gemblacensis coenobii ab anno 900—1590. auctoribus Sigeberto, Papinio, Sombecho, quod idem secundum Grammaium in bibliotheca monasterii illius exstare ait. In Introductione ad Coll. script. Belg. et Chron. Philippi Mouskes ed. Reiffenberg. Tom. I. pag. XXXV. in bibliotheca regali Hagensi (fonds Gérard) exstare „Diplomata Gemblacensia ab anno 961 ad an. 1610. Accedunt quaedam de

Gesta, eundem in fronte ponit auctorem; dubitavit tamen editor, num liber, qui ex styli conformitate unum ab initio usque ad finem auctorem eundemque discipulum Sigiberti, ei superstitem, proderet ullo modo Sigiberto adjudicari posset; contra auctores Hist. litter. Francorum[1]) duos fuisse scriptores alterum Sigibertum, alterum discipulum anonymum qui more consueto praeceptoris dicendi genus imitatus sit, recte docuisse videntur, quod et operis ipsius examen paullo accuratius institutum statim confirmabit. — Auctor enim non solum se Mascelini (1048—1072 sive 1076) aetatem vidisse,[2]) sed etiam sub Olberti (mortui anno 1048) regimine vixisse recordari[3]) testari videtur, unde verisimile fit, eum cum vix Anselmi abbatis aetate scriptorem se gerere atque ipsius Sigiberti discipulum se ferre potuerit, Sigiberto certe fuisse aequalem. Sigibertum vero prioris partis auctorem fuisse primum ex eo perspicuum est, quod in ea ex illius more eadem iisdem, atque in aliis ejusdem libris verbis allata inveniuntur, cujus moris,[4]) loci de pugna Florinensi (ad an. 1015)[5]), de fame totam Galliam et Germaniam profligante (ad an. 1043)[6]) testimonia sunt apertissima. Alterum argumentum hoc est, quod auctorem Gestorum iisdem fere studiis, quibus Sigibertum excellere vidimus, incubuisse manifestum est, cum et Fulcvini Lobiensis — quamvis acerrime atque haud dubie

---

abbatibus Gemblacensibus excerpta ex antiquissimo Ms. hujus monasterii in fol. scriptura recentiori" annotantur.

1) IX. 552—53.

2) l. c. pag. 767.

3) vide supra.

4) vide supra mult. loc.

5) cf. pag. 764. dext. sup. Chron. ad an. 1015. Bald. III. 9.

6) cf. pag. 765. dext. infra Chron. ad an. 1044. ed. Struv. an. 1045. ed. Miraeus. Anselmi Gesta epp. Leod. Cap. 49. l. c. pag. 889 unde etiam parabolam illam cum Josepho, illic de Wazone prolatam, recepisse videtur.

justa de causa impugnati [1]) — dicta sequatur et ex Anselmo Leodiensi nonnulla describat, [2]) Dialogum porro Gregorii

---

1) Nam cum Fulcvinus. Cap. 26. Erlvinum, hominem vilem omnique virtute destitutum auxilio Ragineri Comitis, avunculi Balderici Episcopi Leodiensis praepositurам et abbatiam Lobiensem adeptum atque obsoniis et servitiis, quae utrique praestaret, animis monachorum contra se commotis ab illis excaecatum esse enarrasset, Sigib. Erlvini bonam famam apud posteros restituturus, Fulcvinum quidem martyrium illius non tacuisse in libello suo, sed si quis, quo consilio scripserit, diligentius perpenderit, eum non posse non intelligere illum veritatem quidem rei gestae examinasse, causam vero rei magis ex motu animi, quam ex vero interpretatum esse" effatus, invidiam monachorum Lobiensium potissimum inde exortam esse, quod cum Abbatia ab illa aetate qua Hubertus frater reginae Thietbergae, fugato Hartperto eam invaserat usque ad electionem Baldrici episcopi (Sig. in libello ab an. 863 — 956. cf. Chron. ad utrumque annum) Abbatis cura peculiari carens, episcopis Leodiensibus, Franconi, Stephano, Richario, Hugoni et Faraberto tantum esset subjecta (cf. Fulcvin.) omnis disciplina jam evanuisset, illique viri religiosi regimen aegre ferrent, enarrat atque quae in servitium Comitis Ragineri impendisset, atrocissimi sceleris causam praetendisse addit. — Argumenta ex ipso Fulcvino adversario apte congessit (cf. Cap. XII. l. c. pag. 734. XV. pag. 735. cum dipl. in Miraei Notit. eccles. Belgii pag. 76. XVIII. XIX. pag. 736. XXI. pag. 737.).

2) scil. de obitu Wazonis et Olberti ap. Libell. pag. 766. Leodicum abiit — quadragesimo octavo ex Anselmi gestis Cap. LXVI — LXVIII. l. c. col. 908 — 911. quo quidem loco praeter textum integrum, modo citatum (cf. pag. 767, laev. lin. 4 — 5 secundum — inungi cum Anselmo Cap. LXVI. l. c. col. 908. lin. 2—4 eam — adjecit coll. cum Chap. cap. CIX. l. c. pag. 307; pag. 767. laev. lin. 9. sed cras — mihi cum Ans. LXVIII. col. 910. lin. 27 — 28. coll. cum Chap. cap. CX. pag. 308. infra; pag. 767. lin. 13. regressus cum Ans. col. 910. lin. 37. regressus Chap. pag. 309. lin. 4. secedens) etiam textum qualis apud Chapeavillium editus est, adhibuisse videtur (cf. pag 767. laev. lin. 10.: resolutus in lacrymas cum Chap. pag. 308. lin. 2 — 3. de infra; ibid lin. 14. vexari — febribus cum Chap. pag. 309. lin 5.: ibid. lin. 20. spiritum coelo reddidit cum Chap. pag. 309. lin. 7.). Ceterum eum brevitati nimium studentem, Anselmo parum accurate usum esse lectoribus patebit.

Magni testem adhibeat,[1]) quin etiam phrases Sigiberto consuetae haud raro apud eum reperiantur.[2]) Jure etiam quaerimus, quis in libro, in quo de iis tantum, quae res Gemblacenses proxime attingunt, agitur, Fulcvini (fratris Mascelini Abbatis) accuratiorem mentionem fecisset, eumque usque ad obitum Abbatiae S. Vincentii Mettensi praefuisse narrasset,[3]) praeter Sigibertum, quem cum hoc viro in hac Abbatia vixisse jam exposuimus.

Quibus argumentis cum Sigibertum prioris partis libelli de Gestis Abbatum Gembl. auctorem fuisse efficiatur, si quaerimus, quo libelli loco calamum ipse deposuerit, discipulus exceperit, recte jam auctores Hist. litter. Franc. respondisse videntur, post locum:

Abbas Tietmarus vir columbinae simplicitatis per annos viginti tres commissam sibi familiam rexit:[4])

disciputum scribere coepisse statuentes, cum postea Tietmarum 23 annos sedisse, iterum legamus,[5]) neque verisimile sit, eundem auctorem idem dictum repetiisse. Quae locum illum sequuntur, non interrupto ordine de viris, sub Thietmari regimine insignibus, ut de Berordo, Guirino (cujus se in vita Abbatis Thietmari meminisse auctor ap. Anselmum annotat)[6]) et Sigiberto ipso agunt.

Libellus plurimam partem in rebus Erlvini I. et Olberti enarrandis versatur, quorum cum Erlvinus primus Abbas

---

1) cf. Libell. pag. 762. Liceat etc. cum Dial. II. 3.

2) cf. e. g. pag. 764. Olbertus . . . . suos jam imbutos sancta religione studiis etiam literarum docuit studiose insistere ut dum per *semitas scripturarum* oculis atque animis relegerent *Patrum vestigia*, scirent indubitanter eorum cavere avia; et in initio Chronici: quatenus sequi poterimus *vestigia majorum*, directi per *semitas* historiarum.

3) l. c. pag. 767. dext. sup.

4) I. c. pag. 768. laev.

5) l. c. pag. 768. dext.

6) pag. 769. laev.

atque collega fundationis latum stylum posceret, Olbertus omnium rerum post Erlvini junioris regnum minus commendabile restaurator ipsiusque Sigiberti nutritor, latiorem etiam poposcisse videtur.[1]) Olberti quidem res scriptori maximam partem recens adhuc aequalium memoria suppeditabat; ad Erlvini vero gesta accomodate enarranda minus videntur subsidia in promptu fuisse, quum Sigibertus statim in initio Vitam illius a Richario monacho ad Notgerum Episc. Leod. metrice compositam periisse et se pauca tantum ejus fragmenta e scedulis discissis collecta edere potuisse queratur.[2]) Quantum vero in hoc operae ac studii collocaverit, ut res probe ac suo quasque loco enarraret, inde colligi potest, quod in Vita Guiberti tantum laudibus incumbit, Erlvini autem non nisi, ubi res ipsa id exigebat, mentionem fecit, contra in libello, in quo abbates Gemblacenses depingere studet ab ipso Erlvino narrationis exordium capiens, eum Guiberto ad vitam monasticam convertendo operam dedisse, eum institutae abbatiae auctorem fuisse, eum privilegii diploma ab Ottone Imperatore impetrasse perhibet; at cum eum in Vita Guiberti „doctorem et patronum"[3]) nominet, in exponendo rerum statu et

---

1) pag. 763—767. Vita Olberti ex hoc libello edita ap. Mabill. Acta VI. 1. pag. 599—607.

2) Libelli exordium hoc: Vitam Erlvini primi Gemmelacensis Abbatis Richarius Monachus ejus ad Notgerum Leodiensem episcopum metrice descripsit, sed nescimus, quomodo accidit, quod dissipatis et intercisis scedulis a memoria hominum deperiit: unde quasi particula discissae vestis colligentes, et quidquid de eo scriptum ubique invenimus simul assuentes, fecimus ut saltem haereat sibi quasi unius corpusculi compages. Ne ergo exordium ex ambiguitate alicujus conjecturae vacillare videatur, verba ipsius Richarii in fundamenti stabilitate jaciuntur. Sequitur inde locus de meritis Erlvini, oratione soluta, quem Sigib. pag. 760. ab auctore illo in prooemio editum esse ait; dein in laudes Erlvini triginta quinque versus Vitae Richarii editi.

3) scil. Cap. VI.

conformatione alium potius in utroque libro judicii finem secutus esse quam veritatem neglexisse, vel immeritas alterutri laudes attribuisse dicendus est.

Unum tantum est, in quo narrationes Vitae et Libelli differunt, scil. quod Vita Guibertum Erlvino abbate electo, semper Gorziae vixisse, [1]) neque unquam nisi ultimo discrimine Gemblacensibus imminente, ad eos idque ad tempus tantum reversum esse [2]) testari videtur, Libellus contra eum „Erlvini magisterio se submisisse" [3]) i. e. Gemblaci vixisse contendit, cui non solum Fulcvinus, [4]) sed diploma etiam Ottonis M. [5]) et epistola ipsius Erlvini [6]) patrocinantur. —

Graviorem prima, quibus monasterium Gemblacense gaudet, diplomata quaestionem ingerunt.

I. Exstat diploma Ottonis (Regis Lothariensium et Francigenûm), forma simplici atque genuina habitui proxima, etsi in ea plura a ratione diplomatum aetatis illius aliena reperiuntur, in Aub. Miraei Notitia eccl. Belgii (Antverp. 1630. 4.) Cap. LVI. [7]) Laudat ibi Otto Guiberti consilium monasterium condendi, recenset, quae Gisla avia illius iteratis donationibus illi contulerit, quae Guibertus ipse

1) cf. Cap. VIII. et XI.

2) cf. Cap. XII.

3) l. c. pag. 760. dext.

4) Cap. XXVI.

5) Notit. Eccl. Belg. pag. 102: ipsum (scil. Erlvinum) praefatus Wibertus post aedificatam Ecclesiam et officinas claustri, quas simul construxerant, sibi elegit Abbatem, *et se cum omnibus quos accersierat monachis commisit regendum.*

6) Ibi (Cod. Lips.) „Monasterio sane Gemmelaus nuncupato sui juris haereditate domino servientibus delegato sincero affectui dilectionis fratrum monachorum coadunari voluit congregatione, ubi et ipse, quod credi facile est, regulari vivens tramite, plurima domino digna gessit opera." cf. Mabill. Acta V. pag. 301. Annal. III. pag. 375 —376.

7) pag. 101—102.

illi tradiderit, Erlvini, Guiberti, „doctoris" et Abbatis electi honorificam injicit mentionem, confirmat dona omnia Ecclesiae vel data jam vel adhuc conferenda, denique „annuit Abbati Cancellarium sibi constituere, quemcunque voluerit ex suis, similiter mercatum, percussuram monetae, maceriam; nec per gyrum ipsius Abbatiae quislibet comes sive Legatus dominicus ulla utatur potestate sine permissione Abbatis et Advocati, idemque locus absolutus sit ab omni teloneo."

Diploma idem Sigibertus quibusdam exordii phrasibus praemissis [1]) et hic vel illic assutis, [2]) in libello de gestis Abb. et ibidem neque die neque signis additis (pag. 761.) edidit; in Vita quoque plura, cum eo in singulis verbis conspirantia leguntur, [3]) et quae Sig. ibid. Cap. XI. affert:

„De rebus Ecclesiae traditis, et de libertate ipsius loci charta conscripta imperiali (?) erat dicto confirmata et anuli impressione imperialis (?) auctorizata, quae auctorizatio facta est solemniter Leodii XII. Calend. Octob. anno dom. inc. nongentesimo quadragesimo sexto, indictione IV., regni domini Ottonis primi anno undecimo, cathedram Trajectensis ecclesiae regente Uhogone."

diplomatis illius signa esse non sine causa plures contenderunt. [4]) — Tertia est editio diplomatis in Miraei Diplom.

---

1) quidquid Germaniensium sub Imperii (?) nostri ditione Dei nutu a venerabilibus ac Dei timoratis agitur viris, ratum ducimus nostris corroborari assertionibus scil. nostra firmitate ac defensione valeant contra infestantium incursus tueri. Quapropter agnoscat etc.

2) Sic de Guiberto post: recedens: Mir. pag. 101. lin. 3. „contemnens transitoria, ut commutaret aeterna;" post lin. 4. „vertit se ad monasticae regulam vitae: „sincero mentis affectu, cogitans, qualiter a semet ipso, prout possibilitas sibi adesset, Deificae Majestatis augmentaretur famulatus;" lin. 6. ante: nepotem suum Wibertum „carissimum" post: villam Bufiols dictam lin. 11. „cum appendiciis suis.

3) scil. Cap. V. pag. 303 dictum de Gisla: Ideo — nepoti suo; Cap. VI. Adhaec omnia — opportunus et unanimis. Cap. X. et quicquid — concessum.

4) cf. Mabill. V. pag. 300 quamvis in textu Chron. Sig. Mir. diploma

Belgic. (Bruxellis 1628. 4.) libro I. Cap. XVIII. (repetita in Opp. diplom. omn. ed. Foppens I. 139.) [1]) — in qua, textu libelli de gestis Abb. substrato, cuique fere dicto plurima sunt interposita, veluti nomina hominum, [2]) praediorum, recensiones donationum largissimarum, [3]) immunitatum et privilegiorum concedendorum, [4]) quae partim loco, quo inveniuntur, non apto, partim rerum natura et moribus aetatis falsa esse convincuntur et maximam partem vel e Sig. in Vita et libello dictis vel e diplomate Benedicti VII. iniquo modo compilata esse apparent. [5]) Monstrum illud falsitatis editor „e

---

idem anno 948. perperam ponatur, quo Ugo Episcopus Trajectensis jam obierat.

1) Inde Böhmer: Regesta Nr. 142. illud recepit (addito die 20. Sept. 946. haud dubie sec. Vitam) cf. Köpke: Otto I. pag. 68. Not. 1.

2) sic post verba: ap. Mir. Not. l. c. lin. 12: quidquid ipse jure tenuit: pag. 139 dext. lin. 17. „vel hi, quos propriis hic notare studuimus nominibus, Rothbertus videlicet, Angerus, Fulcoldus, Immo, Hericindis praeter dimidium mansum, quod sorori suae pro salute contulit animae suae."

3) Sic post Curceles ap. Mir. Not. lin. 20. „mansumque unum ad curtem Romenei dictam, villamque Molins vocitatam silvamque Boisotgis vocitatam, et villam Ailant et Vrei et mansum unum in villa Ailant.

4) post concessum: lin. 16. ap. Mir. pag. 102 ut nullus fidelium — consistit ditione. l. c. pag. 140. dext. — pag. 141. laev. sup.

5) Sic pag. 140. dext. lin. 12. post illud: Siquidem et in hoc habuit doctorem: „et patronum quendam" e Vitae Cap. VI. ap. Mab. pag. 304. lin. 1.; sic post illud lin. 13. pag. 102. ap. Mir. regendum: pag. 140. dext. lin. 20. „illi potius se quam sibimet ipsi credens e Vitae Cap. IX. pag. 306. lin. 11—12; post: concessum (Not. 4.) ut nullus fidelium — permaneat e Vitae Cap. X. pag. 307. lin. 19. 20. 22. 23; lin. 32 pag. 140. dext. Habeant — defensione amplif. e Vitae Cap. X. pag. 307. lin. 23. 24; ibid. lin. 42. nullusque — onere et pag. 141. lin. 10. nec in civitate — oratione amplific. e Vitae Cap. X. pag. 307. lin. 25—28; pag. 140. laev. lin. 30. Gisla — quandam terrae partem e notitia donat. Gislae in libello pag. 761. dext. lin. 30—36; pag. 140. dext. lin. 46. nec quovis modo — propriae sedis amplific. e diplom. Benedicti VII. (de quo infra) ap. Mab. pag. 300.

manuscripto catalogo Abbatum Gemblacensium, quem Sigibertus Gemblacensis conscripsit" desumpsisse testatur; quod vero ex eodem hoc catalogo diploma etiam subsequens [1]) quo scilicet „Fulcqvinus, vir potens villam pagi Bracbatensis, Dorp nuncupatam monasterio Gemblacensi dat. circa an. 950" (et ipsum amplificata editio diplomatis, quod in Cap. LVII. Notit. eccl. belg. exstat) desumptum esse tradit, illum non Sigiberti esse patet, sed utrumque potius e seriori libello de rebus Gemblacensibus Sigib. nomen prae se ferente sumtum fuisse facile conjici potest.[2]) Lambeccius et Kollarius Ottonis diploma in Codice illo Ambrasiano aeque depravate legi docent.[3])

2. Aliud est diploma Ottonis I., quo is cum electione Guiberti et Abbatis Lamberto Comiti Lovaniensi — certis condicionibus adjectis — advocatiam Abbatiae confert eodem modo in Cap. LVI. Notitiae eccl. Belgii [4]) et in libello Sigiberti [5]) his signis:

Acta sunt haec an. DCCCCXLVIII. Indict. XII. (?) anno Imperii (?) nostri XIII. in oppido Franconefort mense Junio, in martyrio Petri et Pauli:

editum. — Idem in ejusdem Miraei Codice donationum piarum (Bruxellis 1624. 4.) Cap. XXXII. (in Opp. dipl. omn. I. 41) tam absurde atque inepte interpolatum legitur, ut hujus quidem falsitatem demonstrare lectorum esset peritorum patientiam tentare et exhaurire velle.[6])

---

1) l. v. pag. 141. 142. e Dipl. Belg. lib. I. Cap. XIX.

2) vide supra pag. 261. Not. 2. — Diploma Wolbodonis Episc. Leod. pro Gemblac. in Libello pag. 764—765, „e libro de gestis Abb. Gembl." in Diplom. Belg. Nova Collectione Cap. XI. (ed. Foppens Tom. III. pag. 12—13) integre editum, in univ. cum illo consentiens, lectiones quasdam textu d'Acherii meliores affert.

3) scil. eodem modo „quo in Miraei Diplomat. Belgic. libro I. Cap. XVII." (ap. Fopp. XVIII.) — incipiens: Quicquid etc. cf. pag. 898. 901. Koll. 921.

4) l. c. pag. 102—103.

5) pag. 761. ap. Boehmerum omissum.

6) Sufficiat, subscriptionem hoc loco attulisse: Acta sunt haec anno Inc. Dom. 948. Ind. XII. anno Imp. nostri XII. sub Pontificatu Domni

3. Bullam Benedicti VII. Papae, qua is monachis privilegium liberae electionis Abbatis ex propria sua congregatione concedit, monasterium, ab omni alia jurisdictione exemtum, sub suam recipit neve Episcopus in eodem quamlibet auctoritatem, nisi licentiam benedicendi habeat prohibet, Sigibertus haud dubie in libellum suum recepit [1]) et Lambeccius e codice illo Ambrasiano edidit, [2]) unde apud Mabillonium repetita legitur. [3]) Signa fert talia:

Scriptum per manum Bonifacii Notarii, regionarii ac scriniarii sanctae Romanae Ecclesiae in mense Martio Ind. XI. Bene valete. Datum VIII. Cal. April. per manus Stephani Episcopi ac Bibliothecarii Sanctae Sedis Apostolicae, anno Pontificatus domini nostri Benedicti sanctissimi septimi Papae IX., imperante domino nostro Ottone a Deo coronato, magno ac pacifico Imperatore anno XVI, in mense ac Indictione quibus supra.

His nullum alium annum, nisi 983, in quem Ind. XI. incidebat, et in cujus mense Martio agebatur XVI. annus imperii Ottonis (scil. II. die 25. Dec. 967. coronati) nonus Benedicti VII. indicari dubium non esse potest; Sigibertum vero fortasse anno illo XVI. Ottonis sive Ind. XI. deceptum hunc annum 953 existimasse, non solum ex loco editionis Surianae, [4]) sed clarius etiam ex eo intelligitur,

---

Benedicti (! vid. ad 3.) Papae qui *rogatus a nobis* huic nostrae auctoritati suam quoque auctoritatem superaddidit (!!!) interdicens sub indissolubili anathematis vinculo ne unquam hujus constitutionis charta violetur vel infringatur ab aliquo.

1) cum pag. 760. chartas (et Imperial. et Apostolicae manus) inserere in animo haberet, solum in Codice d'Acherii bulla Benedicti defuisse videatur.

2) l. c. II. 901.

3) l. c. pag. 300. Kollar. l. c. pag. 922. Edidit etiam Miraeus in Donat. Belg. (Antverp. 1629. 4.) lib. II. Cap. XX. (ap. Foppens I. 507.) ex historia ms. Edmundi Dintheri. Ibi Abbas ipso nomine *Erlvinus* vocatur.

4) Ibi quidem Cap. XI. in quo Sig. bullam excerpsit et signa subscriptionis repetiit post: anno XVI.; additum invenitur „qui est annus dom. 953." — quod etsi Lambeccius in 983 correxit (pag. 903—904) id quidem recte, tamen non e genio auctoris factum esse jam Ma-

quod bullae in Vita Guiberti mentionem fecit, et in Vita Hungarorum incursionem (in Chron. 955) in libello Erlvini excaecationem (958) post illam collocavit.

Hoc vitio ex interna operum ejus ratione explicato, vix absonum videbitur contendere, etiam notitiam, quae solum in textu Miraei ad an. 946. reperitur „*Benedictum CXXXIII.*" fuisse Papam, licet falsissimam, ab ipso Sigiberto Chronico suo insertam fuisse, praesertim cum Sigiberti textus — ut statim ab initio Chronici in numeris Paparum referendis,[1]) tum a Leone VII. (quem textus vet. num. 127. Mir. 130. uterque ad an. 936. annotat) in ipsis nominibus indicandis magnopere inter se differant, ex his tamen Miraeanus quamvis ingenti laborans confusione, ad Sigiberti studia et auctoritatem propius accedere videatur. Est vero talis:

946. Benedictus 133.
959. Joannes 134.
963. Leo (135?) Benedictus scil. uterque numero non insignitus.[2])
967. Joannes 136.
973. Stephanus 137.
981. Stephanus 138.
989. Marinus 139.
(995 Gerbertus 140).
998 Agapetus 141.
1001. Octavianus 142.
1009. Leo 143.
1017. Benedictus 144.
1025. Joannes 145.

Continetur quidem non fictis, sed potius mutilo turbatoque ordine compositis nominibus: idque adeo, ut is anno 959. in Joanne quasi X. (134) exordium sumat, et Leone et Joanne ad an. 963. et 967. pro Leone VI. et Joanne XI. positis, deinde 973. post Stephanum (VII.) Joanne XI. et

---

billonius, pag. 308 n. observavit. In editione Henschenii Cap. II. 13. in fine l. c. pag. 263. additamentum hoc plane omittitur.

1) vide supra.

2) Benedictum Sigibertus pro ratione sua politica haud dubie non inter papas legitimos duxit.

Leone VII. omissis, per Stephanum (VIII.), Marinum (III.), Agapetum (II.), (Joannem) Octavianum (XII.), Leonem (VIII.) Benedictum, Joannem (XIII.) pergat, atque hoc errore intra annos 959 et 1025 eos fere pontifices collocet, quos intra annos 914 et 965 sedem tenuisse notissimum est.

Ad quod peccatum, qua auctoritate deductus sit, lateret, nisi ap. Florentium Wigorniensem haec tabula Pontificum reperiretur:

946. Agapitus 131. Papa.
957. Johannes Papa 132. de regione Violata ex Albrico patre principe Romano.
966. Joannes Papa 133.
973. Stephanus Papa 134.
981. Stephanus Papa 135.
989. Marinus Papa 136.
998. Agapetus 137 papa.
1003. Octavianus 138 Papa.
1009. Leo 139 Papa.
1017. Benedictus 140 Papa.
1024. Benedictus Papa obiit.
Joannes 141.

eadem igitur vitia, idemque falsus ordo te offenderent, atque inde observationi nostrae hos esse locos non ipsius Florentii sed Mariani atque e Mariano in Sigib. translatos esse nova et major quaedam accederet confirmatio. Nam ut perperam subducta bullae ratio Benedictum vindicat Sigiberto, sic dictum ejus [1]) „quosdam transito Sylvestro, Agapitum Papam hoc in loco ponere" hunc et illi et Mariano antecessori vindicare videtur.

Jam si Marianum cum Sigiberto attente contuleris, exemplum, quamvis exiguum habebis, ex quo, qui progressus, qui lapsus atque errores historicorum illius aetatis sint, rectius dijudices Marianus catalogi ejus propria hac negligentia laborantis, ut iidem papae turbato ordine iterum describerentur, auctor est; — Sigibertum ipsa major ejus eruditio et exercitatior in rebus enucleandis ars tutum non praestitit, quin in lubricam hanc

1) Mir. ad an. 995. text. vet. ad an. 998. cf. etiam Mir. ad an. 1001.

antecessoris viam abriperetur. Mire inter rectum et falsum fluctuat et vacillat; quamvis enim ad an. 900. 903 904. 963. tam accuratam rerum pontificalium notitiam afferat, omittit Stephanum VIII.,[1]) quem ipse Marianus offerebat.[2]) Benedicto e bullae Gemblacensis falsa ratiocinatione ad an. 946. addito eodem Mariano deterior; non abstinuit, quin Gerbertum reciperet, tamen divulgatis de insigni hoc viro fabulis locum in Chronico non recusat,[3]) quin etiam ad an. 1025. locum Petri Damiani in Vita Odilonis ita confundit, ut Joannis (XIX.) fratrem quem testis ille[4]) cum nonnullis aliis consentiens[5]) „Benedictum Papam" (modo defunctum scil. VIII.) perhibet „Stephanum Papam modo defunctum" Joannem vero ipsum „Portuensem Episcopum" nominet, cum in Petri narratione Joannes Ep. Portuensis a Papa illo diversus nuncupetur. —

Hoc vero non officit, quominus eum, cum hoc modo a vero aberrare videas, venia dignum existimes; cum arte critica nulla ex parte adhuc culta fontium singulorum pretium non satis ponderare posset, deinde tecum cogites velim, decimo illo saeculo pontificalem sedem tumultibus civilibus, atque omnis generis pravitatibus ita dehonestatam ejusque gloriam ita obscuratam fuisse, ut aequales Gesta plurium, qui eam tenuerunt, vix digna censuisse videantur, quae memoriae posteritatis traderentur, quo factum sit, ut ipsa singulorum nomina dubia fierent, denique Sigibertum (an. 995.) ipsum, quasi vitiorum sibi suorum conscium lectores ro-

1) scil. in textu Miraei. de quo solo hic sermo est.

2) vide Florent. Wigorn. ad an. 939. *Stephanus* 129 *Papa.*

3) cf. ad an. 995. Fabulis istis non longius immoramur, quia Hock, et Sigiberti respectu habito, de iis egit. Pabst Sylvester pag. 161. pag. 228—229.

4) loco supra cit. pag. 198—199. vide text. vet. ad an. 1024 et 1025.

5) cf. Glabr. Rodulf. IV. 1. Baronium cum critice Pagii XVI. pag. 540. 541—42.

gavisse „ut et hic et alibi, si qua dissonantia eos offenderit, de nominibus vel annis vel temporibus Paparum non sibi imputarent, qui non visa, sed audita vel lecta scripsisset." — Porro, cum quae a Mariano et Sigiberto peccata essent, continuatores eorum et interpolatores pro viribus suis emendare studuerint,[1]) factum est, ut praesertim cum ad hunc usque diem utriusque textus interpolatus potius quam genuinus in manibus virorum doctorum versetur, verus rerum status ampliori explicatione indigeat. — His omnibus effici puto, ut neminem mirum habeat, quod rationem illam Papas a Petro numerandi, qualis apud Miraeum invenitur, Sigiberto tribuendam esse statuamus; nam et in Florentio, atque ideo in Mariano genuino est Damasus Papa 36, isque eodem cum Sigiberto Miraeano ordine usque ad Eugenium (824) progreditur, in quo cum Miraeus secundum codd. Gembl. Aquic. et Ortel. pro 98 ponat 100 duobus numeris differt uter catalogus; Sig. Stephano VIII. omisso, uno numero ad Florentium propius accedit; addito vero Benedicto iterum duobus eum superat, qui Leone (VIII.) 135 et Gerberto 140 adnumeratis, in Joanne (XIX.) ad *quatuor* augentur;[2]) cum vero Sig. Benedictum (IX.) ad an. 1046. nullo numero insigniat, in Suidgero Clemente numerus adhuc tribus distat (ap. Flor. 143 ap. S. ed. M. 146.) Inde ap. Sig. Hildebrandus est 153, ap. Flor. (etsi numero non apposito) 150.

Postremo loco, et quas de rebus Gemblacensibus in Chronico suo notitias Sigibertus atque ejus continuatores Gemblacenses protulerint, et quae in iis sit textuum diversitas et qua in re a Vita S. Guiberti et Libello differant, accuratius ac seorsim spectemus.

---

1) Quod quomodo continuatori Sigiberti cesserit, videas in appendice.
2) ap. Mir. Sig. 1024. 145 ap. Flor. 1024. 141.

Leguntur igitur.

1. in textu editionis principis et in textu Miraei.	2. in textu Miraei litteris majusculis (e Cod. Gembl.) manu vetusta.	3. In textu Miraei litteris minusculis (e Cod. Gembl. manu, ut Mir. visum est, recentiori)
921. Hoc tempore clarebat inter nobiles Lotharingiae sanctus .	pater noster	
Guicbertus, qui	nostrum	
Gemmelacense	scilicet	
coenobium fundavit, qui divitiis, nobilitate et potentia clarus, cingulum mundanae militiae deponens, cingulo sanctae religionis in monachico habitu se accinxit.		
	948. Immunitas nostrae, Gemmelacensis scilicet, ecclesiae hoc anno imperiali confirmatur edicto, et annuli impressione corroboratur. Erlvinus primus ejus loci Abbas a sancto patre nostro Guicberto electus in sanctitate et religionis fervore claret.	
	954. Immunitas nostrae, Gemmelacensis scilicet ecclesiae etiam Apostolica auctoritate a Benedicto Papa corroboratur, anno septimo pontificii ejus.	
	958. Erlvinus primus Abbas Gemmelacensis	a quibusdam contrariis sanctae religioni

	lumine oculorum privatur.	
962. Sanctus .... Guicbertus, fundator . Gemmelacensis ..... coenobii apud Gorziam ubi Deo militabat, propter amorem ferventis ibi sanctae religionis, in Christo dormivit	pater noster nostri scilicet et qui omnia reliquerat, centuplum et vitam aeternam recepit.	
Corpus ejus relatum est ad coenobium Gemblacense. (in edit. princ. et vide rubr. 3.)		Corpus vero — Gemblacense (vide rubr. 1
987. Erlvinus, primus Gemmelacensis .... Abbas .... moritur.	nostri scilicet coenobii longo in longa caecitate martyrio cruciatus	Succedit Heriwardus. 991. Obiit Heriwardus, Abbas Gemmelacensis, succedit Erlvinus minor. 1012. Erlvinus junior Abbas Gemmelacensis obiit.
1012. Olbertus ... Gemmelacensis .... ecclesiae ordinatur abbas, vir moribus religione, gemina scientia, bonis doctisque viris aut conferendus aut praeferendus. (1014. Baldricus episcopus in insula Leodicensi coenobium sancti	nostrae scilicet	

Jacobi Apostoli fundavit)	ubi Olbertus Abbas primus praefuit.	
1048 (obiit) Olbertus sanctae memoriae Abbas Gemmelacensis.		1048. Olberto Abbati Gemblacensi succedit Mysac.
		1072. Obiit Mysac Abbas Gemblacensis, succedit Tietmarus.
		1092. Obiit Tietmarus, Abbas Gemmelacensis, succedit Lietardus.
		1099. Sanctus Guicbertus in coenobio Gemmelacensi a se fundato ad sepulcrum suum magnis clarescit miraculis.
1110. Sanctus Guicbertus, fundator Gemmelacensis coenobii . .	ubi et sepultus requiescit,	
quem Deus multis . .	et magnis miraculorum signis	
miraculis per annos XII.	longe lateque	
clarificaverat	auctoritate venerabilis Frederici Coloniensium Archiepiscopi et	
assensu generalis synodi		
a	Domino	
Obberto Legiensi episcopo elevatur	Quae elevatio innumerabili	
(cum mirabili concursu et gaudio populorum)	concursu et mirabili gaudio populorum celebrata est IX. Cal. Octobris.	

Quae ex hac tabula quaestio necessario oritur, utrum Gemblacenses continuatores Sigiberto has notitias rubricae 2. et 3. addidisse cogitandi sint, an Continuator text. vet. eas, quasi Chronico minus congruas, expunxerit, eam jam patet codicum de-

mum auctoritate decerni posse.[1]) Monere mihi liceat, Sig. quippe quem semper gravissima tantum in Chronicon suum universale recepisse viderimus, fortasse illa „nostri scilicet," quibus cum ejus consilio nihil commune esset, non addidisse, sed haec Anselmum potius vel alium Gemblacensem redolere. De locorum horum auctoritate, quo rectius judicetur, sufficiat annotasse, annos 921 et 962 respondere notitiae sermonis de elevatione, S. Guibertum quadraginta fere annis in bonorum operum exercitio consummatis a. 962. defunctum esse;[2]) locum anni 1110 jam in textu veteri, magis etiam in textu Miraei cum narratione Sermonis de elevatione concinere,[3]) eique locum textus Miraei (rubr. 13.) ad an. 1099. congruere. Locum ad an. 948. de Ottonis diplomate duobus annis discrepare a signis in Vita S. Guiberti allatis jam alii annotarunt;[4]) etiam locus anni 954. vitio quidem Sigib. fere concinens, septimum fuisse annum Benedicti, quo is bullam emisit, tradit, cum Sig. an. 953. et nonum Benedicti (sicut et bulla in aliis editionibus) afferant.[5]) Magis mirandum, et annum 987. obitus Erlvini a Sigiberto ipso annotatum (rubr. 1.) et omnes abbatum Gemblacensium annos in rubrica tertia a libello discrepare; nam statuto primo anno Olberti 1011. sive 1012., ejusque ultimo 1048, quos dicta libelli et Chron. cum Anselmo Leod. collata confirmare videntur [6]) e libelli dictis Erlvini I. obitum non in anno

1) Descriptorum testimonia, quae infra in Append. perlustrabimus, in his locis probabiliter non sufficere videntur.

2) Acta Sanct. Maji V. pag. 265. Mabillon. Ann. Bened. III. pag. 375.

3) cf. l. c. Cap. 4. ea quae in textu Lambecciano non sunt edita.

4) vide supra pag. 267. n. 4. Miraeus inde ipsum diploma in an. 948. posuit. cf. Lambecc. Kollar. l. c. Mabillon. pag. 307. n. b.

5) cf. Vitam S. Guib. l. c. pag. 308. bullam e Lambeccio ibid. pag. 301. supra pag. 270. — Locus rubr. 2. et 3. ad an. 958. concinit cum Libello pag. 762.

6) Sig. in libello pag. 764. laev. eum undecimo Cal. Oct. 1012. consecratum, pag. 767. laev. obiisse II. Idus Julias, 1048, postquam Gemblacensi ecclesiae *per annos triginta septem* praefuerit, docet.

987, sed in 985 sive 986, Heriwardi non in 991, sed in an. 988. sive 989, Mysacis non in 1072, sed in 1076, Thietmari non in 1092, sed in 1099 inciderit, necesse est;[1]) cum vero in libello Liethardus XXII. anno praelationis suae obiisse dicatur,[2]) mortem vero ejus anno 1113 accidisse pateat,[3]) ibi, nisi vitiis editionum culpa dissensus fontium adscribenda sit, temporum ratio magis pro auctoritate textus Chronici Gemblacensis certare videtur.

4. 5. VITAE SS. THEODARDI ET LANTBERTI, EPISCOPORUM LEODIENSIUM.

His vitis, quas Sigibertum proprio Marte composuisse vidimus, aliae tres accedunt, quas „urbaniori stylo meliorasse" ipse testis est,[4]) SS. Maclovii, Theodardi et Lantberti.

Morem, sanctorum virorum atque de monasterio quodam vel episcopatu bene meritorum vitas repetita opera novis quibusdam gestis vel miraculis additis et superiorum enarratorum erroribus in majus auctis describendi per totum medii aevi spatium adeo invaluisse constat, ut pauci tantum inter sanctos inveniantur, qui non duos biographos nacti sint, plures tribus vel quatuor atque adeo quinque laudatoribus gauderent. Quamobrem mirum non est, si Sig. noster et ad tale quoque scribendi genus inge-

---

Anno (1048) eodem, quo obiit Wazo, Olbertum obiisse docet Anselmus loc. sup. cit. —

1) Nam Erlvinum II. annos plusquam *viginti tres* sub nomine pastoralitatis egisse (pag. 763. dext.) Heriwardum *plus minusve tribus annis* in regimine elapsis (pag. 763. laev.) obiisse, Mysacum *viginti octo annos* in regimine explevisse (pag. 768. laev.), Thietmarum *per annos viginti tres* familiam rexisse (pag. 768. laev.) docet Sigibertus.

2) l. c. pag. 769. laev.

3) ex Anselmi Gembl., qui ipse ejus successor erat, Auct. ad Sig. ad an. 1113. diem II. Non Febr. cum continuatore libelli affert.

4) cf. libr. de s. e. Cap. 171.

nium suum applicaverit, suae aetatis morem secutus ejusque magis quam nostrae gratiam meritus. — Neque tamen negari potest, in repetitis his quoque vitarum descriptionibus, praesertim si cum fontibus et vitis vetustioribus conferantur, non pauca inveniri, quae nova accedant et alibi non legantur, atque etiamsi nihil nobis novi afferrent, jam ob auctorem dignae essent, quae nunc etiam paullo diligentius inspiciantur atque examinentur. —

Atque re vera nostrum — quod non in laudium ejus accumulationem dictum accipi volumus sed pluribus hagiographorum opusculis accuratius pervolutis sincere affirmamus — in hoc quoque scribendi genere non vulgare quiddam adspiravisse invenimus, quippe qui, non satis habens ea, quae apud priores et aequales biographos legerentur limatioribus ac minus fucatis verbis repetiisse fontibus quoque totum rerum ea aetate, qua sanctus vixit, gestarum ambitum complectentibus studium adhibuerit, atque rerum universalium cognitione singulorum viri actorum causas et connexum illustrare studens, — quod pragmaticum historiae conscribendae genus dicunt — exercuisse coeperit.

In quo quantum profecerit Vita S. Theodardi [1]) apertissime demonstrat. Nam haud dubie verisimilitudinis ratio-

---

1) Edita in Surii Vitis Sanctorum probat. Ed. vit. Tom. V. ad diem X. Septembris, ejus emortualem. pag. 164—167. atque in aliis Surii editionibus repetita, deinde e Suriano exemplari, quod in margine lectiones varias e Cod. Ms. Rubeae Vallis descriptas attulit, et adjuvante quodam alio Ms., quod editor ipse, unde acceptum esset, nescivit a Joanne Limpenio in Act. Sanct. Mens. Septbr. III. pag. 593—99. recusa. (cf. Comment. praev. l. c. pag. 581. Nr. 7.) tribus Cap. et 20 §§. distincta, quorum tamen tertium a Nr. 12—20. miracula tantum, quae in corpore modo occiso obtigisse traduntur et historiam translationis corporis a loco martyrii Leodium continet. Mabillonius Vitam in Acta Ord. S. Bened. non recepit. cf. Ind. Praetermiss. ad Saec. II. pag. LXII. — Vitam illam vetustiorem Limpenius l. c. pag. 588—93. edidit (duobus Capp. 18. §§.) quam non

nibus ductus, Theodardum natum esse aetate Chlotharii II.[1]) statuit, atque pueritiam et adolescentiam ejus, qualis fuerit, declaraturus, dum Longobardi Italiam vexarent, Asiamque et Africam modo Persae modo Saraceni incursarent, pacem et religionis fervorem praevaluisse in Galliis, ait, virosque, ibidem insignes laudat atque quae tempore Dagoberti, filii Chlotharii monasteria condita sint in Galliae Belgicae finibus ampla fontium cognitione adjutus, exponit:[2]) deinde, tacto jam Sigiberti III. regno et miraculi illius, quo illius baptisma insignitum esse ferebatur, repetita mentione, ad monasteria, Stabulense et Malmundariense condita transit,[3]) atque ibi Theodardo, quem S. Remacli discipulum fuisse vetus Vita tradit,[4]) ut primo illorum coenobiorum abbati sive abbatis vicario[5]) locum constituit satis conspicuum, unde rerum ejus

---

multo post Theodardi obitum scriptam fuisse locus prologi (pag. 589. l. c.) „non abhinc multa tempestate extitisse praesulem Theodardum" post episcopatus vero sedem Leodium translatum (quod evenit anno XIII. Huberti) locus Cap. I. Nr. 5. „tunc forte episcopii locum habitum esse Trajecti" docet. cf. Comm. praev. pag. 580 — 81.

1) Qui scilicet re vera ab anno 613 — 628, ex Sigib. dictis in Chronico ab anno 618 — 631. solus praefuit monarchiae Francorum. cf. Comm. praev. Nr. 9. pag. 582.

2) cf. ad Cap. I. Nr. 1. et 2. Harigeri Cap. 48. ap. Chap. pag. 82. cum loco Cap. I. Nr. 2. Johannes etiam Tungrensis — fructificavit. Harigerum cap. 39. pag. 71.; Nr. 3. de Landelino cf. Fulcvinum Cap. I. l. c. pag. 731. de Aldegunde, Waldetrude et Vincentio cf. Balderic. I. 18. ap. le Glay. pag. 35. II. 28. ibid. pag. 237 — 238. etc.

3) cf. Nr. 4. cum loc. Vit. Sigib. et fontibus eorum, pag. 243. Nota 1. citatis.

4) scil. Nr. 5. pag. 589. cf. Hariger. Cap. LI. pag. 87. Anselmi Cap. I. l. c. col. 845.

5) Theodardum non abbatem primum monasteriorum fuisse, docuit Limpenius pag. 583.: eum S. Remacli vicarium fuisse (Sig. Nr. 5. malebat esse, quam vocari abbas) conjecit cum Fisenio satis acute pag. 584 — 85.

secundum veteris vitae vestigia ennarrandarum exordium capiat. — Conjecturis non parcit quae cum interdum certo fundamento destituantur, sicut illud: Theodardum „exemplo et instituto Arnulphi Mettensium, Eligii Noviomensium, Johannis Tungrensium episcopi meliora charismata aemulatum;" horum lateribus adhaerentem, palatinis principibus notum et carum fuisse, ejusque famam jam ad solium regis Dagoberti ascendisse[1]): prorsus rejiciendae sunt, quamquam plurimae earum, licet in historia locum non habeant, mentis tamen aciem quandam aetate illa rarissimam probare videntur. —

Legit in vetusta S. Theodardi Vita, eum, aegre ferentem, quod quidam fundos ecclesiae a patribus suis minus juste obtinuissent, ad regis curiam se vertendi litemque de hac re movendi consilium cepisse, in itinere vero ad pagum Alsatiae provectum, a „praedonum pestifero cuneo" intentatum atque occisum esse;[2]) legit apud Anselmum illum in itinere versatum, *ab ipsis suae ecclesiae praedonibus* ex improviso undique vallatum atque trucidatum esse,"[3]) ex quorum indiciis, notitia quadam rerum Francicarum et Trajectensium illius aetatis adjutus, hanc narrationem composuit. Injuria temporum morumque depravatione et intestinorum bellorum consuetudine, quae cum undique omnia a bellis externis jam secura essent, in regnum Francorum ingruerit, factum esse, ut bona ecclesiae a domesticis hostibus et iniquis raptoribus auferrentur;[4]) statum singularem Trajectensis Ecclesiae, quippe cujus episcopus Amandus irruentibus undique in ecclesiae navim tempestatum procellis jam post triennium episcopatu relicto in portum optatae quietis se receperit, cujus vices postea Landoaldus archipresbyter pontificali jure non praeditus, ideoque rebus ecclesiae sustentandis impar, novem an-

1) cf. Limpen. l. c. pag. 582—583.
2) cf. Cap. I, Nr. 8. l. c. pag. 589—90.
3) cf. Cap. I. l. c. col. 845.
4) l. c. Cap. II. Nr. 7. et 8. pag. 595—596.

nos gesserit, raptoribus fuisse opportunum. Ipsum Remaclum non potuisse „tendere brachia contra torrentem innundantium malorum;" Theodardum quidem, qui triginta jam annis praeterlapsis res restaurare in se susceperit, Sigiberti regis religiosissimi favorem adhuc tutatum esse, quo defuncto, regnum ad Childericum, Clodovei (II, regis Neustriae) filium translatum malitiae et injustitiae plenum fuisse, neque quidquam Theodardo, tot malis vexatissimo, reliquum fuisse, nisi ut regem ipsum adiret, in itinere vero ab inimicis illis, qui se in nullo justitia adjuvari posse intelligebant „si de praesumptis rebus ecclesiae coram palatinis ageretur controversia," occisum esse. [1]) Singulas res, vicissitudines regum et episcoporum, turbulentam condicionem regni recte, ad auctoritatem certe fontium enarratas esse, liquet; [2]) connexio tamen, qua rebus Theodardi singu-

---

1) l. c. Nr. 8. 9. 10. pag. 596. De loco martyrii vide Comment. praev. Nr. 27. 28. pag. 587.

2) cf. cum loco de Amandi episcopatu praeter loc. sup. pag. 243. Nota 1. citatos, Baudemundi Vitam Cap. XVII. l. c. pag. 716. cf. Hariger. Cap. 43. et 49. — Landoaldum per novem annos vices gessisse Notgerus in vita ejus (de qua infra) tradit. — Remaclum tamen: quia non posset brachia tendere contra torrentem inundantium malorum episcopatu se abdicasse, non a biographis ejus traditur. cf. contra Notgeri Vitam ap. Sur. Tom. V. pag. 25. Harigeri Gesta. cap. 57. et 58. itaque a Sigib. ex analogia desumtum esse videtur.

Sig. ordinem chronologicum episcoporum Trajectensium ex fontium locis in Chronico ita ordinavit, ut Amando (ad an. 633.) statim post baptizatum Sigibertum episcopatum traditum esse scriberet, atque ei tribus, Landoaldo novem annis adscriptis Remaclum an. 646. vel sicut Cointius Annal. III. 223. conjecit anno 645, Dagoberto ex Sig. ratione adhuc regnante. (cf. Theodardi Vit. Cap. I. Nr. 5. pag. 594.) successisse contendit, Remaclum porro, vivente adhuc Sigiberto, muneri renunciasse ex Harigeri Cap. 57. coll. cum Cap. 59. comperiens anno 651. illud annotavit. — Quantopere vero in annis regum erret, collata Nota 4. pag. 249. patebit. — Limpenius igitur et hanc ob causam, et ob injuriosa dicta in antecessores Theodardi eum valde, neque plane immerito insectatus est. l. c. pag. 596—597.

laribus communem regni et episcopatus condicionem substernit, aeque vituperanda est, atque in auctore saeculi undecimi admiranda. Jam ad recentioris artis historicae, quae et ipsa haud raro antiquitatis historiam, in fragmentis tantum nobis traditam, pragmatico quodam connexu similiter illustrare non recusat, terminos pervenisse videmur; cur igitur, si unum ex recentioribus, haec vel similia elucubrantem, multorum, qui liquidam rerum enarrationem criticae distinctioni singulorum fontium praeferunt, applausus effugere non potest, in monacho illud res digerendi studium mentione plane indignum habeamus.

Ut de orationis genere, cui inprimis emendandae operam dedit, dicam, negari non potest, plura quae in Vita vetusta inconcinne vel putide dicta essent, elegantius ab eo expressa esse, ac quamvis multa de hagiographorum illorum more supra modum extulerit, haud raro tamen acumine et sensu quodam pulchri excellere videtur. Nam cum vitae vetustae auctor, saepius phrasibus e poetis latinis petitis inhaerens,[1]) eo insipientiae pervenerit, ut praedones illos, Theodardum aggressos, spretis sancti viri precibus, verba Horatii, „Mors" solummodo „quae turres regum et tabernas pauperum aequo pulsat pede" tibi prae manibus instat: exclamasse tradat, Sigibertus quamvis Horatii carminum admirator haec verba, quibus alio loco ipse usus est,[2]) hoc loco omisit.

Eandem rationem eum in rescribenda Vita S. Lantberti, S. Theodardi successoris tenuisse apparet, cujus tamen viri vitae exponendae, quo ipsius major esset auctoritas et plurium jam studia occupasset, eo majorem operam impertiisse videtur.

Ipse eam „cum jam urbane meliorasset, rogatu Henrici

1) Dicta Virgilii saepe usurpavit vide Prologum l. c. pag. 588. cum Nota a; Cap. II. cum Nota a Limpenii.

2) vide supra pag. 239 et ibid. Cap. II. Nr. 10. de Theodardo: Vir sanctus justi propositi tenax."

Archidiaconi et Decani S. Lantberti deflorasse antiquorum comparationibus juxta consequentiam rerum" dicit, atque candide confitetur „priorem, utpote simplicem quosdam magis amplecti, et curiosius transscribere; esse enim sensu apertiorem, et verbis clariorem." [1]) — Utramque nunc inter se conferre harum rerum curiosis licet; cum jam Constantinus Suyskenus Vitam, quam Chapeaville [2]) sub nomine Reneri, S. Laurentii Leod. monachi ediderat, [3]) primam, hanc quam ipse in Actis SS. Septbr. Tom. V. excudendam curavit, [4]) et quam exemplaris manuscripti [5]) titulus Sigiberti esse docuit, secundam esse rectissime contenderit. Ea enim quae in utraque proferuntur, ab initio usque ad finem ad verbum consentiunt; secunda tamen sola multis parabolis, e sacra

---

1) Liber de vir. illustr. Cap. 171. Miraeus etiam inter Sig. opera Gembl. Ms. exstantia annotat „Libri duo, alter simplici stilo, floridiore alter. De vita et passione S. Lamberti, Episcopi Leodiensis:" annotat etiam „librum de Translatione ejusdem" in quo vero haud dubie non alia, ac in Vitae Cap. V. sive a §. 52. (Acta loc. infr. cit. pag. 600.) sive a §. 58. (pag. 601.) enarrantur. (cf. notit. Cod. Oxon. Orvill. X. 1. 5. 4. ap. Pertz Archiv VII. 93.)

2) l. c. I. 411—434. capp. XXVIII. e duobus codd. Ms. altero Laurentii Leod. altero Cruciferorum conventus Leod.

3) Deceptus sive falsa codicum inscriptione, sive notitia Molani et Baronii, Renerum vitam S. Lantberti scripsisse, cum tamen is tantum quinque libellorum opusculo (S. Lantberti) Triumphale Bullonicum, sua aetate (scil. an. 1141. cf. Auctar. Gemblac. Sig. ap. Mir. pag. 202. Acta Sanct. Septbr. V. pag. 557.) peractum, scripsisse ipse memoret cf. libell. de script. monasterii sui claris II. 9. ap. Pez. Thesaur. anecdot. Tom. IV. Part. 3. col. 42. Acta l. c. pag. 520)

4) Capp. V. §§. 63. l. c. pag. 589—601. Surius jam in Vitarum Sanct. Ed. prim. Tom. V. pag. 267—271. Stephani Vita edita „Appendicem ad Vitam S. Lantberti, ex quodam ms. exemplari collectam" adnectit, qua nihil nisi excerpta e Sigiberti Vita contineri perspicuum est. —

5) e collegio Soc. Jesu Lovaniensi, cujus prima pars e secunda parte Hagiologii Brabantini, coll. cum Mscr. Rubeae-Vallis, altera ex eodem Mscr. R. V. descripta erat. cf. loc. cit. pag. 520.

atque profana historia petitis, impleta est. Modo Lantbertum et Landoaldum ejus praeceptorem cum Helisaeo et Helia, cum Aarone et Moyse[1]) modo Lantbertum et Theodardum cum Josue et Moyse comparat,[2]) modo Lantberti juventutem cum fabulis, quae (apud Josephum) de pueritia et juvenili aetate Moysis traduntur,[3]) viros Lantberto aequales, et in regno Childerici et Theoderici magni aestimatos cum triginta sex fortibus regis Davidis componit[4]) Lantberti regnum episcopale pluribus locis Davidis regno,[5]) Faramundum ejus invasorem Absaloni aequiparat;[6]) Lantbertum Taxandros ad Christianam fidem convertisse referens orationem quandam historiae sacrae epitomen continentem atque summam fidei Christianae exponentem, quasi ab illo coram paganorum concione habitam inserit;[7]) miraculum, quo nocte ea, qua S. Lantbertus martyrium subiit, super domum ejus fulgida crux apparuit, narraturus, crucem Constantino visam in memoriam revocat,[8]) atque simile quoddam de Benedicto secundum Gregorium Magnum enarrat.[9]) — Dubium

1) Cap. I. Nr. 3. pag. 589. Requievit — in mundo. Cap. I. Nr. 5. pag. 590. Renovatur — sanctificaverunt.

2) Nr. 7. Hic videor — fieri.

3) cf. Nr. 9. Quis jam miretur — elegit e Josephi Antiqq. Jud. a Rufino Aquilejensi in Latinum translatis (Basil. 1524.) II. 9. 10.

4) Cap. II. Nr. 16. Hi aliique — Deo debellans. cf. Josephi Antiqq. VII. 12. l. c. pag. 209.

5) Cap. II. Nr. 12. Quam unanimis — princeps super nos. III. Nr. 26. pag. 594. Et ut David — extendebat.

6) Cap. II. Nr. 19. Habebat — committens; 25. Punito divinitus — in regnum.

7) Cap. III. Nr. 27. Ut vos, inquit, fratres — 31. in fine: angelicam provecti gloriam (cum Chapeavill. Cap. XIV. pag. 421. Aliquando confirmari) — Stephanus in Vitam suam. Acta pag. 586—587 (de qua infra) jam similem orationem receperat.

8) cf. Nr. 48. Primo Constantino — parari.

9) ibid. Dilecto — ascendit e Greg. M. Dialogo. II. 37.; confert etiam ibi Lantbertum iterum cum Helia; Lantbertus — Christo, cf. porro

quidem non potest esse, quin haec ratio rerum status personarumque eventus ejus modi parabolis e medio saepe arreptis declarandi jejuna per se ac frigida sit; attamen non injucundum est, quid loco et munere illustris Sigiberti patronus illa aetate in vita viri sancti requireret, et quid noster, illi obsecutus, tanquam judicium suum et aetatis opinionem de hoc studiorum genere confessus sit, hac occasione plenius cognoscere.

Cum Sigibertus Vitam S. Lantberti denuo edendam in se suscipere, plures eidem rei operam navarant; veluti Godechalcus, qui eam praecipue e testimoniis eorum, qui Lantberto ipsi aequales affuerunt, conscripsisse videtur,[1]) Poeta quidam

---

parabolas Cap. I. Nr. 11. Talis apparuit — patrum suorum. Nr. 22. Filii Israel — positam fuisse; et si qui pertaesi — effugerent, 23. Lantbertus — adiit. De quibusdam aliis vide infra.

Copiam rerum enarratarum parcissime tantum in altera Vita auxit, scil. Lantbertum S. Remacli in baptismate filium fuisse (Cap. I. Nr. 1. et bonis — filius); notitiam addens de ordine senatorio quem Aper. Lantberti pater in regno Francorum tenuit (Cap. I. Nr. 1. Pater — excellebat); pauca verba Nr. 2. de regibus Dagoberto (regnans in Neustria) et Sigiberto (adhuc puero). Nr. 6. miraculum a puero Lantberto peractum (de cujus fonte vide infra) cum parabola adnexa (Et ille — superaverit); quod de his Dodonis satellitibus qui crucem supra domum Lantberti refulgentem vidissent, in prima vita (l. c. Cap. XX. pag. 428.) „*se credere*" tanquam per conjecturam dixerat, in altera (l. c. Cap. IV. Nr. 47.) fusius explicaturus „*constare*" dicit; quae miracula apud sepulcrum S. Lantberti in incursu Normannorum evenerint, (Nr. 62. Post decessum — abstulissent) adnectit, atque pauca in explicandum genus scribendi Godeschalci verba inserit (quam licet — scripsit).

1) cf. Godeschalci Vitam in Actis Sanct. Cap. I. Nr. 6. pag. 575. Sigib. in Vita (ap. Acta V. Nr. 63. pag. 601.) eum diaconum, Pipino tertio et Carolo M. aequalem jussu Agilfridi Ep. Leod. (de quo cf. Anselm. l. c. col. 855. Sig. Chron. ad an. 774.) scripsisse tradit, quod Nicolaus in Vita l.c. pag. 602. et Aegidius Cap. XXXII. l. c. pag. 149. repetierunt cf. tamen recentiorum dubitationes haud spernendas, — utrum Vita

anonymus, aetate Stephani Ep. (903—920) vitam agens,[1]) et ipse Stephanus Ep. qui Godeschalci opus ornatius atque limatius reddere studens, verborum turba phrasiumque ambagibus id deturpavit potius quam ornavit.[2]) Noster Godeschalci[3]) et Stephani[4]) operum ipse mentionem facit, e quibus etsi priorem maxime secutus sit atque duas certe textus ejus recensiones legisse videatur[5]) tamen Stephanum etiam

Godeschalco adscripta, aetate demum Agilfridi esset scripta, an prima esset anonymi secunda vero Godeschalci, Agilfrido aequalis in Comment. praev. pag. 518—519. cf. not. 4. Sigibertum porro ipsum de aetate Godeschalci non satis edoctum fuisse probat (Cap. I. Nr. 8. pag. 590.) quod ipsa verba ejus repetiturus, dicat: „Is qui habitudinem corporis ejus aut novit, aut ab his, qui eum noverunt, didicit."

1) Cujus jussu vitam versu heroico exarasse ipse fatetur. Opusculum ejus ante illud Stephani nominavi, quia is jam versus inde petitos vitae suae intrusit. cf. l. c. pag. 519—520.

2) Dedicavit Vitam Herimanno Archiepiscopo Coloniensi. Edita est primum ap. Sur. Vit. Sanct. Tom. V. pag. 260—268. „stylo vero, ubi visum fuit, nonnihil correcto", praesertim in fine pluribus omissis, deinde ap. Chapeavill. l. c. pag. 350—70. denique inde, collata cum Ms. in Actis l. c. pag. 581—89, additis quibusdam in fine (Complevit—Amen) in quibus et dies passionis, qui etiam in textu Suriano reperitur, annotatur.

3) cf. pag. 287. n. 1.

4) cf. Chron. ad an. 903. Libr. de s. e. Cap. 126.

5) Sunt enim tot fere diversi textus, quot editiones sub nomine Godeschalci circumlatae. Horum est in phrasibus simplicissimus, quem Mabillonius Acta Bened. III. 1. 69. edidit, eique simillimus in paucis tantum discrepans, atque in nonnullis uberior textus Actorum Boll. secundum illum, cum Ms. quodam collatum, instructus (cum editione Actorum fragmenta, a Chesnio. Script. I. 674. e Vita ms. edita, etsi non omnino, tamen plerumque conveniunt.) Canisius in Lect. antiqq. Tom. II. pag. 172. ed. vet. vitam edidit, quae quamvis in rebus ipsis minus a textu Mabill. et Boll. discedat, in verborum tamen ordine et modo ab initio usque ad finem diversa est ab illis atque auctorem seriorem, qui antecessoris dicendi genus emendare voluit, mox prodit (sic locum prologi (sec. Mabill. et Acta Boll. Ergo

quamvis tantae rei narratione sancti viri Landeberti pontificis opera indigni videamur loqui, auctorem tamen Christi caritas poposcit, frequenter etiam (si Dei juverit favor), *mihi* quae ab adolescentia comperta est, et *per viros prudentes cognovi adfirmantes*, non leporem animo inquirens sermone, sed devotione plenissima, *ipsius* animatus precibus, enarrare tentabo") quamvis non eleganter, auctoris tamen rationi proprie dictum, ita vertit: Et quamvis tantae rei narratione, id est, ut S. Viri Lantberti Pontificis opera loquamur, indigni videamur, tamen Christi caritas poscit ut conversationem vitae ejus, quae ab adolescentia sua *plurimis* comperta fuit et *per viros prudentes cognita firmatur* Deo adjuvante narrare conemur. Plenissima igitur devotione, et *multorum* precibus coactus, non leporem animosi sermonis inquirens, sed etc. — Addidit diem passionis. Hunc textum Basnage in edit. lect. antiqq. (II. 138.) recudi fecit. — Vita, quam Chapeaville e duobus codd. „nulla styli mutatione facta" edidit, ab initio usque ad finem Cap. III. (pag. 330.) cum Vita Canisiana — si plures varias lectiones excipias — plane consentit; inde vero usque ad finem haud raro quidem ejus verborum ordinem secuta, multis phrasibus abundat, in quibus cum et interdum verba recensionis Mab. et Boll. repetantur, et fabulae de S. Lantberto jam in majus auctae saepe afferantur, duobus praecedentibus superstructa atque postremum edita videtur. — Dies passionis omissus. — Cointius fragmenta Chesnii ad Vitam quandam anonymi vetustissimam, editiones Canisii et Chapeavillii ad Godeschalcum ipsum, qui illius opus expolivisset, pertinere censuit, cui Suyskenus adversatus est (cf. Comment. praev. pag. 519.) diversitatem textuum descriptorum mori imputans.

Horum textuum Sigibertus Bollandianum maxime secutus esse videtur; Mabilonianum vero minus inspexit quum, nonnulla, quae huic vel desunt, vel alio modo leguntur, apud nostrum sec. Acta inveniantur (sic cf. Acta Cap. I. 3. illud: ita ut omnibus esset conformis: cum Sig. Cap. I. Nr. 7.: et omnibus conformis; sic Acta II. Cap. II. Nr. 19. Si me *vicario* amatis Mabill. Cap. 10. pag. 75. Si me vere amatis Sig. IV. Nr. 49. Si, inquit, me fratres, *vicarie* amastis; Acta 19. ibid. quia ignis erit illis *in vindictam* Mab. 10. ibid. quia ignis erit illis *perpetuus,* Sig. 50. quia illis erit *in vindictam* gladius et ignis); neque cum Canisiano prodit quendam connexum propiorem noster, tamen eum et textum Chapeavillii jam in auxilium advocasse plura sunt testimonia. Is enim jam, cum in ceteris textibus Godeschalci Lantbertus in nocte martyrii Petrum et

haud raro ad partes vocat.[1]) Poeta quem commemoravimus, haud dubie cognitus ei fuit; num vero eo in vita scribenda usus sit, e fragmentis, quae Suyskenus in Commentario praevio edidit, non audeam pro certo affirmare. — Biographis illis Anselmus quoque Leodiensis annumerandus est, qui in gestis episcoporum Lantberti res fusius enarravit, et cui Sigibertum, ut in omnibus, ita in hac re plurimum tribuisse mox patebit. —

Patrios hos scriptores pro narrationum suorum fundamento habuit, atque quamvis ab artis criticae regulis non ita instructus, ut a veritatis superlationibus Stephano propriis

---

Audolecum tantum, „eos in crimine isto noxios esse" moneat, neque quale sit illud, certius definiat. l. c. pag. 339. „Recordamini vero, vos reos fuisse criminis hujus, cujus nunc ultio expetitur" quod Sig. Nr. 50. iisdem verbis repetit: „Scitis vos, o nepotes mei, reos et noxios fuisse in crimine isto, *de quo modo ultio expetitur*" et inde haud dubie Petrum et Audolecum occidisse Gallum et Rioldum conjicit (vide Nr. 42. et infra) cf. porro Godesch. ed. Chap. pag. 335. lin. 30—31. mors episcopi *devovetur* mortibus illorum cum Sig. Nr. 42. in fine: *devovet* eum morti; pag. 336. lin. 39. discipuli stratis *redduntur* cum Sig. Nr. 46. „ceteri se lecto *reddunt*."

Mabillonius partem vitae a verbo: Posthaec (in Actis Nr. 23.) usque ad finem separatim sub titulo libri „De Miraculis et translatione" edidit; etiam ap. Canisium l. c. pag. 186. in verbis „qui humanum genus perire non permittis" Vita clauditur et omissis quidem omnibus miraculis, quae in Actis, a Nr. 23. usque ad fin. Nr. 26. enarrantur, titulo „Incipit revelatio ejus quae facta est post circulum unius anni" sequitur recensio omnium quae in Actis a Nr. 27. usque ad fin. leguntur. — Neque dubium, Godeschalcum librum miraculorum separatim edidisse, cum et textus Chapeavill. dicta in fine Cap. XI. pag. 344. ibi partis cujusdam Vitae finem esse demonstrent et Stephanus, usque ad hunc locum Godeschalci Vitam presse secutus, ibi opusculi sui finem faciat.

1) cf. Steph. I. Nr. 8. Caelestibus — factus erat, cum Sig. I. Nr. 7. caelestibus — mactabat; cf. Steph. II. 19. Ardebat — cruciatus, cum Sig. II. 23. sed ille — cruciatus, et vide vers. in fin. cap. 24 etc.

ubique satis caveret simplicique Godeschalci narrationi adhaereret, tamen satis ingeniose eos ita adhibuit, ut ordine narrationum plerumque conservato,[1]) longinquitatem eorum haud raro molestam in breve coarctaret, et ita accommodatum plurium rerum, quae a superioribus scriptoribus vel neglectae vel omissae erant, addendarum locum et occasionem sibi pararet.

Nam cum illi Lantbertum puerum adhuc prudentissimis viris erudiendum esse traditum, posteaque adolescentem in patris domum reversum Theodardi curae commendatum esse tradidissent, noster e Vita S. Landoaldi, quam Harigerus jussu et nomine Notgeri Ep. anno 980 scripsit,[2]) hunc, sedis Trajectensis vicarium Lantberti pueri fuisse praeceptorem didicit, atque inde praecipuas Landoaldi res et miracula, quae cum discipulo vidit, in Vitam suam transtulit;[3]) unde vero biographus Theodardi hauserit, Lantbertum transferendo Theodardi corpore bene meritum esse, vix interrogatu opus est;[4]) praeterea e Theoderici Ab-

1) Nisi quod, cum Godeschalcus primum quaedam miracula ad sepulcrum Lantberti enarrasset (Nr. 23—26) atque deinde ultionem, qua Dodo et alii carnifices capiebantur, adnexuisset (Nr. 27—28) ipse exitum Dodonis et sociorum praemisit (Nr. 55. 56.) et miracula cum translatione continuo ordine enarravit. (Nr. 57—62).

2) cf. Vitam ap. Acta SS. Mart. Tom. III. ad diem 19. cum prologo et Commentario praevio pag. 35. A.

3) cf. Sig. in Actis (et Chapeavill. Ren. Cap. II. et III.) Nr. 3. Initiandum — mores. Nr. 4. Vir illustris — omnipotentis Nr. 5. Invocato — vocati sunt e Vita. l. c. Nr. 2. 3. 4. pag. 36—37: Acta Nr. 6. Jussus — attulit e Vita Nr. 5. (cf. supra pag. 287. n.) — In hac Vita Lantberti pater *Aper* memoratur, quem neque Godeschalci textus genuini neque Stephanus cognoverant, qui tamen ap. God. ed. Chap. jam annotatur. Cap. X. pag. 342. cf. Sig. Chron. 638. 658. „Posteritatem a patribus accepisse, Herisplindem inter Francos praenobilem matrem ejus fuisse" Sig. primus retulit (Cap. I. Nr. I.)

4) cf. Acta Nr. 10. et 11. cum Vita S. Theodardi prima Cap. II. Nr. 15—18. l. c. pag. 591—592. Sig. Vit. S. Theod. Cap. III. Nr. 18—20. l. c. pag. 598—599.

batis (Trudonopolitani, sibi coaetanei[1]) Vita S. Landradae[2]) miracula, quae Lantberti pietatem Deique in eum favorem posteris aperte demonstrarent, excerpsit; Hubertum, Lantberti successorem hujus corpus Leodium transtulisse, jam Godeschalcus tradiderat; [3]) hoc decimo tertio anno episcopatus illius evenisse e Vita ejus cognovit;[4]) ex universalium rerum Francicarum cognitione Grimoaldi caedem in basilica S. Lantberti patratam addidit,[5]) atque cum, sicut in Chronico ad an. 713, ejus criminis Rantgarium „satellitem Ratbodi ducis Frisonum" [6]) insimulet, morte infelic iilla et aeterna Ratbodi, quam et in Chronico ad an. 718. fortasse secundum Acta S. Wulframni Senonensis[7]) memorat, Deum illud ultum esse censet.

---

1) Qui diem obiit supremum anno 1107. cf. de eo Gesta abbat. S. Trudonis lib. VI. l. c. pag. 675—680. de operibus ejus cf. Fabric. Biblioth. VI. 228. Acta Sanct. Jul. I. pag. 172.

2) Exstant duae ejus editiones, ap. Sur. Vit. Sanct. Ed. vet. Tom. IV. pag. 139—142. in Actis SS. Jul. II. pag. 626—639. quae lectionibus variis atque diverso verborum ordine inter se differunt. — Quamvis textus Surianus minus commendetur, Sig. tamen ad ejus lectiones multo magis accedit (cf. Acta III. Cap. Nr. 33—36. cum textu Boll. Nr. 9—15. Sur. Cap. XIII—XVII. loc. Surii Cap. XVIII. (qui in Actis deest) Certe qui — effecit cum Sig. Nr. 37. (solum in Vita pleniori). Et quid mirum — transtulit. coll. cum Vita S. Clementis Papae et Martyris ap. Sur. Tom. VI. ad diem 23. Novbr. pag. 515.

3) Cap. III. Nr. 30. l. c. pag. 580.

4) cf. Vitam S. Huberti ad diem 23. Novbr. Sur. Tom. VI. pag. 47. Sig. Chron. ad an. 710.

5) cf. Gesta reg. Franc. Cap. L. Fredegar. Cont. cap. 104. Annales Mett. ad an. 714. cum Vita Cap. V. Nr. 61. pag. 601. — Paucis annis post translationem S. Lantberti id accidisse, secundum falsam chronotaxin suam (de qua infra) existimavit. — Aliud vitium narrationis Sig. jam ostendit Suyskenus. nota z. pag. 602.

6) Quod quidem additamentum fontes non suppeditant. In Chronico ad an. 713. Theodoaldum, qui tunc Major Domus constitutus est, filium Drogonis perhibens, errat, cum is fuerit filius Grimoaldi.

7) cf. supra pag. 28. Nota.

Pro simplicibus his additamentis, etiamsi ea fontium gnaro non nova offerunt, Sigiberti tamen industriae multa gratia habenda est. — Neque ea semper nude ut nova addit, sed more suo universaliores aetatis suae res rebus vitae S. Lantberti adnectere studet. — Aetatem nativitatis Lantberti, calculo haud dubie ex vita S. Landoaldi desumto, Dagoberti et Sigiberti filii ejus regnis adscribit.[1]) — Cum jam nuncium Godeschalci, Childericum regem (Austrasiae) Lantbertum „super omnes pontifices et optimates suos" dilexisse eumque apud regem „summum locum tenuisse"[2]) ita auxisset, ut Regem „Lantbertum sibi a secretis fecisse, eumque ejusque, ut feratur, fuisse a commentariis[3]) unde a corde et ab ore illius omnem Austrasiam pependisse, eumque totam regalem curiam reveritam esse" profiteretur, Theodericum Regem Neustriae ejus adventum appetiisse, ejusque consilio summam auctoritatem tribuisse — nullo haud dubie testimonio nixus — addit,[4]) episcopos et abbates, qui aetate illa in Gallia pietate insignes erant, recensens[5]) atque quosdam per catachronismum aetati illius intrudens[6]) Lantbertum eos imitatum, sive eorum intima consuetudine usum esse consueto modo effingit; Theodericum regno depositum atque Childericum utrique regno praepositum e fontibus vulgaribus annotat;[7]) hujus caedem quam Godeschalcus leviter attigerat,[8]) accuratius enarrat,[9])

---

1) Inter annos 633 — 638. (640 — 645). Vitium, Cunibertum et Pipinum tutores Sigiberti, regis Austrasiae esse constitutos, eodem loco repetit. vide supra pag. 245. cum n. 2. et 3. 249. cum n. 4.

2) Cap. I. Nr. 5. pag. 575.

3) Cap. II. Nr. 13. 4) Nr. 14.

5) Nr. 14. et 15. sic „Audoenum, Audomarum etc. Bertinum, Philibertum. Wandregisilum, Ursmarum Lobiensem."

6) scil. Austrigisilum Biturigensem (cf. notam Suyskeni. pag. 593), quem Sig in Chron. ad an. 627. annotat.

7) cf. Vitae Nr. 17. Chron. 667. cum Gest. reg. Franc. Cap. 45. Fredegar. cont. cap. 94.

8) Cap. I. Nr. 5.

9) cf. Vitae Nr. 17. cf. Chron. ad an. 679. cum Fredegar. cont. cap. 95.

atque quum apud illum post Childerici obitum Lantbertum inimicorum fraudes fallaciasque intendentium invidia insontem sede sua pulsum et Faramundum quendam ejus loco Trajectensibus obtrusum legisset,[1]) id ex Ebroini Majoris-domus, qui tunc cum Theoderico iterum regni administrationem assumserat, malitia explicare posse sibi visus est, atque, quum ex synodi a Theoderico atque Ebroino convocatae decretis episcopos quosdam perpetuo auxilio deportatos esse legeret,[2]) hanc synodum causam malorum Lantberto, ut intimo Childerici eoque graviora poena ab inimicis afficiendo, illatorum contendit; adde quod — nescio quo fonte usus — rumorem fuisse, Coloniensem episcopum a pravis his partibus stetisse atque Faramundum ecclesiae suae clericum in locum Lantberti promotum narrat,[3]) quod Lantbertum, quem post septennium Pipini auctoritate ex exsilio revocatum etiam veteres tradunt[4]) — aetate, qua is omnibus Francorum intestinis partibus devictis, solus sub Theoderico rege principatum obtinuerit, in sedem suam restitutum affirmat,[5]) neque negabis novam hic Lantberti vitam politicam nobis propositam esse, annorum quidem terminis accurate distinctam,[6]) at non nisi conjecturis minus probabilibus fultam.

Magis a Godeschalco et Stephano ea discedunt, quae Sigibertus de causa martyrii S. Lantberti memoriae tradidit. —

Gestis reg. Franc. cap. 45. Vita S. Leodegarii auct. anonymo Cap. 7. l. c. pag. 685.

1) l. c. Nr. 5.

2) cf. Vitae Nr. 17. et 18. Chron. 680. 685 cum locis pag. 293. Nota 9. citatis. Vita S. Leodegar. Cap. 14. l. c. pag. 691—692.

3) cf. Vita Nr. 18. in fin. cf. Comment. praev. pag. 529.

4) cf. Godeschalcum Cap. II. Nr. 10.

5) Cap. III. Nr. 25. cf. Chron. 691.

6) Qui vero quam dubii et falsi sint, cum rationem Sigiberti in regum Francorum annis computandis supra ex paucis exemplis cognoverimus, vix explicatu opus est. Rerum connexum integrum cf. ap. Pertz: Hausmeier. pag. 48—50.

Nam cum Godeschalcus[1]) Gallum et Rioldum, duos pessimos homines adversus eum insurrexisse atque multis ecclesiae Trajectensi malis illatis, ab amicis Pontificis interfectos Dodonem vero, consanguineum eorum et domesticum Pipini hoc crimen eo ultum esse referat, ut Lantbertum ipsum Leodii commorantem, inter noctis conticinium cum militum turba intentatum, morti per satellitis manus perpetrandae traderet, Stephanus) ejus relationem plerumque secutus, Gallum et Rioldum multas episcopi preces, ne bellum sibi suisque inferrent, contemsisse, tum „cognatos et clientes" ejus eo ignaro, consilium, maleficos persequendi, cepisse, in majorem rei exornationem addat, — noster[3]) exordio a rebus, a Pipino tam egregie gestis, omnique domus ejus condicione sumpto dolet, virtutem ejus eo obscuratam esse, quod Plectrudi legitimae uxori Alpaidem pellicem, ex qua Carolum Tudetem filium suscepit, superduxerit. Ex omnibus episcopis unum Lantbertum Heliae et Joanni aequiparandum[4]) ausum esse annotat, cum rege graviter de hoc crimine agere, quod tantam sibi pellicis invidiam conflavit, ut ea rem ad Dodonem fratrem suum, tunc Pipini domesticum deferret, eumque ut communem gentem suam a magno illo quod ipsis, si a Pipino dimitteretur, immineret, probro ac dedecore tueretur, precaretur. Tum Dodonem — pergit — „per se et per valentiores generis sui" episcopum compescere studuisse atque cum eum inflexibilem invenisset, Gallum et Rioldum fratres et Dodonis consanguineos, ut neptis suae Alpaidis miserantes vicem, episcopum insectandi, occasionem cepisse atque cum omnibus injuriis

---

1) Cap. II. Nr. 15. pag. 577.

2) Cap. III. Nr. 31. 32. pag. 587.

3) Cap. IV. Nr. 38—39.

4) Alludit ad hanc parabolam in utraque Vita cf (Ren.) Chapeav. Cap. XVI. in fin. pag. 424. In vita altera eandem fusius exposuit. Nr. 39. et quorum imitabatur — Nr. 40. timebat rabiem. Helias in caelum — calicem Domini.

illatis non solum ejus animum frangere non potuissent, sed etiam ex contrario, cum asseclae ejus, eo inconsulto, arma cepissent, illius consanguinei Petrus et Audolecus Gallo et Rioldo in pugna mortem intulissent, Dodonem horum caedem ipsius episcopi caede ulcisci decrevisse. Iisdem diebus Lantbertum a Pipino, qui in Jopiliam villam Leodio confinem venerat, per publici negotii speciem invitatum cum principe et pellice cumque omni curia in convivio consedisse; principem oblatum sibi a pincerna poculum episcopo afferri jussisse, ut a consecrata ejus manu sibi porrigeretur; proceres minores principis exemplum secutos omnes, ut pocula ex ipsa episcopi manu acciperent, efflagitasse, horumque turbae clam se Alpaidem immiscuisse, quo certius, hoc honore astute occupato, viam illius sibi gratiam reconciliandi inveniret.[1]) Lantbertum, comperto hoc dolo, statim proterva hac mulieris versutia coram principe increpata e convivio abiisse, et cum hora vespertina domum proficisci constituisset, a Pipino jussum, ne conjuge sua non salutata abiret, publice coram principe testatum, divinis se legibus impediri, quominus cum ea quidquam commune haberet, Pipino vero, nisi resipisceret, iram Dei interminatum esse.[2]) — Quo cum res pervenisset, Alpaidi nihil jam reliquum visum fuisse, quam ut fratrem obtestaretur, ut quantocius de occidendo Episcopo cogitaret, quare cum Lantbertus Leodium venisset, Dodonem, quippe cujus animum cum dolore de nece nepotum

---

1) Nr. 43. 44. Sigib. inde in utraque Vita (Chapeav. Cap. XIII.) occasionem cepit, res S. Martini Turonensis, qui ipsi dilectissimus fuisse videtur, in memoriam revocandi; recordatur, quo honore uxor Maximi Imperatoris Martinum coluerit e Dialogo II. 7. (vide supra pag. 70. Bibl. max. patr. VI. 365.) et Martinum, convivio Maximi assidentem, poculum, jussu imperatoris sibi primum datum, ut ab ejus dextera sumeret, postquam ebibit, presbytero tradidisse. cf. Vitam S. Martini. cap. 23. l. c. pag. 353. cf. not. m. et n. ad cap. IV. l. c. pag. 599.

2) Nr. 44. 45.

suorum dolor geminatus de sororis repulsa stimularet, ad vicum Auridum [1]) secessisse, atque sociis collectis, a domo etiam regia, suo vel sororis suae nomine evocatis auxiliariis armisque paratis nocte insequenti martyrem aggressum esse.

Qua de discrepantia inter veteres biographos et Sig., ut recte judicari possit, ea opus est examines, quae spatio inter eos interposito, eadem de re tradita sunt. Hic primus se offert Anselmus (si quidem genuinum ejus textum adeas[2]) qui ipse jam criticam hujus rei disquisitionem ingressus, primo quidem rem ex Godeschalci et Stephani rationibus explicat, post ut aliorum de eadem re opiniones communicet[3]) locum ex Reginone affert, qui talis est:

> Ea aetate claruit Lambertus, Tungrensis ecclesiae episcopus, qui dum regiam domum zelo religionis accensus, increpasset, ab iniquissimo Dodone et aliis viris de palatio missis, improvise conclusus, intra domum Ecclesiae in Leodio vico occiditur: [4])

tum denique „*alterius scripturae relationem nobis a prioribus relictam*" adjungit qua „Pipinus sororem Dodonis legitimae conjugi pellicem induxisse, Lantbertus vero solus auctoritate

---

3) Quod, unde didicerit, ignoramus. — Narrationi suae de causa martyrii congruit, quod (Cap. V. Nr. 53.) „si qua pellex se ingessisset ad corpus martyris osculandum, quasi quodam turbine rotatam, retrocessisse," et (Cap. V. Nr. 61.) Grimoaldum eo forte amplius devotum fuisse S. Lantberto, „quia pro defenso matris ejus Plectrudis matrimonio occubuisset" enarrat.

2) scil. ap. Mart. et Dur. Coll. ampl. IV. col. 848. Cap. VI. Textus Chapeavillii mutilum tantum excerptum hoc loco esse videtur. Cap. XI. l. c. pag. 117.

3) Cap. VII. l. c. col. 849. „Item alia de eodem opinio."

4) ap. Pertz. I. pag. 552. dext. ad an. 635. Non immerito Suyskenus Anselmum insectatus est (l. c. pag. 541.) quod loco Reginonis nimis festinanter lecto, Aquilejensem synodum tempori Vigilii Papae adscriberet; tamen ob hunc errorem excusandus est, neque quidquam ille ad rem ipsam referre videtur. Reginonis locum de Lantberto tantum usque ad verbum: increpasset: edidit. cf. Sig. Chron. ad an. 698. —

sacerdotali principem publice adulterii arguere non reformidasse, atque hoc effecisse, ut jam jamque minus in fornicaria insaniret" traditur. Illam tunc, furere et libidine aestuantem quasi alteram quandam Jezabel in Heliam, vel Herodiam in Joannem [1]) fratrem gemebundam adiisse, [2]) fratri contumeliam a sacerdote sibi illatam memorasse „instinctu ipsius aversum a se regis animum; mori satius esse, quam tam honestis ignibus privari cum dedecore: faxit ut sacerdos intereat, nullum posthac regalis thalami fore dissidium;" Dodonem, armatis statim ex domesticis regiae domus militibus auxiliariis hoc jussum exsequutum esse. — Addit Anselmus, relationem illam quasi confirmaturus, se scriptorem vitae ejus hanc causam ideo tacuisse arbitrari, „ne, ut fit, eorum incurreret offensam, quorum majores tali notati essent infamia" [3]) quod Sig. Godeschalcum aetate vixisse Pipini tertii et Caroli Magni, per Carolum Tudetem Alpaidis nepotis et abnepotis, monens, clarius explicavit. Qualis sit „illa scriptura", cum omnes criticorum investigationes adhuc fefellisse putetur, observatione dignum est, jam apud poetam biographum S. Lantberti haec legi:

Interea domui Pipini principis auctor
Hujus erat sceleris, dictus de nomine Dodo
In quo fidentes, patriam vexasse putantur

---

1) Eandem vides parabolam, quam apud Sigiberti utrumque textum (vide pag. 295. Nota 4.); quae vero cum in textu Chapeavilliano non inveniatur, Sig. Anselmo genuino usum esse probat. —

2) In textu Chapeavill. Cap. XI. pag. 117. „fratrem per internuncios convenisse" traditur.

3) Et id quidem tantum in textu Marteniano. His duobus argumentis (vide not. 1.) vix opponerem, in textu Chap. nomina Plectrudis et Alpaidis addita esse (l. c. pag. 117.) quae quidem Sig. ex aliis fontibus cognoscere potuit, nisi uno loco etiam sententiae et verborum habitus ap. Sig. propius ad Chap. quam ad Mart. accederet cf. Acta Cap. IV. pag. 597. Nr. 41. lin. 4—6. si per — divortium pag. 598. Nr. 45. lin. 15. si diu-divortium cum ed. Chap. cap. XI. l. c. pag. 117. lin. 19. commodius — separari. coll. cum Mart. Cap. VII. col. 850. — cf. supr.

Jam dicti fratres [1]) ejus de carne propinqui
Fertur enim trito multis sermone, quod esset
Praesul *Landbertus, diris invisus amicis*
Pravi Dodonis, pallens ob stupra sororis
Illius ad regem, quam rex cum conjuge viva
Ducebat pellicem, proculcans jura pudoris.

unde id jam vulgi rumore saeculo decimo ineunte divulgatum fuisse constat. Fontem quoque Reginonis viris doctis invenire contigit, scil. Adonis Viennensis Martyrologium, in quo ad diem 17. Septembris: [2])

Tungrensi dioecesi in Leodio, villa publica natalis sancti Lamberti episcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis accensus increpasset, *cum rediens orationi incumberet*, ab iniquissimis viris de palatio *regio*, [3]) missis, improvise conclusus, intra domum ecclesiae occiditur: —

Cui loco [4]) Regino cum nomen Dodonis carnificis in-

---

1) scil. Gallus et Rioldus. cf. locum in Comment. praev. pag. 540. Nr. 127. 128.

2) in edit. Rom. 1745. pag. 480. cf. Comment. praev. Nr. 140. pag. 543. — Adonem secutus est Notkerus in Martyrologio.

3) Verbum: *regio:* gravissimum pro rerum connexu omisit Suyskenus l. c.

4) Est ille omnium, quibus Lantbertus in discordiis, nisi cum Pipino et Alpaide, tamen cum regia domo occubuisse traditur, vetustissimus. Aliorum martyrologiorum testimonia de hac re nihil tradentia jam Cointius Tom. IV. ad an. 708. et Suyskenus. l. c. examinaverunt (Pseudo) Marcellini Vitam S. Suitberti, in qua Cap. 22. ap. Sur. Vit. Sanct. II. pag. 22.: Erat autem eo tempore serenissimus Pipinus dux habitans in Joppilia cum Alpaide pellice sua. Plectrudis vero dux eximia et devota princeps, moram traxit Coloniae Agrippinae. Cap. 25. l. c. pag. 24. contigit anno ab Inc. Dom. 714. Pipinum de Herstallo, strenuum principem et Majorem-domus Francorum dolentem super innocente morte sancti sui Lamberti Tungrensis episcopi ad mortem aegrotare: et eodem: Et quia sanctus Lambertus Episcopus eundem Pipinum de illicito connubio Alpaidis increpaverat martyrium subiit" inter fontes non cito, quia cum aetate etiam auctoritas ejus valde dubia. cf. Acta Sanct. Mart. I. pag. 78—82. Mabill. Acta III. 1. 239.

sereret,[1]) aliud, idque gravissimum, detraxit, nimirum illud „cum rediens orationi incumberet" ex quo jam saeculo nono narrationem de adventu Lantberti in curiam, discordiis, quae illi jam nocte insequenti causae martyrii fuerint, ibi exortis, similem fortasse illi de convivio, quam pulcherrime nobis Sigibertus tradidit, divulgatam fuisse, persuasum habeo, atque nostrum potius eam primum e vulgi rumore acceptam litteris mandavisse, quam finxisse, ut existimem inducor. — Hinc singulas partes narrationis Sigiberti diversa auctoritate niti perspicuum est, quippe quae modo poetam anonymum redoleant, modo Reginoni, modo Anselmo, ignotoque ejus fonti debeantur, dubium est, num eas recto modo connexuerit, et quo jure Dodonem ob id tantum, ut pium et constantem episcopi animum deprimeret, consanguineos contra illum instruxisse dixerit. — Hanc esse justam, Lantbertum splendidiori adhuc gloria decorandi, viam jam qui post Sig. de ejus rebus scripserunt, Nicolaus[2]) et Aegidius,[3]) tam bene perspectum habuerunt, ut Galli et Rioldi caedibus prorsus omissis, eum solo hoc castitatis patronatu interiisse enarrarent. —

Jam his de fontium testimoniis expositis, benevole lector, fortasse nos etiam de re ipsa judicium nostrum proposituros, et utrum in hoc veterum de altera martyrii Lantberti causa silentio acquiescendum, an cum recentioribus testibus Alpaidem contemtam episcopo exitio fuisse statuendum sit, disceptaturos esse exspectabis. Sed cum artem historicam eo tempore jam defunctam esse arbitremur, quo in hujusmodi rebus conjecturas adhibere et utile et laudi esse duceretur, vix jucundum fore censemus, si argumentis Henschenii, Cointii, Mabillonii, Pagii, Suyskeni pro veterum,

1) Pertz. Mon. I. 537. Vitam S. Lamberti fontibus Reginonis adnumerat.

2) cf. Cap. V. in Actis pag. 612—614. qui omnino causas martyrii magnopere exornavit.

3) Cap. XI. pag. 119. cf. Comment. praev. pag. 592.

Fisenii et Slusii [1]) pro recentiorum auctoritate certantibus nova addere velimus. — Satis sit addidisse, omnia, quae ad refellendas Sigiberti et Anselmi narrationes ex interioribus causis allata sint, ipsa esse incerta. [2])

A Leodiensium, in quorum usum dubium non est quin Sigibertus Vitam S. Lantberti composuerit, aliquo mox pessima ei gratia relata est. Nam Nicolaus [3]) ecclesiae S. Mariae et S. Lantberti canonicus, Wederico, abbati monasterii Laetiensis, (Liessies in Hannonia) ab anno 1124—1147. Vitam S. Lantberti dedicavit, satis verbosam, [4]) inter cujus fontes Chronicon quidem „Sigeberti venerabilis monachi de coenobio Gem-

---

1) Renati Francisci de Sluse (canonici Leodiensis) de tempore et causa martyrii B. Lamberti Tungrensis Episcopi Diatribam chronologicam et historicam Leodii 1679. editam ipse non vidi, et tantum e Commentario praev. Nr. 114. l. c. pag. 537. et seqq. argumenta ejus cognovi.

2) cf. loco omn. Suyskenum in Comm. praev. a Nr. 143—158. — De anno mortis Lantberti res ita se habet: Theodardi mentio fit in diplomate die VI. Septbr. anno VIII. Childerici Trajecti dato (cf. Acta Sanct. Septbr. III. 586.) ergo eum non ante annum IX. Childerici, regis Austrasiae, die X. Septbr. occisum esse probabile est. Adeptus vero est Childericus regnum Austrasiae circa an. 660. (quod XIV annos tenuit. cf. Bouquet II. 691.). Lantbertus e testimonio biographi S. Huberti l. c. pag. 45. (repetito a Sig. in fine vitae: XL. episcop. anno) quadraginta annos tenuit episcopatum; itaque eum non ante an. 708. diem supremum obiisse constat. Anno 714. (vide supr. pag. 292 cum Not. 5.) Grimoaldus jam in basilica Leodii ejus memoriae dictata preces fudit, quae etsi non basilica Leodii post translationem per Hubertum instaurata, quod Sigib. (cf. Nr. 61.) falso opinatus est, basilica tamen ibi instituta, dum corpus adhuc Trajecti erat (cf. Godeschalci Vit. III. Nr. 25. pag. 579. Comm. pag. 538), fuisse, omnisque ea res paucos annos post martyrium jam effluxisse probare videtur, ergo Lantberti mors non post annum 709 vel 710, Theodardi non post 669 accidisse videtur, et Sig. hunc an. 698. illum an. 658. obiisse existimans decem fere annis erravit. —

3) cf. in Comm. praev. pag. 520. e Gall. Christ.

4) edit. ap. Chapeav. I. pag. 371.— 409. Acta l. c. pag. 602—614.

blacensi" duxit,[1]) Vitam vero praeterit; quamquam qui eam inspexerint, pro explorato habebunt, illam vitam a pleniore Sigiberti Vita ita fluxisse, ut ordo plane retineretur, ipsa interdum verba repeterentur,[2]) licet Sigiberti fontibus, Godeschalci et Stephani Vitis, Gestis reg. Francorum, Reginone Vitis S. Landoaldi et Landradae[3]) non sine industria in auxilium advocatis. Quamobrem cum non haberet, quo novo addito de Lantberti rebus bene mereret, superbia autem avocaretur, quo minus se Sigiberti vestigiis insistere fateretur, furtim ejus bona pro suis usurpavit.

Praeter has quatuor sive quinque Vitas S. Lantberti inter codices monasterii Admontensis[4]) una annotatur, cujus et exordium: „Lambertus nobilis genere, sed nobilior sanctitate vitae" et finis „cum multa civitatis mestitia sepulturae dederunt" ab his omnibus discrepare, quae ideo digna videtur, quae accuratius pervolvatur.

---

1) l. c. pag. 603.

2) cf. e. g. Vitam S. Landoaldi Cap. 4. Propter quod — constituit cum Sig. Vit. Nr. 4. Vir illustris Aper — vanitate et Nicolai Nr. 7. At vir illustris — saeculi; cf. Nic. Cap. IV. Nr. 51. in fin. l. c. pag. 611. Nos vero — erigamus cum Sig. Cap. III. Nr. 37. in fine. Nos, ut — erigamus; cf. Nic. Nr. 19. de Pharamundo, quem *dicunt* clericum Coloniensem cum pag. 294. not. 3. Nr. 62. et 63. de convivio cum pag. 296. cf. Nr. 10. „multo feliciorem se reputans talis alumni famulatu et contubernio, quam Moysen Josue" cum loco Vitae plen. Nr. 7. Hic videor — fieri vid. pag 286. Not. 2.

3) cf. Prologum l. c. pag. 602—603.

4) in Archiv VI. pag. 164—165. sub littera e. cod. membr. saec. XI. Legendas Sanctorum continentis e catalogo V. D. Alberti Muchar.

6. VITA S. MACLOVII, EPISCOPI ALETENSIS.

His libris, quos Sigibertus de rebus Gemblacensibus et Leodiensibus vel ipse primus composuit vel politiore stylo edidit, addere liceat Vitam S. Maclovii (Episcopi Aletensis) quam ipse se „urbaniori stylo meliorasse" confitetur. — Hujus enim Sancti memoriam quamvis, quomodo cum monasterii Gemblacensis historia cohaereat, non pateat, tamen ad eam aliquo modo pertinuisse, ex epistola auctoris ad Thietmarum Abbatem Gemblacensem scripta vitaeque praefixa[1]) conjici potest, qua se vitam illam „diligenter quidem, quantum ad veritatem historiae antiquorum stylo exaratam sed cum minus ordinate digesta, minus composite descripta sit „ad haec barbarismis et soloecismis nimis confusa, longo oblivionis et negligentiae situ adeo latuerit obducta, ut quasi nullius auribus digna, jam ab hominum recesserit memoria" ipsius Abbatis jussu „inspecto historiae textu, et pro posse eraso vitiorum contractu, meliorandam quantulocunque sermonis cultu" suscepisse fatetur; quamobrem vix credibile est, Thietmarum memoriae viri sancti, qui non amplam admodum famae celebritatem consecutus esset prosequendae tam intentum fuisse, nisi certa quadam et peculiari causa motus fuisset.[2])

Addit Sigibertus pro modestia sua haec de ratione, qua opus illud „non ut voluerit, sed quomodo pro ingenii tenuitate value-

---

1) Vita tantum edita est in Surii Vitis Sanct. probb. ad diem XV. Novbr. Legimus ex ed. Coloniae 1575. Tom. VI. pag. 341 — 351. 27 capp. distinct.

2) Auct. Hist. litt. IX. 554. . . . Sigebert. . . . donne à entendre, que le motif qui engagea son Abbé à lui faire entreprendre ce travail vint de ce qu'on avait à Gemblou des Reliques du saint-Evêque: quod haud dubie e prologo atque ultimis vitae verbis conjecerunt — atque satis apte, si nostrum etiam „Antiphonas et Responsoria de sancto Maclovio melificasse" reputas. cf. pag. 257. n. 2.

rit, exsecutus sit. „Se aggressum esse illud more rusticani fabri, qui follibus sufflando, et malleis tundendo, eliciat scoriam de rudi massa preciosi metalli, ut paratior reddatur operosi artificis manui, ostendendo aliis splendorem materiei: ut si quis velit exercere vim sui artificii, inveniat materiam paratam suo usui." Ergo „quod facile factu videatur, se facturum esse: nimirum, *ut superflua demat*, vitiosa corrigat, confusa ordini reddat, a veritate tamen historiae nullo modo recedat, *ut nihil novi fecisse videatur*, cum vetus tantum limando et fricando renovasse videatur."

Describitur Maclovius, nobili Britannici generis origine ortus[1]) admodum juvenis jam studio vitae rebus divinis dedicandae ductus,[2]) atque a Deo in ipsis undis maris servatus et ab ignis ardentis vi defensus, monachicum ordinem amplexus,[3]) et populi consensu ad ordinem Episcopatus promotus[4]) *cum magistro suo et Abbate Brendano peregrinationem septennem maritimam ingressus*,[5]) post reditum patria relicta divino consilio ad insulam, ubi Aaron vir sanctitate insignis vitam agebat, transvectus[6]) atque mox Episcòpus Alethae urbis Aaronis insulae prope adjacentis constitutus.[7]) Ibi eum miracu-

---

1) Sigibertus tantum patrem Guent comitem (conditorem Gimicastri) et matrem Darval affert. Cap. I. l. c. pag. 341. E Vita apud Mabill. Acta Bened. I. 217. Cap. I. et apud Boscium (de qua infra) l. c. pag. 217. Nota a. ejus consanguinitatem cum Samsone et Maglorio discere poteris.

2) cf. Cap. II. pag. 342. In Vita Mabillonii Cap. II. l. c. et Boscii ap. Acta Sanct. Boll. Maji Tom. III. pag. 602. jam hoc loco Maclovius sive Machutes Brendano, Abbati in valle Carvanna regenti monasterium, ad educandum traditus esse perhibetur; Brendanum Abbatem magistrum fuisse etiam e Sigib. Cap VI. pag. 343. elucet.

3) cf. Cap. 3. et 4. pag. 342—343.

4) cf. Cap. 5.

5) de qua Cap. 6. 7. 8. videinfra.

6) cf. Cap. 9. 10. 11.

7) cf. Cap. 12. Aletha est hodiernum: Quidaillet: non longe distans

lis ostenditur omnimodis claruisse,[1]) primum tamen Hailoci, ducis Britanniae (minoris) malitia, et, quum hunc poenae divinitus inflictae, ut ab improbis his consiliis desisteret, commovissent,[2]) „impiae generationis" quae post mortem ejus summa rerum potita erat, avaritia intentatum, aufugiendi consilium cepisse[3]) cum suis ad littus Aquitanicae regionis appulsum ad urbem Santonas advenisse, atque a Leontio „qui ibi Ecclesiasticae provisioni superintenderet" benevole exceptum,[4]) plura iterum praeclara miracula egisse,[5]) donec Britanniae minoris incolae, qui maledicto, quod discessurus iis inflixerat, oppressi in maximas sterilitatis et morborum gravissimorum calamitates incidisse feruntur, eum advocarent, isque eo regressus cum precationibus votisque laetum et fructiferum terrae statum a Deo impetrasset, iterum in Aquitaniam venerit[6]) ibique (his vitae vicissitudinibus Angeli consilio jam apertis) centum jam atque triginta annos natus, die decimo septimo Calendas Decembris defunctus et a Leontio Episcopo sepultus sit.[7]) —

Habes fabularum congeriem, prorsus fere indiciis qualibuscunque, ex quibus universalis historiae cognitio aliquem fructum capere posset, destitutam, neque facile inde de ipsa Maclovii illius sive Machutis aetate certi quidquam statuere possis, nisi Leontium illum Santonensem esse antistitem Burdegalensem cum viris, rerum Galliae ecclesiasticarum peri-

---

ab urbibus: Saint-Servan: et: Saint Mâlo. Rinctus fluvius, quem alluere urbem Sig. tradit, vocatur hodie: la Rance.

1) cf. Cap. 13. 14. 15. 16.

2) cf. Cap. 17. l. c. pag. 347.

3) cf. Cap 18. 19. 20. l. c. pag. 347—49.

4) cf. Cap. 21. 23.

5) cf. Cap. 22. 23. 24.

6) cf. Cap. 25. 26. l. c. pag. 350—351.

7) cf Cap. 26. In editione nostra Suriana, quamvis Vita recto loco (die quintodecimo Novembris) collocata sit, falso dies 17 Calendas

tissimis statuas,[1]) et annos illos centum triginta,[2]) humanae aetatis limites transgredientes plane negligas. — Ex his clarum, non tanti esse, inquirere, qualis vita fuerit, unde Sigibertus haec iterum ederet, quod praeterea, quominus vel cupienti mihi feliciter cedat, inopia fontis gravissimi impedit. Duae enim Vitae S. Maclovii editae sunt, altera in Boscii Bibliotheca Floriacensi,[3]) altera in Mabillonii Actis Sanctorum Ord. Bened.,[4]) quarum tamen primam non ipsam in ma-

---

Septembris affertur. cf. tamen Cap. 21. Vitae ap. Mabill. l. c. pag. 221. Vitae Boscianae. Cap. 22. ap. Mabill. l. c. pag. 222.

1) cf. Mabill. Acta l. c. pag. 220. A. Cointii Annales eccles. ad an. 562. Nr. 15. Tom. II. pag. 12—13. ad an. 565. Nr. 7. 8. ibid. pag. 56. sq. — Hailoch, Dux Britanniae (Hoelus I.) diem obiit supremum an. 545. cf. Daru Histoire de Bretagne I. 150. — Leontius Episcopus Santonensis in Concilio Remensi anni 625 apparet cf. Coint. II. 755. Leontius Episcopus Burdegalensis verisimile circa an. 567. mortuus est. cf. Coint. II. 89., cum porro Vitae Boscianae auctor Cap. 22. (cf. ap. Mabill. pag. 222.) Maclovium defunctum esse nocte diei dominicae 15. Novbr. perhiberet, mortem in an. 565. incidisse jam Cointius et Mabillonius conjecerunt. Huic aetati et alia argumenta respondent (vide Coint. l. c.) et ipsa Sigiberti confessio, qui ad an. 561. Maclovii ad Gallias transgressi et sub Leontio *Sanctonum* (ap. Mir.; Saxonum est vitium ed. princ.) Episcopo clarescentis et Britannos, data benedictione, sanantis, mentionem fecit. —

2) Quin etiam *centum triginta tres annos* sec. vit. Mabill. et Boscii cf. l. c. pag. 221—222. Vitium hoc cum illo de Episcopatu Leontii (vide Not. 1.) haud dubie cohaeret. Lobineau: Histoire de Bretagne I. pag. 75. pluribus de ejus Vita perperam annotatis obitum S. Maclovii circa an. 630. constituit.

3) Lugduni. 1605. 8. Tom. I. pag. 485—515. cf. le Long: Bibliothêque historique ed. cit. I. pag. 672. Nr. 10470.

4) „e Ms. cod. V. C. D. d'Herouval." Acta I. 217—221. — Affertur apud Longium. l. c. Nr. 10469. Vita Sancti Machutis auctore Bilio, Episcopo decimo quarto Aletensi. Maclovii. 1555. 12., quam utrum cum Bosciana, an cum Mabilloniana eadem, an tertia nobis ignota sit, nos cum auctoribus Hist. litt. Franc. IV. 194. ignoramus. Hi auctorem circa finem saec. VIII. vel init. saec. IX. vixisse addunt,

nus meas venisse eo magis doleo, quo propiorem ejus cum Sigiberto connexum fragmenta e Mabillonii, Henschenii et Cointii commentariis collecta ostendunt,[1]) et quo certius hanc potissimum esse vitam, a Sigiberto expolitam declarant.[2]) Vita quoque a Mabillonio edita Sigiberti aetate antiquior videtur,[3]) eamque a scriptore Vitae Boscianae jam

---

falsissime, quum Cointius ex Alberti de Monte-Relaxo Catalogo Episc. Aletensium Bilium ab anno 670—672. regnasse, ossa Santonis Aletham transtulisse atque Vitam S. Maclovii litteris commendasse referat. cf. ad. an. 670. et 671. Ann. III. pag. 629. 641. ad an. 672. Ann. III. 645.) Idem lectiones e Bilii Vita in festo sancti Machutis et in die translationis recitatas esse tradit.

1) Ad id demonstrandum cf. excerptum e Cap. I. ap. Mabill. Acta. Nota a pag. 217. in Henschenii Commentario de Brendano. Acta Sanct. Maji Tom. III. pag. 602. cum Sig. Cap. I. (de matre Darval et de nativitate in nocte vigiliae sancti Paschatis, quod utrumque in Vita Mabillonii omittitur); cf. Boscium ap. Coint. 541. Nr. 72. Ann. I. 604. Machutes cum Aarone — conditione existebat cum Sig. Cap. 12. — consanguineus erat et Vita Mab. Cap. 9. Cap. 10. in init. Cap. 12. init. cf. Boscium ex membranis Floriacensibus ap. Coint. ad an. 562. Tom II. pag. 12—13. Pro multis — pomorum cum Sig. Cap. 20. et Cap. 25. in init. — effugeret judicium, et Vita Mabill. Cap. 17. in fine. Cap.20. in init.; Boscium ap. Coint. 565. Nr. 7. II. pag. 56. Insignibus — labefactari et perire, cum Sig. Cap. 25. Missa itaque — maledictionem, et Cap. 20. Vitae Mabill.; Boscium eod. loco: Tum denique — dependentibus, eademque ap. Mab. e Cap. 22. pag. 221—222. cum Sig. Cap. 25. et 26. et Vita Mab. Cap. 20. in fin. Cap. 21.; cf. Bosc. ap. Coint. l. c. Sacratissimi — loquelam, et eadem ap. Mabill. pag. 222. Cap. 23. et ibid. Cap. 24. cum Sig. Cap. 27. quibus similia in Vita Mab. non leguntur. — Sigibertus nomen Machutis, quod Vita Bosciana attulit (cf. loc. cit. Cointii et Hist. litt. IV. 194. IX. 554) quamvis non reciperet, tamen illi „Maclovii" apposuit. cf. Epist. ad Thietmarum. Chron. ad an. 561.

2) In hanc quoque sententiam jam ivere auct. Hist. litt. Franc. loc. Not. 1. cit.

3) Auctores hist. litt. Franc. IV. 194. eam ab Armoricano quodam circa finem saec. VIII. scriptam existimant.

adhibitam esse, verisimile est,[1]) de quo, cui utraque ad manum est, accuratius dijudicabit, id simul certius discernens, num Sigibertus Vita quoque Mabilloniana usus sit.[2]) —

Unum tantum superest, de quo, priusquam ad alia Sigiberti opuscula transeamus, pauca nos addere oportet, *iter dico illud a Brendano et Maclovio susceptum*, quod inter mythos medii aevi geographicos postea praecipuum locum tenuit, atque tabulas orbis terrarum pictas insulae nomine locupletavit. —

Legimus in Vita S. Maclovii apud Mabillonium,[3]) Maclovium et Brendanum, cum malitiam sociorum evitare studerent, navi instructa „cum pluralitate ultro sese sequentium nauticam peregrinationem invasisse et quaesiisse insulas solitarias, sed, dum humana fugerent vitia, multa perpessos esse pericula, multaque horrida sustinuisse portenta, contra quae innumera fecissent miracula: quae si quis indagare velit, *in libro Brendanicae peregrinationis* invenire poterit" in qua Maclovium mortuum suscitasse legi. „Nos vero — addit vitae auctor — suppressis his, quae omnino extra usum videntur, vel humanae conversationi sunt incognita, quia in-

---

1) cf. locos pag. 307. Not. 1. collatos.

2) Sigiberti Vita S. Maclovii exstat manuscripta in eodem cum Vita S. Guiberti et Libello de gestis Abb. Gembl. codice Lipsiensi (de quo vide supra pag. 257. 260.) fol. 62—78 *b* iisdem verbis initii atque in textu edito. cf. Naumanni Catalog. l. c. Nomen ibi *Masclovus*: legitur. In Sanderi Bibl. Belg. msceptr. I. pag. 262. in Catalogo manuscriptarum vitarum Sanctorum exstantium Insulis apud Claud. Doresmieulx (1640) Vol. B. Nr. 22. annotatur: Vita Sancti Macuti, cujus Prologus incipit: Quoniam philosophia: et textus: Britanniae situs insulae ab antiquis: (divers. igitur a Sig. et Mabill.; num eadem cum Boscio? sive Bilio?); ap Sander. II. pag. 108 in Catalog. mspt. codd. Bibl. monast. B. Mariae de Laude ord. Cist. dioec. Tornac. (1642) Codice Nr. XXXVII. inter Legenda Sanctorum, Nr. 33. de *Macuto*: annotatur.

3) cf. Cap. 6. et 7. l. c. pag. 218.

accessibilia, ad ea, quae de Sancto nostro specialiter describenda coepimus, et quae certis argumentis facta probantur, stilum vertamus." Beatos igitur viros longa navigatione fatigatos, atque Angelica visitatione admonitos, ne quod ubique esset, longo maris circuitu, longisque terrarum spatiis quaererent, cum ubique praesens Deus non extra cordis hospitium in hac mortali vita sit quaerendus — ad monasterium esse reversos. — Fusius de eadem re alter Maclovii biographus, Boscianus egit[1]): „Insulam in illis partibus famosissimam, in Oceano videlicet positam, *vocabulo Imam*, quae non minimam Paradisiacarum deliciarum similitudinem habere ferretur, Maclovium cum magistro et sociis disposuisse navigando adire; parata nave et omnibus tantae navigationi opportunis instructos, nonaginta quinque circiter numero fratres profectos esse; cum vero hac et illac diu navigando vagantes, insulam invenire nequissent, peragratis Orcadibus caeterisque Aquilonensibus insulis ad patriam rediisse," Machutem vero ordinatum episcopum ad praedictam insulam, in qua fama ferretur coelicos cives inhabitare, cum magistro Brendano aliisque sacris aeque viris alterum iter parasse, qua per septennium in mari versati septies Pascha celebravissent; relatione de gigante resuscitato et ceto marino immixta, addit Henschenius — cui hoc debemus fragmentum — a vitae auctore prosperum peregrinantium reditum tradi.

Quae relationes, quales in Vita ipsa fuerint, cum ignoremus, fortasse ex iis, qui illa utebantur, conjecturam facere licet; — primum e Sigiberto nostro, qui hoc modo narrationem exorsus: „fama, quae facta et infecta soleat loqui, tradi „esse quandam insulam in mari, quae praeter cetera felicitatis suae commoda, quibus prae ceteris terris et insulis credatur abundare, hoc miraculo dignum dicatur habere insigne, quod coeli cives in ea ferantur habitare" addit: „Super hoc si rei consideretur veritas, ex illo illis insulanis hanc vi-

---

1) cf. Cap. 5. et 6. ap. Acta Sanct. Mens. Maji Tom. III. pag. 602.

vendi felicitatem imputari, qua apud eos in nullo exorbitaret moralis rectitudinis probitas, immo in omnibus potenter regnaret naturalis legis sanctitas." — Ad hanc insulam — quam et alio loco nomine usitato „fortunatarum insularum" designat,[1]) investigandam Maclovium exemplo Brendani incitatum esse „quippe cujus tota intentio ad felicem insulam quaerendam non minus flagraret, et qui hujus *novae* peregrinationis incentor existeret[2]) et auctor, *ut scriptura vitae ejus demonstrat*, quam si quis desiderat legere, quid de ea aestimare debeat, sapientium ediscat judicio." Utrum vero eos „sola quaerendae felicis habitationis voluntas" ad illud iter commoverit, an „aliqua ex parte subrepserit animis eorum humanae curiositatis voluptas" discutere non audet, tamen, ut hoc iter Deo non displicuisse probaret, quaedam miracula adnexuit. — Paschalem apparuisse solemnitatem, quam cum S. Maclovius solemnibus Missarum rite celebratis agere voluisset, locus vero ei deesset, *quippe qui circumferens visum, quantum permittebat horizon, nihil videret, nisi superius caelum et inferius liquorem aquarum*, obnixas preces ad Deum mittenti praesto fuisse balenam, tantae corporis vastitatis, ut rupes, tantaeque immobilitatis, ut insula stabilis esse ab hominibus putaretur, in hac omnes navigationis socios numero fero centum octoginta sacramentorum ordinem rite celebrasse, atque demum in navem reversos, balenam fuisse, in qua substitissent, et quanto periculo Dei auxilium eos eripuisset, intellexisse. Tum „cum tantopere pro quaerenda illa laudabilis famae insula laborassent" factum esse, ut ad *aliam* insulam applicarent; ibi, optata arena potitos, offendisse tumulum sepulti hominis giganteae molis et proceritatis; hunc a mortuis suscitatum a Maclovio interrogatum, quis

1) Chron. ad an. 561.

2) Primam igitur navigationem a Vitae Boscianae auctore Cap. 5. enarratam silentio transmittit, fortasse eam inter superflua ducens, quae recidere in animo haberet. —

et unde fuerit, et num Christiana fide imbutus sit, responsum dedisse: „se a parentibus suis occisum esse atque infernalibus claustris deputatum, dirum et interminabilem tulisse cruciatum, se quidem, cum cognitionem sanctae trinitatis habuisset, at in vita eam agnoscere noluisset, precari, ut dignus censeatur, qui baptismo salutari renascatur; tunc igitur a Maclovio baptizatum atque viatico Dominico instructum, quindecim diebus supervixisse atque defunctum in eodem tumulo repositum esse; navigatores vero, incassum exhausto labore diutino, atque cum septennio expleto nulla spes desideratam insulam inveniendi reliqua esset, in patriam rediisse. —

Praeter Sigibertum afferendus est Vincentius Bellovacensis, qui in excerptis e gestis S. Maclovii Vitam Boscianam vel similem illi recensionem adhibuisse videtur.[1]) — Redolet illam, quod duo itinera distinguit, atque de primo illo ante episcopatum Maclovii suscepto eadem fere sed in breve coarctata affert[2]), in narrando autem altero itinere primum navigatores septimo demum anno in insula quadam sepulcrum invenisse contendit; paululum tamen immutatam narratiun-

---

1) cf. Vinc. Bell. XXI. Cap. XCIII. post locum Sigiberti ad an. 561. Ex gestis ejus. Hic parentibus etc. cum locis Vitae Boscian. Cap. I. cf. pag 307. Nota 1.

Et in pluribus locis, in quibus Vitam Boscianam conferre non licet, fabularum ordo et explicatio ad Sigibertum prope accedunt. cf. Sig. Cap. 4. cum XXI. 96., ab init. — illuminatam; Sig. Cap. 13. cum Vinc. Cap. 99. ab init. — falconum; Cap. 14. et 15. cum Vinc. Cap 99. Cum autem — usque ad fin.; Cap. 18. 19. cum Vinc. Cap. 100. ab init. — reduxit; quamvis non e Sigiberti Vita excerptos esse constet (cf. Cap. 94. 95. cf. Cap. 100. Denique — rependens astu, et infra). Unde opinioni nostrae, Vitam Boscianam Sigiberti fuisse fontem praecipuum, auctoritatem magnam accedere putamus. —

2) Cap. 96. pro: *insulam* Oceani .... *Imam*: legitur: *silvam* Oceani nomine Imam. — Omittitur illud: „peragratis Orcadibus caeterisque Aquilonensibus insulis."

culam de gigante exsuscitato,[1]) ipsumque Milduini sibi nomen tribuisse tradit; baptismate vero peracto cum navigatores ab eo sciscitarentur „utrum insulam illam nomine Imam ipse maris incola nosceret, illum respondisse: se olim, cum per mare ambularet, Imam insulam vidisse, omnibus insulis nitore et deliciis praestantem; introitum autem nullum in ea sibi apparuisse; se tamen indignum se credere, qui, utpote gentilis, haec intret moenia, quorum decorem mirarentur coeli palatia." „Tunc, sancto episcopo petente ab eo, ut praevius ductor navim in eam partem dirigeret, illum capto rudente, quasi cedrina proceritate sublimem, profundum pelagi pedetentim gradiendo sulcantem, navim post se traxisse; fretis vero ferventibus insanientibusque ventis, oborta tempestate contraria, quominus ad locum illum progrederentur, impeditos, reversos esse ad insulam gigantis, eumque ibi defunctum sepeliisse." — Inde,[2]) spe insulam inveniendi jam abjecta, in reditu solemnibus Paschalibus incidentibus, in dorso balenae missam agere coactos esse; — in hac tamen narratione Vincentius Sigiberto fabulosior existimandus est, cum socios itineris, se in bellua substitisse jam inter ipsam orationem dominicam cognovisse tradat.[3]) —

---

1) Cap. 97. Sic illud „gigantem a parentibus occisum esse" omittit: contra eum „confessum esse Christum verum deum et filium dei esse: judaeosque ejus crucifixores centies aeterno incendio plus aliis incredulis cruciari se vidisse" ex ipsius ore tradit.

2) Cap. 98.

3) Inde plura traduntur de precibus a Machute ad Deum missis, ut periculum illud averteret, de verbis exhortatoriis ab eo ad socios prolatis etc.

Utrum Sigibertus haec, in Vita Bosciana exstantia, omiserit, an Vincentius ex alia ejus redactione addiderit (nam pro suo more non ipse haec primus effinxisse videtur) integro textu collato, facile intelligetur. Henschenius l. c. (vide supr. pag. 309.) relationes de gigante et ceto immixtas esse perhibet, unde ordo Vincentii magis, quam ille Sigiberti cum Vit. Bosc. convenire videtur. —

Similes mythi etiam in alia medii aevi documenta transierunt; atque in iis quidem memoria Brendani illam Maclovii antecellit. Sic in Vita S. Abbani Abbatis de Magharnvide,[1]) S. Brendanus, reversus de navigio suo, quo terram repromissionis quaereret, a sancto Abbano interrogatus, cuncta mirabilia, quae inventa sunt in Oceano, ei diligenter narrasse perhibetur; in Vita S. Davidis, Archiepiscopi Menevensis[2]) Abbati cuidam, Barre nomine, super equo mare longius ingresso, *S. Brendanus*, *qui super marinum cetum miram ducebat vitam* apparuisse traditur. Eo magis mirum est, quod in secunda Vita S. Carthaci, Episcopi et Abbatis Lismoriensis[3]) Brendanus — quem in nostris Actis semper insulam illam desideratam frustra quaesiisse vidimus — *terram repromissionis Sanctorum invenisse* dicitur; quin etiam Glaber Rodulfus lib. II. cap. 2.[4]) ceti alicujus mirae magnitudinis, anno 1004 per mare descendentis in locum qui Bernovallis nuncupatur, mentionem injiciens, gesta egregii *Bendani* (sic) confessoris Orientalium videlicet Anglorum singulari modo in memoriam revocat. In his enim legi — ait — virum Dei Bendanum cum monachis pluribus per aliquod temporis spatium per marinas insulas heremiticam transigentem vitam hanc vel huic similem quondam obviam habuisse belluam. Nam cum remigrando quasque in mari constitutas circumiret insulas, noctis crepusculo superveniente, huic, quam procul velut maritimam insulam cerneret, appulisse, atque dum socii in belluae dorso unius noctis hospitio invento, somno se dedissent solum pervigilem per noctis conticinium cautius ventorum vi et siderum cursibus exploratis, repente intellexisse se a promontorio illo, ad quod hospitaturi divertissent, ad Orientalem evehi plagam. Luce alterius diei exorta, Bendanum

1) cf. Acta Sanct. Maji. Tom. III. pag. 602.

2) cf. Acta Sanct. Mens. Mart. Tom. I. pag. 44. e Ms. Ultrajectino (cf. Comment. praev. pag. 38. Nr. 5.) Nota d.

3) cf. Acta. l. c. pag. 602. ad diem XIV. Maji eod. vol. pag. 378.

4) ap. Pithoei Hist. Franc. script. pag. 12 — 13.

collegas convocatos exhortatum esse, ut Deo gratias referrent indefessas, qui sua providentia ipsis in his marinis fluctibus praepararit vehiculum non egens humano remigio. Itineris socios, divinae providentiae sese committentes, atque viri sancti prudentia fretos, jam securiores eventum rei praestolatos esse. Hujusmodi igitur per spacia plurimorum dierum nisos evectione semper se ad solis ortum tendere conspexisse; tandem perventum esse ad insulam prae caeteris speciosam, atque omni amoenitate gratiosissimam, avium atque arborum omnium habitudine dissimilem; egressum quoque virum saecularem reperisse ibi monachorum, vel potius Anachoritarum collectas miras ac multiplices, quorum scilicet vita et conversatio universorum mortalium studiis sanctior atque nobilior enituerit. Ab his magna cum charitate susceptos pluribus diebus ibidem commansisse, atque de multis, quae ad veram pertinerent salutem, diligenter instructos ad nativum reversos solum, universa quae comperissent narrasse." — En habes loco frustrati itineris perfectam fortunatarum insularum detectionem, secundum fidem gestorum S. Brendani ipsorum enarratam.

His e fontibus, qui vel vetustate commendantur, vel ratione quadam cum Sigiberto nostro usi sunt, allatis, plura alia, quae fabula exuberante de hoc S. Brendano edita sunt, tanquam loco et consilio nostro minus idonea, transimus, memorato uno tantum libro quodam, vernaculo sermone conscripto, atque sicut et omnis dicendi color, et imagines miraculorum teterrimo stylo exculptae evincunt, in usum vulgi (anno 1513) edito,[1]) in quo hae fabulae ad summum — quantum nos

---

1) Sant Brandons buch und leben. was wunders er erfarenn hat auff dem mere neun gantze jar wye er gar offt und dicke in grofser verlickeyt gewesen ist das gar liblichen ist zu lesen.

In fine: Gedruckt in der löblichen stat Erffordt durch Hans Knappen als man tzalt tausent funfhundert und in dem dreytzehenden jar nach unsers hern Cristi geburt. — 15 folia. 8vo maj.

quidem scimus — finem pervenerunt. Narratio hoc modo exordiebatur, ut Brandanum, Abbatem quendam Hibernum librum invenisse traderet, ex quo miracula coeli, terrae, marisque a Deo creata cognovisset: tres scilicet esse coelos, duos paradisos, atque novem ignes purgatorios; esse multas terras desertas atque regionem, luce toties diurna illustratam, quoties apud nos nox ingruerit. — Esse pisces in mari tantos, ut in eorum dorsis et collis silvae magnae excrevissent; esse in scopulo maris Judam Ischariothem Domini proditorem maximis poenis cruciatum etc. Cum vero Brandanus librum, quem fabularum plenum esse existimaret, igni cremasset, apparuisse ei angelum, eique propter hoc interpellato praecepisse, ut per *novem* annos maria peragrans omnia haec miracula videret periculaque ipse perpeteretur. Tunc, navi instructa, cum *duodecim* sociis iter ingressum eum mira portenta vidisse, quae vividis sane coloribus depinguntur. — Legis ibi inter alia, tempestatum maris caenosi ignisque purgatorii pericula a navigantibus superata, paradisiacas aedes non solum tactas sed etiam perlustratas, diaboli potentiam qui jam unum sociorum, qui quidem ibidem furti crimen in se admisisset, abstulerat, precibus eorum elusam, Sirenae pellicias rejectas, et solitarium quendam sanctum et Judam in itinere salutatos, — quae tibi jam et veteris fabulae habitum ita esse depravatum, ut vix eandem atque illam esse contendere possis, satis demonstrabunt, atque quantopere hujus mythi fama angustos monasteriorum parietes transgressa ipsum vulgus perfuderit, atque, ut fieri solet, eadem, qua increbruerit, etiam degenerarit, ratione docebunt. —

Multo gravius est, quod nostris diebus Vir Summus, Alexander de Humboldt, pro sagacitate et eruditione sua, quae nostra laude non eget, notas de insula Ima, de gigante resuscitato fabulas ea, quae veteres de Maris Cronii miraculis fabulati sint, redolere plurium testimoniis demonstravit,[1])

1) Examen critique de l'histoire de la Géographie du nouveau continent et des progrès de l'Astronomie nautique aux quinzième et

simul docens, quanti momenti in omnibus medii aevi tabulis geographicis et in ipsis eorum qui saeculo XV. navigationes ad detegendum novum terrarum orbem instituerunt, studiis fuerit haec „Insula S. Brandani;" quae quum usque ad saec. XIV. semper in regione Hiberniae vel aequali, vel magis ad septentrionem spectante sita putaretur, [1]) ab eadem aetate in australem regionem ab insulis Canariis in Orientem versam, translata ibique cum insulis fortunatis commixta est, [2]) quin etiam

---

seizième siècles. Tom. II. pag. 163. St. Brandon. Il est important de signaler la filiation et la migration de cè mythe géographique. Les voyages de deux Saints, de l'abbé irlandais de Cluainfert, *Brandanis* (vide ibid. de diversis nomen scribendi modis) et de Maclovius, ou saint Malo, qui ont été ornés de traits fantastiques, la persuasion répandue dans le sixième siècle de l'existence d'une ile des Bienheureux dans le nord-ouest de l'Europe sont un reflex des traditions de l'antiquité sur les merveilles de la Mer Cronienne. Les moines cherchaient le paradis de l'île Ima, dans le *marc nigrum* et *cacnosum* des Romains, qui est leur Klébersee où Océan visqueux. Plutarque nous dépeint les îles Sacrées de la Mer Cronienne près de la Bretagne, où regne une douce temperature, où Saturne, enfermé dans un antre profond, sommeille sous la garde de Briarée. Ce tableau rapelle la fertilité d'Eden (Paradisiacas delicias etc. vide supra) de l'île Ima, qui est très cachée aux mortels; elle rappelle le géant Mildum, que saint Brandon (sive S. Maclovius) résuscite dans la caverne qui lui sert du tombeau. Procope, qui était contemporain de saint Brandon, et Tzétzes qui est leur postérieur presque de six siècles, prouvent que les anciennes croyances des merveilles de la Mer Britannique se sont conservées dans les lieux mêmes où le christianisme avait pénétré. vid. loc. veter. et recentior. ibid. cit. cf. Humboldt. I. 355.

1) Insula S. Brandani e regione Terrae Cortereali sive novae Franciae Americae septentrionalis sita, in Oceano boreali. ex Honor. Philoponi Navig. Orbis Ind. Occid. Patr. Ord. S. Bened. 1621. pag. 14. ap. Humboldt. l. c. pag. 166. cf. ibid. pag. 172.

2) cf. Humboldt. l. c. II. pag. 172. in tabula Pizigani (Veneti) eadem cum promontorio Cantino latitudine. Isole dicte Fortunate S. Brandany,: inveniuntur, ipsa imagine Sancti, versus insulas brachia ten-

in Globo Martini Behaimi in regione Promontorii Viridi invenitur.[1])

Itaque cum hunc mythum arctissime cum ultimae antiquitatis fabulis cohaerere et plurimam vel doctorum virorum, qui in fine medii aevi literis geographicis operam dabant, conjecturis vim habuisse intellexerimus, majori a nobis jure postulari posse videtur, ut in ipsum tam variarum tamque discrepantium narrationum fontem inquiramus, Gesta — dico — Brendani, anonymo Vitae S. Maclovii auctori jam cognita. Ex his sua se excerpsisse fatetur Glaber; ad eadem Sigibertus, qui sibi religioni duxisse videtur, de rebus tam miraculosis, quaeque ipsi fortasse traditionibus sacrosanctis contradicere videbantur, tacere, lectores relegat, idemque Vincentius fecit,[2]) qui in vasta sua collectione historica Brendani mentione facta „hujus peregrinationis historiam propter apocripha quaedam deliramenta, quae in ea videntur contineri penitus ab opere isto resecuisse" fatetur. — Idem judicium secutus est Godefridus Henschenius,[3]) qui *quamvis eam duplicem, ex antiquis codicibus Mss. pluribus collectam* haberet, tamen non intellexit, quantum fabulas has cognoscere interesset.

Utinam nostra aetate aliquis vir doctus e codicibus mscr. quos hic vel illic in bibliothecis latere constat,[4]) gesta illa

---

dentis addita. cf. ibid. II. 187. de tabula geogr. biblioth. Vimariensis anni 1424.

1) cf. Murr: biplomatische Geschichte des Ritters Martin Beheim. Nürnberg. 1778. mappam ad pag. 22. et pag. 27. Nach Christi gepurt 565 Jar kam Sand Brandan mit seim Schiff auf dise Insel der doselbst vil wonders besach und der über siben Jar darnach wider in sein Landt zog. Humboldt, l. c. II. 25. 172.

2) cf. lib. XXI. Cap. 81.

3) l. c. pag. 602.

4) In Collect. Vitar. Sanctorum Insulensi ap. Claud. Doresmieulx supra cit. pag. 308. Not. 2. Volumine C. Nr. 13. citatur. Vita Sancti Brendani, cujus initium: Sanctus Brendanus filius: mutila; in Col-

miraculosa atque jam nimis longe desiderata typis excudenda curet! —

---

lect. Laudensi ibid cit. annotatur: Nr. 66 *de Brendano.* In Catalogo Codd. msctor. Biblioth. Paulinae in Academia Lipsiensi concinnato a L. Joachim. Fellero. Lipsiae 1686. 12. pag. 161. in Repositor. Theol. III. Ser. III. in fol. Nr. 43. annotatur: Vita Brandani (cum pluribus aliis) ibid. pag. 164. in ejusdem Rep. Theol. III. Ser. IV. in 4to. et 8vo. Nr. 15. (cum pluribus aliis) Vita S. Brandani Abbatis. — Hanc Christianus Daumius jam an. 1683. descripsit, et in Epistola ad Fellerum „nec fecisse poenitet" confitetur. cf. Felleri Mon. ined. fasciculi XIII. 4. pag. 623. Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde. I. 461.

V. MISCELLANEA.

1. ECCLESIASTES.

Sigibertus ipse quodam catalogi operum suorum loco „se descripsisse heroico metro Ecclesiasten (scil. Salomonis) eumque opere stromateo tripliciter digessisse, ad litteram, allegorice, mythologice" ait.

Miraeus, qui eundem librum adhuc inter opera Sig. Gemblaci exstare vidit, eum designat „fusissime descriptum." [1]) Certe si incendio Gemblacensi non superstes maneret, minus id dolendum esse censemus, quam si historicus aliquis ejus liber periisset. —

2. LIBER DECENNALIS
sive Computus ecclesiasticus.

Sigiberti librum Decennalem Miraeus adhuc inter codices manuscriptos vidit atque ejus exordium typis edidit; qui utrum adhuc exstet, an incendio illo monasterii Gemblacensis, quod plura Sigiberti opera consumpsisse jam cum dolore conjecimus, interierit, dubium est. — Certe locus, in quo adhuc illius aliquod exemplar reperiri possit, nullus notus est. Et sane iis ipsis, quae de ratione annos Christi computandi auctor diligentissimus atque in omnibus sacrae et profanae eruditionis regionibus mirum quantum versatus statuerit, prorsus aegre careremus, nisi ipse de hoc libro accuratius quam de

1) Praefat. ad Chron.

alio ullo disseruisset,[1]) atque quod pro certo exploratum haberet, variis Chronici locis proposuisset.

Atque ut quale id fuerit, exponamus perpauca tantum opus est praemittere. — Pervulgatum est, Christianos jam a primis ecclesiae initiis his quaestionibus, quo tempore pascha sit celebrandum et qua ratione illud tempus sit constituendum, exagitatos esse. — Praetereamus omnes controversias, quae unquam inter Christianos e Judaeis et Christianos e paganis conversos, inter Ecclesiam Alexandrinam et Romanam ortae sunt[2]); satis sit monuisse, rationem Alexandrinam, quippe quae se pluribus exemplis meliorem praeberet, tandem superiorem factam et celebratissima Dionysii Exigui opera in Ecclesia Occidentali stabilitam esse, sensimque de hac re inter Christianos convenisse.

Unum tantum reliquum erat, nostra quidem aetate vix commemoratione dignum, illa tamen tam grave, ut repetitas semper disquisitiones provocaret. — Accesserat enim ad rationem secundum traditiones evangelicas statutam „Christum passum esse luna XV. (mensis Nisan) feria VI. et resurrexisse luna XVII. prima (feria) sabbati (i .e. die Dominica)" traditio quaedam, jam in Evangelio Nicodemi lecta[3]) atque plurium patrum, Tertulliani,[4]) Augustini,[5]) Hieronymi[6]) auctoritate confirmata, Christum passum esse VIII. Cal. Aprilis, eodem

---

1) scil. libro de viris illustribus. Cap. 171. vide infra.

2) Eas omnes disquisivit V. Cl. Ideler libro suo laudatissimo: Handbuch der Chronologie. II. 191—295. Nos doctrina et auctoritate viri peritissimi in hac disquisitione plurimum adjutos esse ,libenter confitemur.

3) cf. Ideler l. c. II. 202. Nota 3. pag. 420. Not. 1.

4) adv. Iudaeos. c. 8. ap. Ideler. II. pag. 413—414.

5) de civ. Dei lib. XVIII. vers. fin. ap. Ideler II. pag. 414.

6) S. Hieronymi Martyrol. ad diem VIII. Cal. April. Hierosolyma Dominus noster Jesus-Christus crucifixus est. VI. Cal. Apr. Hierosolyma Resurrectio Domini nostri Jesu Christi.

igitur, quo et conceptus sit, die.[1]) Cum porro Dionysius secundo cycli sui magni 532 annorum anno incarnationem Christi fuisse, eundem igitur 25 die Decembris anni I. p. Chr. natum esse statueret,[2]) atque eum triginta duos annos et tres menses vixisse adderetur[3]) passionis ejus annus in annum 34 p. Chr. i. e. in an. 35. cycli inciderit necesse erat.

---

1) Augustin. de trin. lib. IV. c. 5. „Octavo Calendas Aprilis conceptus creditur Christus, quo et passus" ap. Ideler. II. pag. 328. Nota 2. Inde Beda de rat. temp. cap. 45. (in Opp. omn. ed. Colon. 1688. fol. Tom. II. pag. 88.). „Nam quod Dominus XV. luna feria sexta crucem ascenderit, et una sabbatorum, i. e. die Dominica, resurrexerit a mortuis, nulli licet dubitare Catholico, ne legi, quae per agnum paschalem decima quarta die primi mensis ad vesperam immolari praecipit, pariter et Evangelio, quod Dominum eadem vespera tentum a Judaeis et mane sexta feria crucifixum ac sepultum, prima sabbati resurrexisse perhibet, videatur incredulus. Quod autem VIII. Cal. April. crucifixus, VI. Cal. earundem die resurrexerit, multorum late Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum." — Quomodo haec traditio cum tabulis Hippolyti in centum duodecim annos praescriptis cohaereat, acute pervestigat Ideler. II. 421. Nota 1.

2) Quod jam e Bedae libro de rat. temp. Cap. 45. l. c. recte docuit Ideler II. pag. 384.

3) Beda, consonans quidem rationi illi, ex Evangelio Joannis saepissime deductae. Cap. 45. „Habet enim, ni fallor, Ecclesiae fides, Dominum in carne paulo plus minus quam XXXIII. annis usque ad sua tempora passionis vixisse, quia videlicet XXX. annorum fuerit baptizatus, sicut Evangelista Lucas testatur, *et tres semis annos post baptisma* praedicaverit" tamen idem eodem cap. . . . . Quoniam ergo DXXXII. annis circulus paschalis circumagitur. His adde XXXIII. vel potius XXXIV. ut illum ipsum, quo passus est Dominus, attingere possis annum, fiunt DLXVI. Ipse est ergo annus Dominicae passionis et resurrectionis a mortuis. Quia sicut quingentesimus tertius primo, ita quingentesimus sexagesimus sextus tricesimo quarto per universos solis et lunae concordat discursus" unde eum Christum tricesimo quarto p. Chr. ergo (cf. not. 2.) tricesimo tertio aetatis anno passum esse existimasse patet. cf. de Sigiberto infra.

Cujus anni *numerus aureus* cum sit 16, novilunium mensis verni die octavo Martii, itaque luna quartadecima sive *terminus paschalis*, die XXI. Martii (XII. Cal. April.) in conspectum venit; cum porro idem annus *litteram dominicalem* C prae se ferret, dies XXI. Martii incidit in diem dominicam, atque Pascha hoc anno V. Cal. Apriles, i. e. 28 die Martii celebrandum erat[1]) unde passionis annus ex Dionysii regula ipsa deductus cum veritate evangelica pugnare videbatur. —

Quam pugnam Bedam, egregium medii aevi ratiocinatorem, cujus libro de ratione temporum computatio a Dionysio instituta multum haud dubie celebritatis debet, jam sensisse manifestum est, quippe quum ipse in anno 566 p. Chr. (scil. 35 anno cycli Dionysiani denuo repetiti) lunam XIV. die IX. cal. April. feria V. oriri ex evangelica veritate posceret, atque jam haec non ita evenisse, intelligens („si haec repereris") exclamat:[2])

„age Deo gratias, quia quod quaerebas, sicuti ipse promisit, te invenire donavit."

Ex hac tamen evangelica ratione Dionysii computationem vix emendare ausus esse videtur, immo etiam, si annus in loco, qui putaretur, inveniri non poterit, vel Chronographorum incuriae, vel potius tarditati propriae adscribatur suadet, ne Chronicorum scripta defensando intemerabile legis vel Evangelii testimonium impugnetur.

Neque sane exiguum erat discrimen rationum illarum, si quis acriter ad earum leges tempora distinguere vellet. — Annus enim, quo luna XV. mensis vernalis incidit in feriam VI. et diem VIII Cal. April. tantum talis esse potest, cujus numerus aureus est 13, littera dominicalis B.[3]) — In toto circulo 532 annorum quater tantum talis annus invenitur, scil.

---

1) cf. Sig. ad an. 532. et infra.

2) de rat. cap. 45. l. c. Inde Sigibertus: cum ab eo (scil. Beda) notam *ironiae* (quod deest ap. Mir.) Dionysio cyclorum scriptori infligi viderem. . . .

3) cf. Petavium de doctrina temp. XII. 4. Antverp. 1705. Tom. II. pag.

annus (13) 12 p. Chr. quo ad numerum aureum 13 accedit cycli solaris numerus 21 (CB); annus (260) 259 p. Chr. 13. 16. (B.); annus (353) 354 p. Chr. 13. 27. (B.); annus (450) 449 p. Chr. 13. 10. (B)[1]); quorum, cum tres posteriores prorsus non in quaestionem vocari possint, nullum nisi 13. i. e. 12. p. Chr. restat. Statuta igitur passione Christi in die VIII. Cal. April. luna XV. feria VI. Dionysium in aera Christiana struenda XXII. annis a recto aberrasse oportet.[2]) Quod Beda subobscure attigit, Marianus Scotus distincte expressisse videtur, cum in Chronico suo alteri paginae lateri annos secundum Dionysium vulgares, alteri annos secundum „Evangelium" viginti duobus annis majores adscriberet[3]) et primis octo capitibus libri I. et libro II. adhuc ineditis[4]) de hoc discrimine accuratius disputaret.

---

224. cf. ibid. de Paulo Forosemproniensi, qui in eundem errorem incidit. Ideler. II. pag. 379.

1) Potavius l. c. perperam tantum in tres annis cycli, XIII., CCLX., CCCCL. litteram dominicalem B. cum numero aureo 13 convenire contendit. —

2) Inde Ideler l. c. pag. 379. recte: der Schluß ist richtig, aber niemand verbürgt uns die Richtigkeit des angeblichen Todestages. —

3) Sig. libr. de vir. illustr. Cap. 171. Si quidem Marianus Scotus vir suo aevo longe disertus hoc idem ingressus erat et Chronicam suam texens a Nativitate Christi usque ad statum sui temporis hinc annos Christi juxta fidem Evangelii inde e regione juxta Dionysium ordinaverat, ut diligentiae lectoris pateret, quantum ipse Dionysius a veritate Evangelii deviaret. cf. de eo libr. de vir. illustr. Cap. 159. (ubi pro XXII. perperam legitur XXIII.) Chron. ad an. 1082. In Florentio Wigorniensi duplex annos Christi numerandi ratio invenitur, quamquam in textu edito cum multis aliis, quae Mariano propria sunt, omissa est. —

4) Quorum titulos vide a Stenzelio editos in: Archiv V. pag. 770—776. lib. I. Cap. 1. de disputatione Dionysii exigui supra passionem et resurrectionem Christi. 2. de ratione evangelica contra eum etc. lib. II. ineditus, neque in nostra editione Florentii repetitus LXXXIII. Capp. solum de Vita J. C. agit; sic. Cap. 7. Quomodo triginta duo annorum ac dimidii anni nec non triginta quatuor annorum, teste

Hos chronologicae rationis duces secutus est Sigibertus. Se Bedae librum de temporibus, sicut ipse auctor eum nominasse videtur (i. e. de temporum ratione) diligenter relegisse suo jure gloriatur;[1]) e Mariano ipsum illud discrimen XXII. annorum recepisse videtur, quum in Chronico ad an. 532. et ad an. 1063. Dionysium ob id reprehendat, quod in anno passionis Christi, tricesimi tertii ab ejus incarnatione (scil. 35. an. cycli) lunam XIV. die XII. Cal. April. feria I. Pascha V. Cal. April tradat, annum 1073., decimum cycli denuo repetiti, ipso cum Mariano XV. anno Tiberii parem esse moneat[2]) in anno 1076, decimo tertio cycli, omnia signa paschalia, qualia in anno passionis Christi secundum verita-

---

scriptura, Dominus passus sit etc. Cap. 20. De inquisitione anni resurrectionis Domini secundam Bedam, et testimonium Bedae latitans, quod in eodem anno Dominus in octavo die Calendarum resurrexit a mortuis." En fontem doctrinae Sigiberti!

1) Etiam aliorum virorum, qui in arte chronologica ante Dionysium et Bedam excellebant, dignam fecit mentionem in Chronico et in libro de vir ill., sic de Theophilo Chron. ad an. 382., de Cyrillo ad an. 437. Lib. Cap. 24; de Paschasino lib. cap. 25. et de die Paschali anni 417. in Chron. (cf. Bedae. libr. cap. 41. Flor. ad an. 417. 444. 532. pag. 549. infr. Mar. ad an. 445.); de Proterio Lib. Cap. 26. de Victorio et Victore Chron. ad an. 462. 521., lib. Cap. 20. (ubi tamen pro VII. cal. Maji VIII. pro anno CCCCLV., DL. legendum esse videtur. cf. Bedae libr. cap. 49. Ideler II. 293.)

Chilperici libri de computo, cujus in Chron. ad an. 1005. Libr. de vir. ill. Cap. 145. ita mentionem facit, ut ipso anno 1005 conscriptum esse docere videatur, prologum edidit Mabillonius (Analecta ed. cit. pag. 431.) idemque ex apographo operis antiquo auctorem anno 980 ei scribendo operam navasse, exemplum vero a Sigiberto inde allatum (in Chron. 1005.) ibidem non inveniri, atque igitur fortasse a scriptore codicis, quo noster usus est, additum eum decepisse docet.

2) quo cum littera ejus Dominicalis esset F. (18.) dies Epiphan. VIII. Id. Januar. erat dominica, initium jejunii II. feria, tentatio diaboli diebus XL. in deserto peractis, feria sexta XV. Cal. Martii. cf. Mariani text. edit. et Florent. ad an. 1073.

tem Evangelicam evenissent, repeti doceat,[1]) atque ita Mariano pleno ore assentiatur.

Nihilominus aliquot locis in annorum, quibus evangelica veritas a ratione Dionysii differat, numero haesitare videtur. — Nam Cap. 27. libri de vir. illustr. Christum vel tricesimo secundo vel tricesimo tertio anno incarnationis suae passum esse dicens, 34 vel 35 cycli Dionysii annum[2]) n[illegible] [illegible]spondere Evangelicae veritati, ideoque nativitatem Christi v[illegible] [illegible] vel XXII. annis serius, quam debuerit, constitutam esse concludit; in annis 979 et 1076 [3]) Chronici Dionysium XXI. annis a veritate Evangelica distare memorat, haud dubie magis a vero declinans, quam si [illegible] annos dixisset, cum hypothesis, quae Christum t[illegible]esimo secundo aetatis anno passum esse sumit, mult[illegible] [illegible]minus commendet. —

Dionysium v[illegible]o neque XXI. neque XXII. annis a vero aberrasse, evi[illegible]tius est, quam ut multis a me hic demonstretur. Sa[illegible] est monere, vel hoc falsum, quod secundo cycli Dion[illegible]o anno Christum natum, anno ejus cycli XXXIV. vel XXX[illegible] passum esse statueretur,[4]) porro, utrum die XV.

1) [illegible]ianus (text. edit. ap. Struv. l. c. pag. 618. Flor. l. c. pag. 551.) [illegible] n. 544. i. e. 13. cycli Dionysiani annum passionis secundo con[illegible] ex hac regula contendit.

2) [illegible]m merum esse errorem, quod loc. cit. „si nativitas Christi recte a calculatoribus posita fuisset, eam debuisse XXXIII. vel XXXIV. ann[illegible] primi magni anni concordare in ratione computi Evangelicae veritati" dicatur Dionysiusque culpetur, „quod XXXIII. vel XXXIV. (utroque loco pro 34 et 35) sui operis anno non concordet Evangelicae ve[illegible] in ratione computi" interiori loci cognitione, et Sig. dictis ad an. 532 confirmatur. Cohaeret hic error fortasse cum alio, quem Sig. ad an. 532. et in Libro de vir illustr. Cap. 27. commisit, scil. quod annum 532 ultimum cycli Dionysiani, semel exacti a nativitate Christi perhibet, cum is tamen esset 531. Contra alterius cycli Dionysiani annum ultimum fuisse 1063 recte annotavit. cf. etiam ad an. 1076.

3) Ubi tamen haud dubie pro: tricesimus tertius: legendum est: tricesimus quartus.

4) cf. Ideler, II. 385—411.; 413 [illegible]422.

an die XIV. Nisan Christus passus sit, admodum adhuc dubium esse[1]) diem passionis VIII. Cal. April. esse, certo nullo argumento probari posse, immo gravissimis indiciis refutari,[2]) atque sic cum thesin tum antithesin Mariani collabi. — Illa aetate tamen hic error ita invaluerat, ut non solum Petrus Damiani eum non vitaret[3]) sed etiam Urbanus II in diplomate annum „sec. Dionys. 1098, secundum veram Evangelii probationem 1121" insigniret,[4]) et Guilelmus Malmesbiriensis, dignus profecto, qui inter ingeniosissimos aetatis suae historicos referatur, cum Marianum Scotum ob hanc rationem laudasse, tum vero id ipsum aequalium inertiae exprobrasse videatur, quod eum non secuti essent.[5]) —

---

1) cf. Ideler. I. 515—521.

2) cf. Ideler. loc. cit.

3) cf. Spanhemii Opera I. 205.

4) cf. Mabillon. de re diplomatica (Paris. 1709.) pag. 176. 185. Ideler. II. 379. Urbanus igitur, vulgarem patrum opinionem secutus, Christum plus quam tres annos post baptisma egisse atque tricesimo quarto aetatis anno passum esse, probatum habuisse videtur.

5) Locus ejus omnino memoratu dignus: Lib. III. fol. 65. Sub isto Imperatore (scil. Henrico IV.) regnante floruit Maurimianus (Marianus) Scotus, qui primo Fuldensis Monachus, mox apud Mogontiacum inclusus, contemptu praesentis vitae gratiam futurae demerebatur. Is longo vitae otio chronographos scrutatus, dissonantiam cyclorum Dionysii exigui ab Evangelica veritate deprehendit. Itaque ab initio saeculi annos singulos recensens viginti duos qui circulis praedictis deerant, superaddidit sed paucos aut nullos suae sententiae sectatores habuit. Quare saepe mirari soleo, cur nostri temporis doctos hoc respergat infortunium, ut in tanto numero discentium in tam tristi pallore lucubrantium vix aliquis plenam scientiae laudem referat. Adeo inveteratus usus placet, adeo fere nullus novis, licet probabiliter inventis, serenitatem assensus pro merito indulget; totis conatibus in sententiam veterum reptatur, omne recens sordet, ita quia solus favor alit ingenia, cessante favore obtorpuerunt omnia. cf. Chronicon Gervasii ap. Script. Hist. Anglican. X. Lond. 1652. Tom. I. col. 1336—1338. Ideler II. 379.

Porro Sigibertus ut ubique non solum relata referre, sed eorum, quae scitu et intellectu digna existimabat auctiorem semper copiam posteris tradere studuit, ita altius in rebus quoque chronologicis consilium spiravit, et omnem erroris nubem dimovere et verum diligentibus infundere lumen veritatis studuit. — Nam — ut ipse fatetur[1]) — considerans „fautores Dionysii semel imbibita non leviter descire, ita cautelam ingenioli sui aequa lance libravit, ut medius horum incedens omnes annos ab origine mundi decursos vel in futurum decursuros, inscripta ratione juxta Hebraicam veritatem colligeret, scil. per cyclos lunares et solares . . . . lineatim distinctis hinc inde annis Adae, Epactis, Concurrentibus, terminis Paschalibus, diebus dominicis Paschae, eadem via incedens, qua Dionysius, sed non iisdem vestigiis." „Quia decem magnis cyclis, qui singuli 532 annis constant, opus omne distinxerit, se ipsi libro titulum: Decennalis:[2]) praenotasse; prologum etiam in morem Dialogi praemissum in tres tomellos divisisse, indicantem sub persona interrogantis et respondentis intentionem et utilitatem operis, et ad quam partem Philosophiae pertineat, scil. ad Physicam; denique subjunxisse etiam utiles regulas inveniendi annos et terminos et Indictiones secundum dispositiones ipsius."

Ex ipsis ingentis hujus operis — quod, si non aliam, diligentiae certe et assiduitatis admirandae laudem meretur, primordiis, — quae Miraeus edidit, Dialogum illum fictitium esse habitum inter Sigibertum respondentem et Anselmum[3]) interrogantem vide-

1) Liber de viris illustr. Cap. 171.

2) Sic legit Miraeus Praef. ad Chron. Apud Fabric. Bibl. eccles. pag. 114. legitur: *Decemnovennalis:* quam lectionem plures praetulerunt; loci tamen connexus omnino lectionem Miraei commendat, quippe quum ipse Sigib. propter *decem* cyclos magnos eum *Decennalem* nominasse fateatur.

3) Plures eum sub hoc nomine Anselmum illum, qui postea Abbas Gemblacensis, Chronicon ejus continuavit designasse conjecerunt. cf. Mir. Praef. Hist. litt. IX. 563.

mus. — Idem primae quoque partis seu tomelli initium scil. duorum primorum mundi annorum rationem paschalem edidit talem:

Anni Adam	CCR	Epactae	Termini paschales	Dies paschales	Cycli lunares	I. Adam et Eva formantur II.
I.	VII.	I.	II. Non. Apr. IV.	VI. Id. Apr.	IX.	
II.	I.	XII.	IX. Cal. Apr. VII.	II. Cal. Apr.	X.	

Est igitur ex ejus ratione primus annus mundi *duodecimus* cycli decemnovennalis (qui cyclum lunarem semper tribus annis praeccedebat) cum littera dominicali G. vel AG. (quia dies 24. Martii incidit in feriam VII.) ideo cycli solaris annus 6 vel 12 vel 17 vel 23. Congruit annus cycli decemnovennalis 12 cum anno cycli solaris 12 anno cycli 88, idem cum anno c. s. 23. anno cycli 183, cum anno c. s. 6 an. 278. cum an. c. s. 17. an. 373. cycli magni Dionysiani. — Cum porro annus XIII. cycli solaris sit embolismus, annus in tabula Sigiberti primo loco positus non 88 cycli magni fuisse potest, quia inde anno insequenti (scil. II. mundi. vide sup.) 89. diem 24 Martii non in primam, sed in secundam feriam, et inde etiam diem paschalem in diem III., non in diem II. Cal. April. incidisse oportebat. Unde — si modo cifri apud Miraeum recte editi sunt[1]) — primum annum mundi *ex Sigiberti ratione* vel 183 vel 278 vel 373 annum magni cycli Dionysiani fuisse constare videtur.

Sigibertus in utroque textu Chronici an. 829, esse 4788 ab initio mundi,[2]) atque in eodem nonum cyclum magnum annorum 532 concludi annotavit; cum Dionysium cyclum suum primo ante Chr. nat. anno exorsum videamus, ex illius ratione 829 non erat ultimus cycli, ideoque noster aliam

1) In eo quidem sive Sigibertus, sive Miraeus erravit, quod anno II. mundi terminus paschalis (IX. Cal. April.) feria VII. annotatus sit. Erat feria I, eadem, qua Concurrens.

2) In textu Miraei quidem legitur: 4888: in textu vulgari 4688; nostram tamen lectionem (4788) et ratio ipsa et testimonium Matthaei Vestmonasteriensis ad an. 829. commendat.

quandam rationem spectasse videtur. — Quae, si initium tabulae illius sequimur, talis fuit. — E Dionysii ratione erat annus 829. 298 cycli denuo repetiti, abs quo anno si demas annos illos XXI., quibus justo serius Dionysium posuisse Christi nativitatem Sigibertus toties repetit, restat annus 277. — Cum vero ex Sigiberti ratione annus cycli ejus 277 noni cycli sui sit ultimus, quid magis consentaneum est, immo quid critices legibus ipsis magis commendatur, quam primum annum primi cycli et mundi ex eadem ratione esse annum 278 Dionysianum. Hic vero inter quatuor illos annos est, in quos signa a Sigiberto primo mundi anno praescripta quadrant. Conjecit igitur Sigibertus primum annum cycli 532 annorum incidere non in an. I. ante Chr. ideoque non in annum 532, sed in an. 553 p. Chr. atque incarnationem Christi, quam ille secundo cycli sui anno (I. p. Chr.) adscripsisse videtur, noster anno 513 cycli modo praeterlapsi mundo contigisse putavit. Inde usque ad annum, quem Dionysius 20. p. Chr. dixit, 255 annos (i. e. ab anno 278) et septem cyclos Dionysianos i. e. 3779. annos effluxisse statuit, ideoque a Dionysio ipso, qui usque ad suum annum incarnationis annos 3949 sumserat, [1]) decem, a Beda, qui usque ad eundem annum annos 3952 juxta Hebraicam veritatem agnoverat, [2]) septem annis discrepat. —

En theoriam satis ingeniosam, cui Sigibertus computum illum chronologicum per decem cyclos Dionysianos ab initio mundi usque ad an. 1361 p. Chr. admiranda industria — qua certe a nemine ex medii aevi chronologis superatur — de-

---

1) Eum secutus in Chronico (text. Mir.) annotavit, annum 381 p. Chr. esse 4331. sec. Dionysium. cf. Spanhemii Opera I. 159. cujus numeri loco continuator text. vet. intrusit „5579" (vid. ed. princ.; Struv. scil. ut errando vincat 5567) haud dubie sec. Hieronymum (quem vide in edit. Miraei ad an. XIV. Valentis).

2) cf. de ratt. temp. Cap. 64. l. c. pag. 100. de sex aetatt. mundi in init.

ductum superstruxit, cui ut faveret, ad opinionem illam Dionysium non 22, sed 21 annis distare ab Evangelica veritate devenisse videtur. — Qua si, quamvis falsa per se sit falsissimisque nitatur sumtionibus, Sigiberti tamen nomini novae laudis accesionem partam esse, affirmare ausim, lectores spero, non nimium me ei tribuere existimaturos esse. —

3. LIBER DE ILLUSTRIBUS VIRIS.
sive de Scriptoribus Ecclesiasticis.

Postremum Sigibertus „imitatus — ait — Hieronymum et Gennadium, scripsi libellum de Illustribus viris, quantum notitia meae investigationis exquirere potui." In ultimo hujus libri capite opera a se scripta enumerat; tantum vero abest, ut id vanae sui ostentationi adscribamus, ut id vere Hieronymi, Gennadii et Bedae imitatione factum esse putemus, scriptorum suorum catalogos libris suis in fine addentium. Editores[1]) librum, de quo agimus „de Scriptoribus

---

1) Tres exstant editiones, prima cum Hieronymi, Gennadii, Isidori, Honorii et Henrici Gandavensis libris de script. eccl. cura Suffridi Petri Coloniae 1580. 8. ap. Maternum Cholinum. quam non ipse vidi. cf. Hamberger. l. c. Hist. litt. IX. 558. Praefat. Fabric. ad Bibl. eccl.; repetitur cum omnibus his auctoribus, addito Ildefonso Toletano, scholiis instructus liber in Auberti Miraei Bibliotheca ecclesiastica. Antverp. 1639. fol. iterumque (aliis scriptoribus additis) in Jo. Ab. Fabricii Bibliotheca eccles. Hamburgi 1718. fol. pag. 93 —116.

Suffridus Petrus (vide ejus Praef. a Fabricio iterum editam) sex codicibus usus esse fatetur, quos sigillatim distinguit, scil. Gemblacensem, a Domno Fr. Ludovico Sonbeco, tunc subpriori convent. Gemblac. suppeditatum Hieronymum, Gennadium et Sigibertum complexum et emendato Sigiberti textu insignem; *Affligemensem*, solum Sigibertum continentem; codicem, quem Fr. Heribertus Vieen, Regularium domus *ad S. Martinum Lovanii* Supprior suppeditavit, in quo omnes sex auctores excepto Honorio (haud dubie idem qui ap. Sander.

Ecclesiasticis" inscripserunt, neque id immerito, cum ipse Sig. non uno loco se de horum potissimum vitis ac meritis exponere voluisse fateatur. — Nam Cap. 28. de Fulgentio, se „ne videatur humana miscere divinis, non commemorare velle cum sacris libris mirabile hujus viri opus de Virgilio. Boethium[1]) saecularibus propter philosophiae, arithmetices, musices studia laudandum videri concedit, ab ipsis autem ec-

Bibl. Belg. II. pag. 217. 220. 224. in Biblioth. canonicorum regularium S. Augustini in Valle S. Martini Lovanii annotatur); codicem quem sibi impertivit Fr. Johannes Faber, Supprior ad S. *Mariam Viridis Vallis* in Sylva Zonia (haud dubie idem, qui inter libros manuscriptos monasterii Viridis Vallis (Groenen-dal) in Sanderi Bibl. Belg. II. 137. annotatur); codicem, suppeditatum a *M. Taco Tiara Leovardiensi*; sextum e Bibl. monast. Sigebergensis quem eadem manu, qua Gemblacensis, descriptum esse conjicit Suffridus, in eo tamen etiam Sigiberti librum exstare non satis distincte affert. —

Codicem etiam annotatum inveni in Indic. libror. manuscript. Biblioth. Monasterii Bonae-Spei ap. Sander. Bibl. Belg. I. pag. 312. fortasse idem cum Cod. saec. XII. membr. qui nunc in Bibliotheca Hagae Comitum asservatur. Nr. 1076. cum Hieronymo et Gennadio. cf. Archiv VII. 131; — porro in Catal. libror. manuscript. Biblioth. Alnensis Class. VI. Dec. III. cum Hieronymi et Gennadii libris in uno Vol. ap. Sand. II. pag. 257.; inter codd. Musei Britannici Harl. annotatur Nr. 3155: Sigebertus Gemblacensis de viris illustribus. s. XV. uno Vol. cum pluribus operibus Hieronymi ejusque libro de viris illustribus et libris Gennadii, Isidori et anonymi. cf. Catalogue of the Harleian Manuscripts in the British Museum III pag. 6. Archiv VII. 80. Cod. msptus. Bibl. Bruxellensis in Archiv VII. pag. 635. annotatus continet librum Henrici Gandavensis de quo cf. infra. pag. 336. n. 3.

Recentiorum sunt plures, qui Sig. perperam *duos libros* de viris illustribus scripsisse tradant. cf. Antonium Possevinum et Bellarminum l. c. — Palaeonydorus quidam de rebus Carmelitarum quaedam demonstraturus inter alia testimonia etiam ad *Supplementum Sigisberti de viris illustribus* provocarat, quale vero nunquam extitisse jam Papebrochius, ejus argumenta refutaturus, ostendit. cf. Acta Sanct. Jun. Tom. I. pag. XXXVIII—XLII.

1) Cap 37. ap. Fabric. pag. 97.

clesiasticis propter librum, quem de sancta Trinitate scripserit etc. celebrandum esse dicit, scientiae saecularis studiosos hortatur, ut scientiam Franconis Scholastici Leodiensis [1]) in libro admirentur, quem de quadratura circuli ediderit, se contra ejus laudes persequi affirmat „quia divinae Scripturae invigilaverit, etc." quin etiam ipsius Isidori Hispalensis scripta [2]) „saeculari literaturae competentia nihil ad nos esse commemorare" ideoque se praeterire fatetur, quae Berno Abbas Augiensis [3]) de humana scientia scripserit, denique Flodoardum [4]) potissimum ideo scriptoribus (suis) digne adnumerari existimat „quia digressus ab opere suo memoriam faciens sanctorum Martyrum vel Confessorum quiescentium in ecclesiis, Remensi ecclesiae adjacentibus vel subjacentibus, vitas vel passiones eorum legentibus notificarit."

Neque tamen hanc scribendi legem Sigibertus, quamvis pluribus locis repetitam atque defensam per omnem librum observasse videtur. — Nam ut taceam eum etiam Justinianum propter leges Romanas digestas loco inter scriptores ecclesiasticos dignum habuisse videri, [5]) atque plures historiae profanae scriptores in librum suum recepisse, [6]) viros etiam arte musica praestantes, [7]) immo aenigmatum scriptores [8]) et ipsum adeo Macrum, gentilem poetam illum „grandiorem aevo Ovidii" quem existimavit auctorem carminis de viribus herbarum [9]) inter medios scriptores ecclesiasticos profert. —

Ceterum ex tota hujus libelli conformatione perspicuum fit, nihil aliud in eo componendo auctorem spectavisse, nisi

---

1) Cap, 164. pag. 113.
2) Cap. 55. pag. 99.
3) Cap. 156. pag. 112.
4) Cap. 131. pag. 108.
5) cf. Cap. 46.
6) cf. Cap. 18. 35. vide supra multa exempla.
7) cf. Cap. 108. 109. 110. 144.
8) cf. Cap. 133. 146.
9) cf. Cap. 13.

ut more majorum de scriptoribus, qui in suam notitiam venissent, posteris quaedam traderet. Nam nec rerum ullus nec temporum certus ordo observatur, neque aut librorum auctoritatem aut scriptorum claritatem delectus sui duces habet, sed confusa omnia et mixta. Sic, ut quaedam e medio tollam exempla, Theodoretum, Socratem, Sozomenum, et Epiphanium (Cap. 9 — 12) scriptores historiae ecclesiasticae excipit Macer ille poeta gentilis; eum sequuntur Paullinus Nolanus, et Possidius Calamensis (Cap. 14 — 16) Ambrosii et Augustini biographi; Gregorius Magnus (Cap. 41.) praecedit Justinianum Imperatorem (46); hic quidem ob leges digestas inter Venantium Fortunatum poetam (Cap. 45.) et Sixtum Episcopum „qui scripsit librum de vita hominis perfecta" (Cap. 47.) laudatur. — Quod laudibus Gregorii Turonensis (Cap. 50.) nomen (Glabri) Rodulphi adscripsit (Cap. 51.) jam ab aliis reprehensum est,[1]) idque eum non argumenti similitudine commotum fecisse, docent capita sequentia. Quid Walafridum (Strabonem) Gregorio II. Papae (Cap. 74.) praepositum esse notem, cum inter Amularium (Cap. 87.) et Rhabanum Maurum (Cap. 89.) hanc notitiam inveniam Cap. 88. „Bellator Presbyter septem libris exposuit librum Sapientiae Salomonis" quam inde ad saeculum nonum pertinere Trithemius conjecit,[2]) quae vero jam in Cassiodori libro de divinarum litterarum institutione eodem fere modo legitur;[3]) ex quo, quam non suo loco a Sigiberto apposita sit, et quam dubia vestigia noster offerat, facile potest intelligi. — Plura porro in hoc libello vel fusius explicata vel paucis quibusdam notitiis additis repetita leguntur, quae jam in Chronico aut le-

1) cf. Hist. litter. IX. 550.

2) cf. libr. de script. eccles. Cap. CCLXVIII.

3) Cap. 5. Opp. ed. Garet. Tom. II. pag. 542. Cujus voluminis (scil. Sapientiae Salomonis) expositionem Presbyter Bellator octo libris se assumpsisse testatus est.

vius attigerat aut aperte dixerat,[1]) alia contra, quae de virorum in litteris illustrium meritis in Chronico annotaverat, in libro, in quo propria iis sedes fuisset, prorsus omissa sunt.[2]) Quin tanta hujus scripti negligentia est, ut idem Aldhelmus Scotorum Abbas cujus in Cap. 66. nonnulla opera laudantur, Cap. 132. tanquam alius nomine Adelmi Episcopi, libri aenigmatum versibus exarati auctor dicatur,[3]) idem Martinus Episcopus Galliciensis, qui Cap. 19. „librum de virtutibus quatuor ad Theodomirum Regem Galliciae" scripsisse, eumque „praetitulasse: Honestae vitae Formulam" traditur Cap. 117. titulo Martini Episcopi, qui „per manum Paschasii diaconi, interrogationes et responsiones plurimas sanctorum Aegyptiorum Patrum transtulit in *Dumiensi* coenobio" laudetur.[4])

---

1) e. g. de Evodio. 418. Cap. 15. Avito ad an. 490. Cap. 22.; Paschasio ad an. 493. Cap. 17.; de Boethio ad an. 517. Cap. 37.; Justiniano 532. Cap. 46.; Gregorio M. 592. Cap. 41. (vide infr.) Theodoro ad an. 668. 674. Cap. 63.; de Leone Cap. 59. an. 681.; Gregorio II. 725. Cap. 74., Zacharia 742. Cap. 77.; Adriano 772. Cap. 79.; Alcuino ad an. 790. Cap. 83. Carolo M. ad an. 807. Cap. 81. Rhabano ad an. 824. 827. Cap. 89.: Amulario 827. Cap. 87.; Angelomo 827. Cap. 86.; Herico 877. Cap. 104.; Milone et Hucbaldo ad an. 879. Cap. 105. 107. Remigio 895. Cap. 123.; de Odone 898. 912. Cap. 124. Abbone 994. Cap. 139; Guidone Aretino 1028. Cap. 144.; Francone 1047. Cap. 164; Anselmo Lucensi ad. an. 1086. Cap. 161. — Multa alia exempla aliis locis apposuimus.

2) Ut unum exemplum afferam, Fulbertum Carnotensem, cujus in Chronico ad an. 994. nomen annotavit, omisit in libello, quod Henricus Gandavensis ita sensisse videtur, ut eum primo loco libri sui (vide infr.) suppleret. — Ceterum plures fontes, quos haud dubie adhibuit, scil. Fredegarium, Baldericum etc. neque in Chronico neque in libro annotavit.

3) cf. de hoc Aldhelmo ex abbate monasterii „Maildulfi urbis" (Malmesburiensi) episcopo partis Occidentalium Saxonum (Schireburnensi) Beda Hist. eccl. V. 18. ex quo notit. cap. 66. Elog. hist. ap. Mabill. Acta Bened. III. 1. pag. 222* — 227*.

4) de quo cf. Elog. historic. ap. Mabill. Acta I. pag. 257—261. Hamberger. III. 434. sqq.

Perspicuum igitur est, Sigibertum, cum initio scriptores ex temporum ordine recensere suum statuisset, postea eos, quos vel serius cognovit, vel quorum tum demum memoria animum subiit, locis minus idoneis inseruisse. Accedit quod verisimile non est eum, quamvis a multifaria doctrina instructissimus talique operi per tot saecula a nemine suscepto par fuerit, omnia, quibus opus esset, quaeque ipse laudaret opera ipsum vidisse, nedum legisse.[1]) — Immo ex eorum librorum, quibus in libris suis historicis conscribendis usus erat, aliorumque lectione, quicquid ad historiam litterarum pertineret, in schedulas suas retulit[2]), e virorum doctissimo-

1) Hoc unam observari volumus, permulta inter ea esse, Graeca lingua conscripta, quam, num calluerit, omnino dubium esse docuimus.

2) Pauca exempla damus, eaque satis certa. cf. Sig. Cap. 30. de Gennadio ipso cum Gennadii dictis de Hieronymo ap. Fabricium pag. 5.; libro de v. i. Cap. 11. 100.; Sig. Cap. 9. de Theodoreto cum Gennadio Cap. 89.; *Cassiodori* librorum catalogum (Cap. 40.) ex ejus ipsis dictis *in praefatione libri de Orthographia* (Opp. ed. Garet, II. 605.) cognovisse videtur, addita mentione catalogi consulum, historiae Tripartitae, quam ipse adhibuit, et libri de anima; de tractatibus Cassiodori super Psalmos. cf. Cap. IV. libri de div. litt. institutione. l. c. pag. 541.; cf. Cap. 22. de Avito cum Greg. Turonensi II. 34.: Bedae additamentum ad hist. eccles. quo is opera sua recensuit, noster ipsis illius verbis descripsit. libr. Cap. 68. (cf. Bed. ed. Smith pag. 222—23.); porro Cap. 64 de Adamnanno cum Beda lib. V. Cap. 15. 16., pag. 201. lin. 1. 8. Cap. 17. lin. 1. ib. pag. 202. lin. 11.; Cap. 67. de Ceolfrido cum Bedae V. 21.; cf. Cap. 46. de Justiniano cum Paul. Diac. I. 25. Cap. 33. de Marco cum eod. I. 26. cf. Cap. 41. de Gregorii M. operibus (quae quidem ab ipso multum perlustrata esse constat) Rogatus — semis cf. quaedam ap. Paul. Diac. Vitam S. Greg. Cap. 6. 12. Joh. Diac. Vitam IV. Cap. 71—76. Scripsit et alia — cessavit cum Pauli Diac. Vit. Cap. 23. Joh. Diac. Vit. IV. 69.; Quae — constituit cum Joh. Diac. Vit. II. 6. cf, Cap. 42. de Anastasio Antiocheno cum Joh. Diac. Vit. IV. 73.; Cap. 44. de Claudio Classitano cum Joh. Diac. Vit. II. 11. IV. 70. — Cap. 76. de Gregorio III. cum Anastasii Vit. Pontif. l. c. pag. 158.; Cap. 77. de Zacharia cum eod. loc. cit. pag. 165. (Joh. Diac. IV. 75.); cf.

rum scriptis illis cognoscendis intentorum re esse ducens, ubi usus ferret, ad excerpta sua, quam ad vasta illorum opera recurrere. — Porro criticae artis inopia, quae totam tum aetatem premebat, ipse quoque deceptus, atque hic illic partim aliena, partim sua culpa lapsus esse videtur.[1]) — Judicium litterarium de singulis scriptoribus et libris, aut aliorum tantum testimonia secutus non potuit proprium eloqui aut si quos ipse legeret, id in pauca verba contraxit, ut liber ejus Onomastici magis, quam historiae litterariae speciem indueret. —

Neque tamen cum multis hoc ejus libro quamvis tot vitiis obnoxio carere velim. Tot enim notitias servat, quae vel alibi nusquam vel locis tantum obscurissimis leguntur quarum et nos in hac commentatiuncula, ut Sigiberti aliorumque dicta explicaremus, fontiumque quibus usus est indolem ac fidem examinaremus, saepius mentionem injecimus, et alius quisque, qui medii aevi litteris operam daturus est, adjumento supersedere non poterit. Nihil enim attinet viros harum litterarum peritos docere, inter notitias illas tales esse, quae res gravissimas doceant, atque ad nova in historiarum doctrina inventa utilissima et cognitione dignissima viam aperiant.[2])

Hic igitur Sigiberti libellus, cum jam medio aevo historiae litterariae scriptoribus multum placeret,[3]) haud dubie

---

Cap. 73. de Vero. Cap. 114. de Dynamio cum *Usuardi Martyrologio* ad V. Cal. Jun. et ad VI. Cal. Febr. utrumque quidem loco prorsus inaccommodato; cf. Cap. 122. de Halitgario cum Flod. Hist. Rem. II. 19. Bald. I. 38.

1) cf. e. g. Cap. 1. 3. imprimis Cap. 4. de Dionysio; Cap. 28. de Fulgentio (cum Hamberger. III. 335—40.) de falsa aetate Eugippio adscripta Cap. 39. cf. Cassiodor. de divin. litt. institut. Cap. 23. Hamberger. III. 301.

2) Unum moneo exemplum. scil. notitiam Cap. 155. Lanfrancum Archiep. Cantuar. laudes, triumphos et res gestas Guilelmi Nortmannorum Comitis, qui regnum Anglorum primus invasit, scripsisse. —

3) Ejus studia se continuare velle, fatetur ipse Henricus Gandaven-

etiam dignus est, qui editione demum correctiori iterum edatur, atque sperandum est, fore, ut nostro tempore, quo litterarum medii aevi studia felicissime ubique renascuntur, Vir, harum rerum peritus atque satis idoneo apparatu instructus, cum illius tum Hieronymi, Gennadii, Isidori Hispalensis, Ildefonsi aliorumque libellos, quos Fabricius in unum volumen redegit secundum codicum manuscriptorum fidem correctos et accuratioribus quam quae a Miraeo addita sunt, scholiis instructos denuo in lucem edat. Id enim persuasum habeamus necesse est, historiam medii aevi litterariam quicquid veri incrementi capere posset, id omne a fontibus ejus omnigenis melius cognitis proficisci debere.

---

sis in initio libri sui: Catalogum virorum illustrium a beato Hieronymo inchoatum, et post a Domino Sigeberto Gemblacensi Monacho usque ad sui aevi tempora perductum ad hoc nostrum tempus ultra extendere, quantum de hujusmodi ad meam notitiam poterit pervenire, aggressus sum, licet minus sufficiens rei tantae: ne causentur posteri mirum fuisse, quod ad hoc nullius intenderit diligentia, quum scriptorum dignorum memoria post Dominum Sigebertum a tempore, quo ipse cessavit, scribere, sit copia subsecuta. ap. Fabric. l. c. pag. 118. — Trithemius plurima ex eo desumpsit. —

Subnectuntur quaedam de Sigiberti indole atque meritis in universum disputata.

Sic omnibus Sigiberti libris — quantum per fontes, quos inspicere licebat ac vires meas fieri potuit — recensitis, eorumque singulorum et argumentis et formis accurate indicatis atque examinatis, jam mihi in fine licitum sit, paucis verbis de tanti viri meritis in universum disputare, ut planum faciam, quibus ipse virtutibus tantum, quantum mihi videtur, bonis litteris commodi attulerit, et quae ei in harum finibus auctoritas dignitasque attribuenda sit. —

Pauca admodum, eaque non magni momenti erant, quae de externae ejus vitae condicionibus huic nostrae commentatiunculae praemittere potuimus; quae quo minus ad dignam tanti ingenii imaginem adumbrandam sufficere putanda sunt, eo majore jure a me postulari intelligo, ut, vera ejus laude ex ipsius operibus vindicata atque confirmata, jam non detrectem, in ejus viri, cujus vitae tantos fructus fuisse demonstrassem, interiorem etiam rerum nexum reconditioremque dignitatem inquirere.

Quare ut multiplicia et studia ejus perspiciamus, et opera inde ab ipsa adolescentia ad extremam usque fere senectutem emissa ex diversis ad quae pertinent generibus dijudicemus, tenendum est, eum cum insigni quadam pietate primum se aequalibus hagiographum et biographum obtulisse martyrum patronorumque et conditorum fautorumque utriusque habitaculi sui et theatri, in quo ingenium ejus se exercebat, post egregiorum virorum in ecclesia Leodiensi excellentium vitas edidisse; — in hoc quidem aetatis suae mores secutus, sed ea et rerum tractatione et interdum ipso scribendi genere

superior, cum non in hoc acquiesceret, ut vel communia monasticae et episcopalis vitae negotia exponeret vel verbosis miraculorum narrationibus locum daret — quamquam ab his etiam pro aetatis more non prorsus abstinebat — sed cum in singulorum virorum rebus accuratius explicandis, tum in intima rerum Mettensium et Leodiensium perscrutatione et in ampla lucidaque rerum Francicarum et Germanicarum universalium cognitione firmum et grave historiae fundamentum quaereret. — Quantam hoc studio aequalibus non solum delectationem pepererit, sed etiam utilitatem attulerit, per se patet; neque minus scriptis ejus ex eo, quod tanta ex iis in nostrae quoque aetatis commodum redundarint, etiamsi quis minus hoc auctoris ipsius laudibus tribuendum esse existimet, magnam gravitatis laudisque accessionem pari omnes concedent. — Quantum enim ad rerum statum internum clarius cognoscendum, quantumque eo, sive fabularum quae historiam obnubilant vestigia persequentibus, sive fontium, quibus usus est habitum atque indolem examinantibus praesidium comparaverit, supra — quantum ipsi intelleximus — exponere studuimus. Quas vitas tamen, quominus omnibus numeris absolutas esse affirmemus, multis a me demonstratum est exemplis obesse cum totum incompositum enarrandi genus, tum licentiam illam, qua, et quae memoriae heroum illorum obnoxia essent, silentio praetermiserit, et egregia quaeque et praeclara nimis exaggeraverit, et quae in vitas eorum ex causis nobis incognitis inciderunt cum rebus universalibus arctius quam decuit, connexuerit.

Majorem gloriam ab ipsa invidia non violandam assecutus est Chronographus, cui muneri, haud dubie per multos annos usque ad diem fere mortis tam graviter administrato, omnibus bonis inter Vitarum illarum conscriptionem partis par erat, ut mala in ipsa muneris functione abjecerat. Nam neque ira neque studio turbatus — si pauca quaedam in Gregorium VII. acerbius dicta, dubiae ea magis famae vel spuriis nunciis credita quam malevolo animo inventa, exci-

pias — sed aequabili fere diligentia et amore omnibus partibus operis sui incumbens ad summam fere perfectionem, ad quam aetas illa accedere potuit, pervenit. Maximam enim eruditionis copiam ac varietatem ex omnibus fere rerum populorum Germanicorum scriptoribus haustam, qua eum ex aequalibus nemo antecellebat, per totum medium aevum aequiparabant paucissimi, novo modo ad doctrinam historicam applicuit, cum omnia haec quae legerat, aequabili atque certis legibus plerumque praescripta ratione in pressa et fructuosa excerpta congereret, atque inter angustos limites, et nomina annosque et praecipuas res gestas regum et pontificum pleniori, quam hucusque factum erat, ordine legentibus traderet. Jam eo, quod densa ex quovis auctore excerpta recipere vitavit, cum tamen reliquos illius aetatis scriptores cuidam libro, qui ipsis forte ad manus erat, plerumque nimis indulsisse atque omni judicio suo represso per omnia descripsisse neminem fugiat, ingenium natura ad historiam componendam factum — quod maximam partem apta rerum electione aestimari quis nescit — satis probavit. Quot sint inter ea, quae recepit nobis inutilia, vel ex nostro judicio mentione indigna, quot porro omissa, quae a nobis quam maxime desiderantur, vix expositu opus est; sed agedum cum Jordane, Beda, Reginone, Hermanno Contracto, Mariano Scoto, qui eum antecesserunt, vel cum Annalista et Chronographo Saxonibus, quin etiam cum Ekkehardo Uraugiensi, quamvis et is jam plurimis antecelleat, et cum ipso illo Vincentii Bellovacensis Speculo historiali, vasto illo annalium et vitarum Sanctorum dogmaticarumque lectionum codice, eum conferas, quo facilius concedas menti ejus certam aliquam formam obversatam esse, quam scribendo exprimere studeret, certumque eum in historiis componendis consilium secutum esse, in cujus laudis societatem perpauci illius aetatis scriptores veniunt. — Permulta, quae ex historiis excerpserat, falsis annis adscripta esse, quamquam ipsi multis supra exemplis docuimus, longe pluribus tamen eum nusquam non certam aliquam regulam ob oculos habuisse, nobis

recte demonstrasse videmur. — Quare non mirum est, si vitia quaedam illi aetati communia, rerum vel personarum confusiones, incommodas narrationum connexiones non satis vitaverit, atque, cum in eo, quod in historia universali conscribenda longe difficillimum est, indigestam tot historiarum et annalium Vitarumque molem in aliquem ordinem redigere et suos singulis locos assignare justam exspectationem expleat in singulis quibusdam historiae partibus ac locis vel mente comprehendendis vel dijudicandis tanta lectionis et studiorum multitudine ac varietate distractus non eandem semper mentis aciem praestet vel paulo festinantius interdum fontes legisse videatur. Inprimis erunt, qui Chronicon non tot nova et ab aliis scriptoribus nondum satis explicata argumenta continere dicant, ut praecipua quadam cura et intento studio dignum existimetur, neque nego, si hoc de certorum factorum notitiis posteritati traditis intelligatur, eum fortasse a Glabro Rodulfo vel ab Hugone Flaviniacensi, et Bernoldo Constantiensi vel ab aliis, quibus fausta fortuna quaedam oculis videre contigerit, superari; verum si de litterario aetatis illius ingenio agatur, neminem Sigiberto praestantiorem, nullum scriptum historicum Chronico ejus ad docendum magis idoneum esse censeo. — Nam si *historicam* saeculi decimi et undecimi *artem* mentemque ac rationem, qua res illa aetate gestae ab aequalibus et comprehenderentur et traderentur, e Widukindo et Lamberto Aschafnaburgensi cognoscere licet, *doctrinam* certe *historicam* — quae temporum longe praeterlapsorum res ex optimis fontibus tam veraciter eruat, quam apte enarret, eorumque mutationes, ordines et intervalla dilucide explicet, itaque praeteritis fructuosam in aeternum vitam tueatur, — qualis tum fuerit, ex nullo alio scriptore, quam ex hoc Sigiberti compendio rectius dijudicabimus. — Atque cum, arte ad summum fastigium jam elata, doctrinam illam apud veteres non satis firma ratione excultam esse constet, medii aevi saecula, quae Sigiberti aetatem antecesserunt, iniquam tantum utriusque historiae conscri-

bendae generis commixtionem, qua compilata atque fabulis repleta, vel lacunis deturpata annalium initia longinqua rerum propriae aetatis enarratio sequeretur, obtulerint, Sigibertum nostrum inter primos fuisse qui harum scribendi rationum discrimen acute sibi cognitum fuisse in operibus suis probaverunt, vix negari posse contendo. — Quantum igitur litterae historicae jam eo profecerint, quod tale editum sit opus patet, quin etiam cum studium historicum inter populos recentiores eo tendere videatur, ut aeque artem perfundat doctrina ac doctrinam ars, quin etiam omnis praeteritae aetatis memoria aeque reviviscatur ac praesentis semper et verissime et gravissime posteris commendetur, jam Sigibertum, cum doctrinam illam tam insigni modo coleret, ut ad illum finem unquam perveniamus, quam maxime nos adjuvasse perspicuum est.

Accedit, quod Sigibertus praeter eruditionem historicam etiam ad alia eaque gravissima in operibus suis animum attendit; ad virorum doctorum, inprimis ecclesiasticorum scripta perlustranda facilem aditum posteris procurare studuit, ut certam amplissimae et lautissimae doctrinae viam muniret; veterem illam artis criticae Christianorum de vero anno et die passionis Christi quaestionem ad liquidum perducere cupivit, quod studium et multis eum aliis disquisitionibus implicavit et documento est, quam mathematicarum quoque litterarum peritus fuerit.

Poetica indole si minus excelluit, at tanto certe poeseos amore inde a juvenili aetate inflammatus erat, ut plura de rebus sanctis et metro heroico et alcaico carmina pangeret. Mettensis urbis laudem laeto ore cecinit. Neque a musica homo scholasticus prorsus alienus fuit, ejusque studiis magnam operam dedisse videtur.[1]) In operibus ejus veterum

1) Nam viros in re musica excellentes cum in Chronico, tum in libro de vir. illustr. industria quadam recensuisse videtur.

scriptorum loci apposite afferuntur: utitur Flacci et Maronis versibus et M. Tullium testem adhibet.[2]) —

Denique eum — quo non minima ejus laus continetur — non solum eximium decretorum ecclesiasticorum et patrum egregiorum studium sed etiam sacrae scripturae cum cognitio plenissima tum amor integerrimus ornavit. — Ut enim diversarum ejus editionum pondera ac momenta accurate discernere potuit, atque adeo Ecclesiastae Salomonis metro heroico exponendo operam dedit, sic evangelii dicta ab iniqua interpretatione, qua pars pontificia tum abutebatur, tueri eaque vera Christianae fidei luce illustrare patrumque argumentis confirmare studuit, quin etiam hanc religionis integritatem nativumque decus et defendendi et propagandi summum sibi in rerum sacrarum ac profanarum studiis proposuisse atque in id unum sacrae et profanae doctrinae thesauros partos libentissime impendisse videtur. — Fidus ecclesiae veraeque reipublicae Christianae propugnator, fortissimus veritatis vindex, promtissimus nullisque unquam turbis deterritus honoris Christi ac crucis defensor, omnibus et scientiae et sanctitatis armis instructissimus, victoriae, quam reportavit gloriosissimos fructus si minus suae aetati tradere poterat at gratiori certe atque intelligentiori posteritati reliquit. — Itaque, quae summa virorum vera eruditione veraque pectoris sinceritate praecellentium felicitas est, in eo apparuit, quantum in literarum studiis vis insit ad vitam humanam perfectis bonis cumulandam. —

Hac potissimum de causa veri historici nomine ac sempiterna veneratione multo dignior putandus est, quod ultimas atque aeternas reipublicae pariter atque ecclesiae leges ab ipsa historia duceret, atque summos experientiae fructus cum summis sapientiae bonis copulatos ad unum eundemque finem referret, quam si ei forte contigisset, ut in palatio regio, vel in aedibus episcopalibus degens vel expeditionis militaris

2) cf. Ep. ad Trevirenses de jejunio quat. temp. l. c. pag. 307.

socius magna quaedam ac varia, quibus ipse interfuisset, elegantiori stylo litteris mandaret. —

Sic vitam ejus, quamvis intra parietes monasticas actam, splendidissima luce illustrari arbitror. — Quae cum simplici atque candido, pueros atque juniores erudiendi muneri esset addicta, atque in hoc uno negotio utilissimo summa cum fide occupata esset, nullaque ambitione turbata placide proflueret praestantissimorum in ecclesia Leodiensi virorum consuetudine ornata, maxima admiratione est digna, quippe posteritatis utilitati liberalissime prospiciens. —

Atque ut cujusque viri cum indoles tum merita maxime ex aetate qua vivebat, explicari possunt, haec etiam Sigibertum nostrum ipsa laudare videtur. — Adolevit enim tempore, quo post litterarum florem, quem Caroli M. ingenium foverat, barbarorum incursionibus et morum depravatione conculcatum novus jam litterarum amor fervesceret, atque placidissima clericorum et laicorum concordia, pacis cum internae tum externae fructus omnis generis studia alerent. — Tali igitur aetati vires debuit, quibus in turbulentissima etiam omnium rerum condicione, in nullam temere partem deflectens, inter detestandas illas regni et sacerdotii discordias rectam tenuit lineam. — Juvenis vidit candorem veteris rerum condicionis, senex perpessus est pericula, quippe ex quorum concursu novus emerserit rerum ordo; bonorum quae utraque aetas attulit, ipse particeps et posteros participes fecit. — Quos ab eo dona litteraria libenter accepisse, eo magis mirum esse videtur, quo magis ab illo ipso tempore viribus jam populorum Christianorum crisi illa discordiarum imperii et pontificatus maturatis, litteras et artes nihil cessantes, semper ad altiora fastigia enixas esse notum sit; tamen et saeculis insequentibus sapientia altiori illustratis, et ampliori eruditione instructis, studia ejus placuisse, vix dilucidius documentum afferri possit, quam quod Chronicon ejus denuo semper descriptum, in quodcunque monasterium devenerit, adscriptionibus et additamentis auctum non solum in Belgia,

sed in Gallia et Anglia etiam continuatores nactum atque non solum a scriptoribus horum populorum, eorumque Germaniae egregiis, sed etiam in aliis terris, adeoque in Norvegia vel cognitum vel lectum atque descriptum, fundamentum quasi historiae universalis Chronicis et libris historicis substructum est. —

Quibus — quantum pro viribus licuit — inspectis nulli quidem in favorem viri, cujus libris multam operam dedi, veritatis superlationi indulgens, sed ipso rerum obtutu permotus plures generationes quin etiam saecula praecipuam rerum gestarum cognitionem e monachi modestissimi opere et docuisse et didicisse bona fide contendere posse mihi videor. —

APPENDICES.

APPENDIX PRIMA.

DE LIBRIS SIGIBERTO AB ALIIS ADSCRIPTIS.

Commune hoc Sigiberto cum aliis viris egregiis scriptis nominis celebritatem consecutis est, quod plures ei libri adscribuntur, quorum maximam partem haud dubie non edidit. — Disquisitio tamen, hoc illudve opusculum jure ei tribuatur, in eo, quam in plurimis aliis scriptoribus propter hoc facilior expeditu est, quod ipse nobis catalogum illum omnium, quae a prima juventute usque ad senectutem edidit operum reliquit, quo fit, ut quodvis scriptum cujus non ab ipso mentionem factam esse constet, jam jure quodam ei abjudicemus. — Agedum singula examinemus.

I. Sermones, Epistolae, Hymni, Antiphonae, Responsoria.

Trithemius primus est, qui operum ejus catalogo satis inique repetito[1]) in universum eum „alia etiam post haec edidisse, quae cum supra scriptis opusculis non signasset" tradit, et ipsis illis operibus „Sermonum lib. I. et Epistolarum ad diversos lib. I." alio loco[2]) etiam, eum „Hymnos, Responsoria et Antiphonas in laudibus sanctorum dulci melodia composuisse" adnectit. Cum vero neque sermonum,

---

1) cf. de scriptor. eccles. Cap. 358. et sup. Neque certius est testimonium Ruinartii (ap. Hist. littéraire IX. pag. 564.) se in abbatia S. Clementis Mettensis plura opuscula Sigiberti nondum edita vidisse, quorum cum tituli non additi sint, utrum ad ea, quae Sig. ipse citavit, pertineant, an prorsus ignota sint, minime distingui potest.

2) De vir. illustr. O. B. lib. II. cap. 112. in edit. Magontiae. 1605. pag. 54. cf. Hist. litter. IX. 564—565.

neque epistolarum Sigiberti collectio unquam innotuerit, ea ex more tantum Trithemii satis noto allata, neque digna videntur, in quae accuratius inquiratur. Quod vero ad hymnos, antiphonas et responsoria attinet, Trithemium ea, quae Sig. de iis, quae in laudes SS. Guiberti et Maclovii melificavit[1]) ipse testatus sit, sive male audiisse, sive iniquo modo exampliasse conjicio.

II. Vitae et Historia pontificum Romanorum.

Sigibertum historiam vel vitas Pontificum Romanorum scripsisse, apud plures scriptores recentiores legitur.[2]) Quam famam si ad fontem suum reducere velis, primum apud Raphaelem Volaterranum[3]) inter plures scriptores, qui Pontificum Romanorum seu *temporum eorum* historiam composuerunt, veluti Anastasium Bibliothecarium, Paulum Diaconum etc. „*Sigisbertum* quoque *Monachum* usque ad an. 1131." invenies, unde facile colliges, neque auctorem illum Sigiberti nostri aetatem satis cognovisse, neque pro certo affirmasse, a Sigiberto singulare opus Pontificale editum esse. Neque majorem huic traditioni auctoritatem inde comparari existimo, quod ea a Gesnero repetita sit,[4]) quod Antonius Possevinus in catalogo quodam codd. manuscr. „Sigeberti Monachi vitae summorum Pontificum et historia" citet,[5]) et Lud. Jac. a S. Carolo[6]) ejus Romanorum Pontificum vitas exstare Ms. Pisauri in Bibliotheca Ducali tradat, cum, quae in inscribendis codicibus olim fuerit negligentia, nullum virum doctum lateat. — Immo Sigiberti illud ad an. 995. dictum satis mihi probare videtur, illum se rerum Pontificalium non tam gnarum existimasse, ut singulare de iis opusculum conscribere auderet.

III. Historia Hierosolymitana.

Minus notum, quod Corias in Elucidario suo[7]) tradit: „Sigibertum Historiam Hierosolymitanam circa annum 1100

---

1) cf. pag. 257. n. 2.

2) cf. Fabric. loc. cit.

3) Commentariorum urbanorum Raphaelis Vollaterrani octo et viginti libri. Paris. 1515. Anthropologia lib. XXII. fol. CCXXIV. 2.

4) Bibliothec. universal. Tiguri. 1545. fol. 598. cf. Hist. litt. IX. 564.

5) Appar. sac. Tom. II. in fin. cf. Hist. litt. l. c.

6) Bibliotheca Pontificia. duobus libris distincta auctore R. G. F. Ludovico Jacobo a S. Carolo etc. pag. 437. ap. Hist. litt. l. c. Fabric. l. c.

7) Libro I. Cap. 25. ap. Acta Sanct. Mens. Maji Tom. III. pag. L. c.

edidisse in quo quaedam de Carmelitarum origine legerentur." Absurdam tamen hanc famam jam Papebrochius[1]) satis refutavit, neque nos qui Sigibertum terram sanctam nunquam adiisse et quae de prima cruciferorum expeditione retulisset, ex epistola quadam hausisse compertum habeamus, ei fidem adjungere posse satis perspicuum est.

IV. Vita S. Lulli.

Majori quidem auctoritate Vita quaedam S. Lulli, S. Bonifacii in sede Moguntina successoris (755—787) Sigiberto adjudicatur. Mabillonius enim in elogio illius Sancti historico[2]) vitam quandam e Ms. Gemblacensi sibi a Simone Guillemot, Subpriori Ghisleniano transmissam[3]) memorat, quam quidem non dignam, quae plena typis edatur, habet, Sigiberto tamen Gemblacensi adscribit.

Cum vero nulla inveniatur causa, cur Sigibertus res S. Lulli scribendas suscipere potuerit, cum porro in Chronico ne nomen quidem ejus memoret, etiam rebus Germaniae interioris omnino minorem dederit operam neque fragmenta vitae, a Mabillonio allata,[4]) ullo modo ejus dicendi genus prodant, nihil praeter loci, quo Cod. Ms. inventus est, auctoritatem restat, quo moveamur, ut illam in catalogum operum Sigiberti recipiamus; idque non est, qui non intelligat, quam exigui per se momenti sit.

V. Chronicon Episcoporum Mettensium.

Venantii Fortunati Carmen ad Villicum Episcopum Mettensem, cujus jam supra mentionem fecimus,[5]) illustraturus Browerus[6]) indicem quendam episcoporum Mettensium „a Paulo Cassinensi monacho inceptum et a Sigiberto Gemblacensi continuatum" manuscriptum citat. Eum eundem cum Chronico Episcoporum Mettensium esse, quod

---

1) Acta. l. c.

2) Acta Saec. III. Part II. pag. 392. — pag. 400. Nr. 22. cf. Hist. litt. IX. 564. —

3) scil. ante incendium Gemblacense, cum idem tomus Actorum Mabillonii 1672 in lucem editus sit.

4) l. c. pag. 393. Nr. 3. pag. 398—99 Nr. 18. pag. 399. pag. 400. Nr. 22.

5) vid. pag. 221. Not. 3.

6) Not. ad Venant. Fortunat. (Magontiae 1617. 4.) pag. 88.

postea d'Acherius in Spicilegio edidit,[1]) Calmet in Probb. ad Historiam Lotharingiae[2]) et de la Barre repetierunt,[3]) loci omnes, inde a Browero allati confirmant.[4]) — Chronicon vero illud nec scriptum a Sigiberto nec continuatum esse existimo. Sunt quidem in eo plura e Pauli Diaconi gestis epp. Mettensium excerpta.[5]) Auctor porro rebus Theoderici II. (1005—1046) enarratis, „sic referre successionem modernorum" addit,[6]) eique dicto valde congruit, quod de Stephano Episcopo (ab anno 1120—1164) dicit: „Qui, quoniam adhuc vita floret et aetate viget, tentatio sileat elationis, et preces fundantur Deo pro continuo ipsius studio."[7]) Styli porro conformitas unum ab initio usque ad hanc aetatem Stephani auctorem prodit,[8]) neque video, cur Browerus Chronicon Paulo et Sigiberto adjudicet, alii auctorem initio episcopatus Popponis circa an. 1095 scripsisse contendant.[9]) — Deinde a Sigiberti more aliena videtur falsa Chronici hujus chronotaxis, secundum quam Auctorem, quem Sigibertus in Chronico Attilae aequalem tradit,[10]) sub Praesulibus Julio, Liberio, Felice, Damaso, sub Imperatoribus Constantino, Juliano, Joviano, Valentiniano et Valente"[11]) praefuisse annotat et Terentii quarti demum post illum episcopi aetate „corpus B. Protomartyris Stephani cum Gamaliele, et Abibon atque Nicodemo inventum esse" tradit,[12])

1) ed. vet. Tom. VI. pag. 661, sq.

2) Tom. I. pag, 59—68.

3) II. 224. sq.

4) cf. loc. pag. 88. de Villico cum Chronico ap. Barre, l. c. pag. 226. dext pag. 93. prooemium cum Chronico pag. 224.

5) cf. Nr. XI. ap. Firminum cf. de Auctore pag. 225. dext. de Chrodegango pag. 227. dext.

6) Nr. XLVIII. l. c. pag. 227. dext.

7) ibid. pag. 229. dext.

8) Cui appendices duae, ab anno 1120 usque ad an. circiter 1200, ab an. 1200—1260. deductae annectuntur; quarum primae auctor haud dubie antecessoris unici exemplum secutus, Bertrannum Episcopum (ab anno 1180) adhuc vivere referens opusculo suo finem imposuit. —

9) scil. Hist. litter. auct. VI. 437. cum Barrius quidem in prooemio primum auctorem ad Popponem Episcopum pervenisse recte innuat, quippe quum continuator demum res Stephani enarrandas in se susceperit (vid. sup.)

10) cf. in Chron. ad an. 453.

11) l. c. pag, 225.

12) pag. 226.

quod Sigibertus in Chronico jam ad an. 417. annotat, post S. Clodulfum, cujus Sig. in Chron. ad an. 640. mentionem facit sub „Romanis Pontificibus Sergio, Joanne VI., Joanne VII., Sisinnio, Constantino, Gregorio II." sedisse opinatur. [1]) Denique eum jam Sigiberti Vitam Theoderici cognovisse eaque sic usum esse, ut nemini unquam ipsum Sigibertum ea usurum fuisse verisimile sit, ex ipso ejus prooemio conjicere posse mihi videor. [2]) — Neque ex dicto illo apud Theodericum I.: „Hujus gesta haberi." [3]) gesta quaedam illius ante Sigibertum extitisse ullo modo probari posse existimo, [4]) quo fit, ut nihil in eo, nisi primum vitae a Sigiberto vere scriptae testimonium contineri statuam.

VI. Chronicon S. Vincentii Mettense.

Calmetius, [5]) epistolae cujusdam auctoritate nixus dicit „in Abbatia S. Vincentii Mettensi exstare Chronicon manuscriptum ab Incarn. Domini usque ad an. 1284 continuatum, parcissimas vero notitias continens, quod (prima scil. parte) Sigiberti esse credatur." Quod, quamvis is a Chronico S. Vincentii a Labbeo edito [6]) differre dicat, unum tamen idemque cum illo esse ex initio et fine commemoratis et modo scribendi exposito, clarum esse videtur. Est Codex ille S. Vincentii nunc Gothanus, quem „Sigiberti opuscula varia" inscriptum esse constat, [7]) in quo cum annales illi exstarent, [8]) Sigiberto adjudicati sunt. — Quantopere vero prima pars Chronici, quae quidem sola in quaestionem ve-

---

1) l. c. pag. 227. laev.

2) cf. Sigib. Vita Theoderici Cap. XVII. Nec sine quodam — Deos vocari: de nomine Mettensis urbis Dividunum, cum prooemio l. c. Dividunum — aedificiis; Sig. l. c. Ipsa quoque — materno: de nomine Mediomatricum cum Chron. l. c. Mediomatricus — mater: quo haec ex more serioris scripti latius explicantur. Versuum cujusdam auctoris a Sig. l. c. citatorum omittit auctor Chronici primum (Alter-agebat). distichon ibi relatum ita introducit: Et juxta illud distichon quod in defossis terra lapidibus sculptum, *nuper* (id significare videtur aetatem illam qua Sig. Vitam Theoderici scripsit) fuit inventum."

3) l. c. pag. 228. vide supra.

4) Hoc modo eo usi sunt auctores Hist. litt. loc. pag. 236. not. 5. cit.

5) Bibliothèque Lorraine. pag. 893. sec. litteras R. V. D. Malot die 20 Martii 1744. datas.

6) Bibl. manuscript. I. pag. 344.

7) vid. sup. pag. 226. et loc. ibid. cit.

8) fol. 16—24.

nire potest, aliena sit ab eo, nunc, cum ex eodem codice illud V. D. Waitz iterum exscripsit, Pertz in Monumentorum Germaniae Tomo V. edidit,[1]) omnibus patet. —

VII. Chronologia Episcoporum Mettensium.

Meurisse, scriptor rerum Mettensium nisi acumine et gravitate eorum, quae ipse enucleavit, multis tamen fontium tunc adhuc ineditorum fragmentis allatis et suo aevo utilis neque hodierno plane contemnendus, obitu Vvalae Episcopi commemorato, haec addit:[2])

Toutefois la Chronologie de nos Evesques escrite de la main propre de Sigebert, que je trouve par tout fort exacte, et les annales d'un autheur incertain chez Pithou, et tout plein d'autres tesmoignages portent, *que ce fut l'an huit cents octante deux*, et du temps que Jean huitième gouvernait la nacelle de S. Pierre, que Charles le Gras tenait en main les rennes de l'Empire et du Royaume de Lorraine, et que Louys et Carloman bastards de Louys le Begue, s'estoient emparez du Royaume de France.

His verbis eum neque Chronicon Episc. Mettensium sub Nr. V. neque Chronicon S. Vincentii sub Nr. VI. memoratum citare patet. Chronicon enim Episcoporum, quod Meurisse etiam in aliis operis sui locis proprie citat,[3]) ipsum an. 882. non affert; ad Chronici vero S. Vincentii, quod vere similem affert notitiam,[4]) auctoritatem speciatim in hac ipsa re provocat.[5]) — Num Chronologia Episcoporum, quam legit Meurisse, certis argumentis Sigiberti non solum opus, sed etiam autographon haberi possit, discerni non potest, nisi ipso illo libro inspecto. —

VIII. Passio SS. undecim millium virginum.

Majoris etiam momenti est, quod Calmetius[6]) Passionem SS. undecim millium Virginum, ex ms. Cod. monast. S. Vin-

---

1) pag. 155—160.
2) Histoire des evêques de Metz. pag. 277.
3) sic pag. 210. ipsa illius verba de Drogone sub titulo: L'ancienne Chronique de nos Evêques. cf. pag. 212. in marg. pag. 385. de electione Stephani „quoddam chronicon Episcop. Mettens." cf. pag. 85. ad Agiulphum etc.
4) scil. ap. Monum. V. pag. 157. 882. Walo interfectus est a Normannis." quam Labbeus cum multis aliis omisit.
5) pag. 278. marg.
6) Hist. de Lorraine. I. 231. Sigebert de Gembloux (Passio SS. undecim millium Virginum, ex ms. Cod. monasterii S. Vincent. Mettens). raconte la chose ainsi.

centii Mettensi" tanquam a Sigiberto Gemblacensi conscriptam citat. Ex excerpto, quod lingua Gallica cum lectoribus communicat, narrationem illam cum loco Sigiberti insigni in Chronico ad an. 453. in universum convenire patet. Codex S. Vincentii, quem fontem illius nominat, haud dubie idem est ac Codex ille, nunc Gothanus, in quo a fol. 25*b* — 30 *b*, passionem sctarum undecim millium virginum exstare constat.[1]) Inde, Calmetium solo titulo codicis inductum, ut hanc passionem Sigiberto adscriberet, eamque ex operum ejus catalogo removendam esse manifestum est. — Sunt passionis manuscriptae illius verba initialia eadem, quae in passione edita apud Surium leguntur,[2]) quam si cum Sigiberto contuleris, vix poteris quin hanc vel similem ei ob oculos versatam esse conjicias.[3]) Noster eam haud dubie anno 453 adscripsit, quia in ea virgines Coloniae ab Hunnis obsessae martyrium obiisse traduntur.

IX. Carmen in Theodericum I. Episcopum Mettensem.

Meurisse[4]) edidit elogium Theoderici brevibus versibus, iisque rimatis, numero triginta sex conscriptum, hoc modo incipiens:

> Deodericus, sanguine, moribus
> Claris profecto clarior omnibus
> A Rege clarebat secundus
> Vix alicui sub eo secundus.

quod non solum a Sigiberto compositum, sed etiam propria ejus manu exaratum adhuc in abbatia S. Vincentii asservari memorat. Certe nihil continet, quod repugnet, quominus id a Sigiberto proficisci potuisse credamus.[5]) Honores Theoderici, gratiam apud Imperatorem summam, atque reliquias Mettas translatas commemorat, et Sigibertum putare

1) cf. Jacobs et Uckert. loc. sup. pag. 226. not. 2. cit.

2) scil. Regnante dno nostro Ihu Xto cum post passionem resurrectionem et ascensionem ejus etc. cf. cum Surii Actis Tom. V. pag. 902. Narrationes esse simillimas vix memoro.

3) cf. locos Surii pag. 903. decem primaevae *aetatis* virgines et *forma et genere lectissimas perquiratis, et tam mihi, quam singulis harum mille* virgines honestissime *subscribatis* . . . . pag. 904. celebrato per triennium hoc martyrii *praeludio* pag. 905. ventum de thesauris suis produxit, impulsamque classem sub unius diei spatio secundo cursu in portum, qui Tiele dicitur, integro tam navium quam puellarum numero pertulit; cum loco Sigiberti.

4) Histoire des evêques de Metz. pag. 329 — 330.

5) Id ei adscribunt Hist. litt. Franc. auctores. VI. 433. IX. 565.

possumus id nimis leve et exiguum aestimavisse, cujus in operum suorum catalogo mentionem faceret.

Cum igitur his aliorum notitiis de quibusdam ejus opusculis examinatis, eum — quod sciamus — nihil fere nisi libros ab ipso recitatos, scripsisse patere videatur,[1]) omnis, qua apud posteros frui posset, laus horum tantum auctoritate ac celebritate contineri videtur, quam in Chronico certe haud mediocrem fuisse jam sequenti appendice ostendemus.

APPENDIX ALTERA.

DE CHRONICI SIGIBERTANI CONTINUATORIBUS, DESCRIPTORIBUS, TEXTIBUS VARIIS ET CODICIBUS.

Supra diximus maximae Sigiberto laudi et commendationi esse, quod adeo ejus Chronicon posteris placuerit, ut non solum creberrime describeretur, sed etiam in quovis fere monasterio vel litterarum sede, ad quam translatum esset, aliquot additamentis ad ipsius sedis illius historiam pertinentibus locupletatum vel continuatione auctum[2]) quasi pro fundamento omnis historicae doctrinae haberetur.

Quare quod hic ad candem rem propriam fere Sigiberti Chronico et vere singularem denuo revertimur, atque continuatorum, quot quidem in notitiam nostram venerunt, descriptorumque, quorum tantus est numerus, ut eos omnes enumerare difficile sit, aliquam recensionem instituere cupi-

---

1) Codicis Guelferbytani „Sigeberti Gembl. Vitae episcoporum Mettensium et Tullensium" inscripti rationem habere jam supersedere posse existimamus, cum (pag. 220. et pag. 230. n. 1.) quae benevolentia V. D. Wasserschleben de ejus contextu accepimus retulimus, atque inde in eo nihil nisi Vitam Theoderici Mett. ad Sigib. pertinere ostendimus. —

Quod in Magno Chronico Belgico ap. Pistor. III. pag. 100. ad an. 1016. „Sigibertum in gestis Ducum Brabantiae" citari invenimus, solum lapsu calami scriptoris factum esse jam ex aetate originis ducatus Brabantiae et aliis gestorum duc. Brabantiae in Chronico illo notitiis conjicere possumus.

2) cf. Bouquet. Recueil XIV. praef. pag. LXXIX. Hist. litt. XIV. 366.

mus, causa non solum haec est, quod id ad Sigiberti laudes in universum pertinere existimemus, sed ea, quod his continuatoribus textus Chronici cum auctus, tum mutilatus atque quam maxime immutatus sit, ita ut usque ad hunc diem auctorem nostrum nondum integro atque accommodato studio editum esse non sine magno dolore querendum sit. — Quae cum ita sint, quis non intelligat, non nisi variis continuationum atque interpolationum generibus distinctis atque — ut hoc vocabulo utar — historia textus genealogica eruta — discerni atque dijudicari posse, quae re vera Sigiberto tribuenda, et quae aliorum opera agglutinata sint.

Si autographon ipsum Chronici Sigibertani vel codex quidam manuscriptus nulla continuatione auctus in manibus nostris esset, hac quidem quaestionis parte plane supersedere possemus, cum, hoc inspecto nullis dubitationibus locus relinqueretur. Porro, si omnium, qui adhuc exstant, Sigiberti codicum accuratis notitiis et collationibus adjuvaremur, perfectam omnium immutationum et depravationum, quas textus ille passus sit, quasi genealogiam quandam edere si minus perficeremus, at certe perficere tentaremus. — Quod utrumque tantum abest, ut nobis contingat, ut omni codicum manuscriptorum ope destituti, solum ex iis, quae vel editores Sigiberti, plerumque omnibus Critices regulis abusi, vel alii in documentis medii aevi pridem versati, iique haud raro errantes, attulerunt cognitionem nostram haurire possimus, atque manuscriptorum collationibus carentes, varii generis descriptoribus — quos ad textum emendandum caute adhibere ipse criticae hujus aetatis mos docuit — percensitis ex eorum auctoritate interdum quae in textibus editis Sigiberto propria vel ab eo aliena essent, discernere conemur. — Hanc disquisitionem natura sua mancam, vitiisque infectam esse, et per se clarum est, et ipsi eo libentius confitemur, quo clarius nos necessitate quadam, quae exigit, ut tandem de multis locis, qui semper sub Sigiberti nomine ferebantur et de natura praecipuarum ejus continuationum certius quiddam statueretur, ad eandem suscipiendam commotos esse patet, et quo certius jam sperare licet, vix lustrum praeteriturum esse, quin cura Virorum eruditissimorum et acutissimorum, qui religiosam Monumentis Germaniae edendis operam navant, nova Chronici Sigibertani genuini editio omni textus historia instructa prodeat. — Quam, licet, quantum et in quibus a nobis erratum sit, patefactura sit, laetissimo tamen et gratissimo animo salutabimus, satis habentes qualemcunque tanto aedificio materiam suggessisse. —

I. CONTINUATORES.

A. GENUS CONTINUATORUM GEMBLACENSE.

1. *Anselmi Abbatis Gemblacensis Chronicon ab anno* 1113. *ad an.* 1136.[1])

Ipsa res postulavit, ut Gemblacenses inprimis Sigiberti Chronicon continuandum curarent, cui negotio primus sufficere studuit Anselmus qui paucis mensibus post Sigiberti obitum Liethardo die II. Non. Febr. 1113. mortuo, Abbas Gemblacensis est electus atque in eodem munere anno 1136 diem obiit supremum, quare ipse usque ad diem fere mortis Chronicon continuavit. Sunt igitur omnia, quae litteris mandavit, ipsius aetate acta, ut jure de eo continuator „eum visa, vel a fidelibus relatoribus audita, posterorum notitiae dereliquisse"[2]) glorietur. — Rubricas regnorum Romanorum, Francorum, Anglorum et Hierosolymitanorum, quas Sigibertus in fine Chronici distinxerat, ipse laudabili satis cura tuetur, etsi eum ingenio Sigiberti inferiorem atque naturalibus eventibus et miraculis enarrandis nimis indulgentem mox deprehendas.

Quomodo de ipso Sigiberti textu meritus sit, atque num in eo nihil vel addiderit vel expunxerit, paucis infra a nobis disputabitur; certiora tamen tum demum statui posse fatemur, cum codex Gemblacensis, ex quo Miraeus eum edidit, cognitus et secundum veram suam auctoritatem dijudicatus fuerit.

2. *Auctarium Gemblacense ab anno* 1136 — 1148.

Mortui Anselmi calamum excepisse videtur monachus quidam anonymus Gemblacensis, qui eodem regnorum ordine conservato, res usque ad an. 1148. enarravit. — Auctorem coaetaneum fuisse vix dubitare possumus, etsi miraculum quoddam in incendio monasterii Gemblacensis affirmaturus,[3]) „hoc hodie multas attestari non solum laicales, sed etiam ecclesiasticas personas" dicat, cum eodem anno „discordiae malum quia perniciosum sit omnibus, se plus jam suis tribulationibus, quam in codicibus legere" confiteatur. — Idem quo-

---

1) Ap. Miraeum l. c. pag. 183 — 198. inde ap. Struv. l. c. pag. 943 — 957. Fragm. ap. Bouq. XIII. pag. 266 — 271.

2) Auctar. Gembl. ad. an. 1136. pag. 199.

3) Id an. 1136. pag. 199.

que singularum narrationum quamvis brevitatis studio atque plura silentio praetermittendi consilio satis decurtatarum[1]) habitu suaderi et hoc ipso confirmari videtur, quod jam aetate mox insequenti Auctarium illud ab aliis Sigiberti continuatoribus adhibitum sit.[2]) — Ex eodem codice Gemblacensi, e quo Sigibertus et Anselmus, apud Miraeum editum,[3]) inde ap. Struv. recusum, in Coll. Gall. excerptum est.[4]) — Codex ms. Gemblacensis in anno 1148. desinit. —

3. *Continuatio Bernensis (Anglica) inedita.*

Exstat porro Continuatio quaedam, etsi inedita, Auctarii Gemblacensis. — Nam in codice quodam membranaceo, olim Bongarsii, nunc bibliothecae publicae Bernensis,[5]) post Chronicon Sigiberti ab Anselmo et monacho Gemblacensi[6]) usque ad haec verba anni 1150:

Et cum jam ad arma ex utraque parte ventum fuisset, Teutonici accepta pecunia, vendiderunt Dacos, coeptoque proelio se subtrahentes, multa milia Dacorum Sclavorum occiderunt gladiis:

quibus etiam Cod. Gembl. ad an. 1148. clauditur,[7]) continuatum, invenitur Continuatio, ex Sinneri relatione „paucorum tantum annorum res gestas continens, praecipue vero de gestis Pontificum et historia ecclesiastica tractans." Desinit fol. 97. initio Cap. XLV.[8]) his verbis:

---

1) Auct. ad an. 1137. Prudens lector, habeo tibi aliquid dicere, cupiens magis doceri quam docere. Beatus Gregorius dicit, inconveniens esse, ea, quae carent gravitatis soliditate, in libris congerere. Studiosis enim lectoribus non sunt utilia, sed fastidiosa. Hoc exemplo nos de multis quae contingunt conscribimus pauca, sed eminentiora: ut habeatur secundum legem chronicae rerum gestarum breviter digesta veritas, et caveatur inutilis et undecumque congesta prolixitas. Si antea aliquid conscriptione dignum aestimaveris a nobis praetermissum, studiosis scripturarum scias esse dimissum, quia non omnia possumus omnes, nec omnia volunt omnes et laudatur quidam dixisse prudenter et breviter.

Quid dem, quid non dem, renuis tu, quod jubet alter.

2) cf. infra.

3) pag. 199—207.

4) ap. Struv. pag. 958—966. Bouq. XIII. 271—274.

5) cf. Catalogum Codicum Mss. Bibliothecae Bernensis illustratum: addita sunt excerpta quamplurima et praefatio curante *J. R. Sinner.* Tom. II. 1770. pag. 609—615. Archiv II. 387. IV. 416. V. 494. Codex membr. saec. XIII. hunc gerit titulum „Chronica Sigeberti compilata ex dictis Prosperi Jordanis et Gregorii Turonensis."

6) cf. locos ad an. 1113. 1137. ap. Sinner. l. c.

7) Miraeus tamen ad an. 1148. legit: multa millia Dacorum occidit Sclavorum gladius:

8) cf. Sinner. l. c. Archiv V. 494.

Rex Stephanus et Matillis uxor sua fundarunt Monasterium in Thefauresham in Cancia eique Clarembaldus . . .

quae auctorem Anglum fuisse suadent. Ceterum litteris minus imbuti atque festinantis sane Sigibertani Chronici lectoris est, contendere, Sigibertum ipsum usque ad concilium anni 1148. Remense res enarrasse;[1]) devoti clerici, eum vituperare „quod Chronicis suis nonnulla inseruisse visus est, quae videntur Ecclesiae Romanae privilegiis obviare et Sanctorum traditionibus Patrum." — Inde, ea Sigiberti, quae ad pontificalem historiam pertinent, perstringendi, atque, quae ab illo omissa esse et quae Ecclesiasticis negotiis adminiculari posse opinatus est, subtexendi consilium cepisse videtur, atque operae pretium est, cognoscere, ut hoc ei cesserit. —

Collatio codicis jam ante plures annos impensis Societatis aperiendis fontibus rerum Germanicarum instituta in V. D. Stenzel manibus conservatur.[2])

4. *Continuatio Affligemensis sive Codex Justi Lipsii.*

Miraeus memorat porro codicem, cujus usum Justi Lipsii benevolentiae debuit,[3]) qui quidem Sigiberti, Anselmi ejusque Continuatoris Gemblacensis annalibus quaedam additamenta hic illic adspersit, eosque usque ad an. 1163. perduxit.[4]) — Auctorem esse monachum coenobii Affligemensis ordinis Benedictini in Brabantia jam Miraeus affirmavit,[5]) quod primo quisque obtutu concedet, cum anno 1083 ejus monasterii origines annotet, atque — ut solum Sigiberti annales perlustrem — de eodem ad an. 1086., 1087., 1088., 1096., 1099., 1100., 1105. agat. Omnem dubitationem, si qua esse posset, sustulit Kluit,[6]) qui codice tunc in Bibl. Publ. Leidensi asservato inspecto, ad an. 1087. eo loco, ubi Miraeus:

---

1) Sic l. c. pag. 613. Secutus est eum (scil. Hugonem Canonicum S. Victoris!) Sigebertus Jamblensis Monachus qui ab anno primo Valentiniani et Gratiani telam narrationis eam perduxit usque ad concilium Remense quod tempore jam dicti Ludovici Regis Francorum celebratum est Conrado regnante in Alemannia anno D. J. 1148. Inde idem pag. 615. . . . ut itaque . . . Chronicis Sigeberti narratio nostra continuari possit a Concilio Remensi, in quo ille suum finit ordinem, nostrum subtexentes ea, quae ab illo constat fuisse praeterita et Ecclesiasticis negotiis adminiculari posse creduntur.

2) Archiv VII. 535.

3) Praef. ad Chron.

4) Inde ap. Struv. pag. 966—975 excerpt. ap. Bouq. XIII. pag. 274 —278.

5) l. c. pag. 208.

6) Hist. critic. Holland. et Zeeland. II. 1. pag. 99.

Domnus Fulgentius *Affligemensis* coenobii primus Abbas hoc anno electus est.

Domnus Fulgentius *hujus* coenobii primus abbas hoc anno electus est.

ad an. 1096. vero, ubi Miraeus:

Ida Boloniensium Comitissa tradidit *Affligemensibus* ecclesiam, quae est in villa Genapia.

Ida Bolon. Comit. tradidit *Nobis* ecclesiam, quae est in villa Genapia

legi docet. — Aetati, cujus res descripsit, pluribus locis se supparem praebet;[1]) certe eum non post annum 1189. scripsisse, locus anni 1164. docet.[2]) Res coenobii Affligemensis, Sigiberti annalibus adjectas, plerumque ex „Historia" quadam ejusdem, ab auctore conscripta, qui „quomodo, quo tempore, quibusve fundatoribus Affligemense coenobium inchoatum sit, ab eis, qui rebus ipsius interfuerunt, atque ex eo tempore ad suum usque perdurarunt, accepisse" fatetur,[3]) porro se ea post annum 1151. litteris tradidisse ipse testatur,[4]) excerptas esse omnibus, qui locos conferre voluerint, patebit.[5])

Sunt porro praeter illas Affligemenses in textu Miraei notitiae e Cod. Lips. annotatae ad an. 608. 610. 618. 639. 640. 645. 662. 665. 674. 678. 684. 697. 698. 720. (761. Caput

---

1) sic ad an. 1153: Ascalonis urbis per Christianos expugnatione enarrata addit: Vir ille, qui praesens fuit, et omni tempore obsidionis in exercitu duravit, quod vidit nobis narravit; sic in enarranda fame anni 1155: In hoc tamen ad ultimum stetit sententia, ut pecunia mutuo amicorum fide sumta, *emeremus* victui necessaria. *Misimus* ergo fratres nostros in aliam regionem. cf. de fame anni 1163. ap. Mir. pag. 217—218.

2) Nam ibid. pag. 211. ita: Rex in Anglia constitutus est Henricus, cujus avus fuit ille magnus et famosus Angliae rex *Henricus*, Filia namque ejus, quae Imperatori nupta Imperatrix dicebatur et erat, Comiti Andegavensi in conjugio post ejus excessum copulata *hunc, qui modo* regnat de eo suscepit et fratres ejus. — Obiit vero Henricus II. anno 1189.

3) ap. d'Achery Spicil. ed. de la Barre II. pag. 769.

4) Nam Cap. VIII. l. c. pag. 772. Arnulfum quendam monasterium illud anno aedificationis quarto (i. e. 1087). ingressum, ibi „annis circiter sexaginta quatuor" vixisse tradit. cf. Hist. litt. de la France XII. pag. 407.

5) cf. cum anno 1083. Affligemense — aggreditur Hist. Cap. I. l. c. pag. 770. Cap. 2. His itaque — aedificare; cum an. 1086. Affligemensis — adsociaverunt Cap. 4. ab init. — inveniunt. Cap. 5. Cap. 7. init.; cum an. 1087. Domnus Fulgentius — Martini Cap. 10. init.; cum an. 1088. Hoc anno — Gregorii cum Cap. 11. l. c. pag. 773. laev. Abbas — sublimatus est; cum anno 1096. Ida — concessit. Cap. 17.; cum an. 1099. Cellam — regendam Cap. 18. in init.; cum 1100. Cellam — regendam. Cap. 20. l. c. pag. 776. laev. — Singulis in notitiis inveniri quaedam quae vel addita sint fonti vel mutata, lector mox intelliget; percensere ea longum est. —

Joannis — vocatur. quod vero etiam in Cod. Gembl.) 772. 870. 944. 975. 1002. 1005. 1020. 1023. 1030. 1033. (In diebus — detruxit; num etiam usque ad — moritur?) 1057. 1061. 1063. (Robertus — constructum est: sive usque ad; uxorem? 1067. 1070. 1084. (Comes — Idam: quod etiam in textu veteri legitur: num etiam: Bruno — incipit?) 1086. Richildis — adsciscitur; Affligemensis coenobii — adsociaverunt. vid. supr.; Arnulfus — sepelitur,[1]) (1087 num: Hugo — habetur) 1093. Eodem anno — Rotbertus (num etiam: Lanfrancus — conscripsit?) 1100. Rotbertus — remanentibus. 1101. Anselmus Laudunensis — ditavit (num etiam; Bruno — Calabria) 1106. 1111. 1118. 1120. (res Affig.) 1127. 1140.

Inter has, quas Miraeus Cod. Lips. sine ullo dubio adscribit, primum locum tenet notitia an. 608: „in castro Gandae ecclesiam esse aedificatam," neque minus res Gandenses et Blandinienses annotantur ad an. 610. 618. 639. 684. 870. 944. 975. 1020. 1067. — Tum chronicon fere comitum Flandriae, inde a Balduino (IV.) Barbato ad an. 1030. 1033, per Balduinum V. ad an. 1057. 1061. 1063. 1067. Balduinum VI. et Robertum Frisonem ad an. 1063. 1070. Richildem, Robertum II. ad an. 1086. 1093. 1100. usque ad Balduinum VII. et Carolum ad an. 1111. 1118, deductum in notitiis ejus exstare nullo negotio intelligitur. — Enarrantur in his locis plura, quae in vetusta comitum Flandriae genealogia,[2]) saeculi XII. ineuntis opere, desideras; eam vero redolet,[3]) quod etiam ad an 1005. quaedam de domo Godefridi, ducis de Enham — atque hoc quidem loco multo auctiora — inseruntur. Qualis igitur sit scriptoris Cod. Lips. fons, ex his jam facile augurari poteris. Reliquae etiam notitiae plerumque ad historiam regionis illius pertinent; sic ad an. 640. et 698. res Sithienses, ad an. 697. res S. Vedasti ad an. 720. S. Wulframni Senonensis ad an. 772. S. Amalbergae attinguntur. —

In enumeratione harum notitiarum hoc potissimum offendit, quod Miraeus codices interdum minus accurate distinxisse videtur; nam quamvis nonnullis locis, quibus annalibus Sigiberti plures notitias nullo modo inter se cohaerentes addit, codices, ex quibus eas desumserit, studiose annotet, ut ad an. 1111. non desunt tamen exempla, ex quibus intelligi-

1) vide Alberic. ad an. 1086.

2) ap. Warnkoenig l. c. inter Probb.

3) cf. loc. cit. pag. 16.

tur, talia, quae alii codici deberi videantur, notitiis Cod. Lips. nullo signo addito adjecta esse. Sic ad an. 1100. post locum de Roberti, Comitis Flandriae, reditu et post illum „de cella S. Andreae prope Brugas a Fulgentio Affligemensium Abbate suscepta" e Cod. Lips. sequitur.

Rotbertus Comes Flandrensium ab Hierosolymis repatrians, detulit secum brachium sancti Georgii martyris, *quod ecclesiae Aquicinensi transmisit per venerandum Haimericum Abbatem ipsius loci, illatum Aquicincti XII. Cal. Julii.*

qui locus usque ad verbum, transmisit: plane cum loco textus veteris et Roberti de Monte ad an. 1100. consentit, hac vero, qua eum Miraeus offert forma, e Codice Aquicinctino desumtus esse videtur. Quo adducimur, ut dubitemus, num aliquot rerum universalium notitiae, quae in textu Miraei res illas sive Gandenses et Blandinienses, sive Flandrenses et Affligemenses sequuntur, sicut illa anni 1033. Cunigundem imperatricem obiisse an. 1063. Salomonem Ungarorum Regem Heinrici Imp. sororem accepisse uxorem," loci porro ad an. 1084. 1101. de Brunone Carthusiani ordinis institutore ad an. 1087. de Hugone Cluniacensi, ad an. 1093, de Lanfranco et Anselmo ex hoc codice sint desumti; — qua de re certius judicium penes eos est, quibus eum inspicere licuit.

Altera ex parte Miraeum nonnullis locis, qui re vera Cod. Lips. sunt, signum illius omisisse pro certo habemus; Nam ad an. 1088;

Hoc anno domnus Fulgentius primus Affligemensis coenobii Abbas consecratus est in festivitate sancti Gregorii.

quem locum cum contextus ipse, Cod. Lips. vindicat, sine ullo signo litteris minusculis editus. Notitiam porro ad eundem annum pertinentem:

Monasterium sancti Joannis in Florinis concrematur anno LXXII. suae consecrationis

pariter signo carentem, nescio utrum Cod. Lips. an. Cod. Aquic. (propter notit. seq.) an recentiori manui in Cod. Gembl. adscribam. — Itaque Miraeum verisimile est pluribus locis in eandem hanc negligentiam incidisse et disceptari de hoc potest, num forte quaedam ejus textus notitiae litteris minusculis expressae, si contextum accuratius examines, Cod. Lips. adscribi possint. Nam loci ad an. 633. et 762. 1007. 1013. ad res Gandenses, ad an. 658. (Obiit — Baudemundus) 960. ad res Blandinienses pertinent; notitiae anni 644. et anni 701. cum illa anni 645. e Ms. Lips., notitia anni 695. (Ansbertus — obierunt) cum illis an. 674. et 678. cohaerent; notit. an. 918. et 931. rebus comitum Flandrensium supplendis

accommodatae videntur. — Nobis haec tantum tribus verbis attingere licet; sed, qui ipsos codices inspexerint, gravioribus fortasse argumentis Miraeo negligentiam exprobrabunt. —

Majus est, quod in ipsius continuationis Affligemensis ab anno 1149. usque ad an. 1163. editione Miraeana deprehendimus, et de quo, quamvis causam non perfecte hic explicare liceat, monere tamen non alienum videtur. —

Albericum Monachum Trium-fontium Sigiberti Chronicon ex recensione Affligemensi descripsisse, permultis argumentis patet, eumque, Sigiberto vel Anselmo ipsis nominatis, locos eorum plerumque iisdem verbis retinuisse continua comparatione probatur. Attamen si aliquot ejus locos de rebus Friderici primi Imperatoris cum editione Miraeana contuleris scil.:

Alberic. ad an. 1155. ap. Leibn. Access. pag. 326—27.	Auct. Afflig. ad an. 1155. pag. 212.
Imperator Fridericus praeterito anno profectus hoc anno Romam venit, multis in itinere laboribus attritus et diversis hostiliter obsistentibus quos omnes *tam sagacitate quam virtute* superavit, et ad deditionem atque ad subjectionem compulit. — Romanis Principibus mandavit, ut eum cum pace susciperent, et *debitam* subjectionem non negarent, quod illi *pecuniae inhiantes contumaciter* renuerunt dicentes, quod, nisi ad quas vellent condiciones adquiesceret, ipsos non subjectos sed hostes sentiret. Imperator *semper eorum inexpletam avaritiam respuens* Romam armata manu ingreditur. Papam Adrianum amicum *et aptum* sibi inveniens in Ecclesia sancti Petri benedicitur. *confirmatur* et coronatur. Interim exercitus ejus hostium non ignorans insidias, totum procinctum Ecclesiae sancti Petri armatus circumdederat, donec omnibus expletis *cum* Imperatore egrederetur.	Imperator Fredericus, praeterito anno profectus, hoc anno Romam perrexit, multis in itinere laboribus attritus et diversis hostiliter obsistentibus, quos omnes . . . . superavit, et ad deditionem atque subjectionem compulit: Romanis Principibus mandavit, ut se cum pace susciperent, et . . . . subjectionem non negarent. Quod illi . . . . renuerunt, dicentes, quod, nisi ad quas vellent conditiones acquiesceret, ipsos non subjectos, sed hostes sentiret. Imperator Romam armatus ingreditur, Papam Adrianum amicum . . . . sibi inveniens in Ecclesia S. Petri benedictione . . . . coronatur. Interim exercitus ejus, non ignorans insidias totum procinctum Ecclesiae S. Petri armatus circumdederat donec, omnibus expletis . . . . Imperator egrederetur.
Romani *tam pudore quam dolore animo concitato*, quibusdam residuis, quos incautos occupaverant interfectis, cum Imperatore congrediuntur, sed mox in fugam versi, ad Tyberis alveum coguntur. Quanti in congressione ceciderint, quanti in flumine submersi sint, scriptis commit-	Romani . . . . quibusdam residuis, quos incautos occupaverant interfectis, cum Imperatore congrediuntur: sed mox in fugam versi, ad Tiberis alveum coguntur. Quanti in congressione occiderint, quanti in flumine submersi sint, scriptis com-

tere non audeo, Imperator victor regreditur, *floret Imperium et Dominus rerum gloria sublimis attollitur.*

ad an. 1158. pag. 332.

Frederico Imperatore in Italia posito, civitatibus et urbibus *ejus dominio subjectis* Duces, Comites et principes terrae ad eum *partim amore, partim* timore convenerunt, *debitam ei* subjectionem et reverentiam exhibuerunt, exceptis Mediolanensibus, *qui sicut praedecessoribus suis, ita ipsi quoque rebelles extiterunt.* —

Ipse absque ulla dilatione *sua usus constantia* civitatem obsedit et quamvis interius haberent, ut dicitur, sexaginta millia armatorum, primo tamen et secundo congressu multa strage humiliatos ad deditionem compulit, ut ducentos de nobilioribus civitatis darent obsides, et quamcunque conditionem sibi ab eo impositam susciperent. Quibus acceptis et conditionibus sacramento firmatis quasi securus, exercitum quosdam in propria, quosdam in hyberna dimisit. — Ipse in Italia se retinens, *pius et justus ab omnibus appellatus et secundus post Carolum justitia et pietate est habitus. Interim tamen otia piis reipublicae perornans negotiis,* Laudam civitatem quam Mediolanenses detruxerant in tutiori loco translatam restruxit, Cumam quoque civitatem quam iidem *Dei et sui hostes* pene destruxerant, renovavit et munivit.

1159. pag. 334.

Mediolanenses *violatis sacramentis* castrum in quo Imperator thesauros suos exposuerat, invadunt, milites ejus custodes castelli capiunt thesauros diripiunt, ulterius quoque praecedentes amicos ejus et confoederatos impugnant. Ipse hoc audito *ultra quam credi potest admirans et exhorrens ipsorum perfidiam decrevit Dei et suam injuriam de crimine infidelitatis debita talione vindicandam.*

Obsedit itaque Criminum satis munitum castrum. . . .

mittere non audeo. Imperator victor regreditur.

ad an. 1158. pag. 215.

Frederico Imperatore in Italia posito civitatibus et urbibus . . . . subactis Duces, Comites et principes terrae ad eum . . . . timore convenerunt, ... subjectionem et reverentiam ei exhibuerunt, exceptis Mediolanensibus.

Ipse absque ulla dilatione . . . . civitatem obsedit, et quamvis interius haberent, ut dicitur, sexaginta millia armatorum, primo tamen et secundo congressu multa strage humiliatos ad deditionem compulit, ut CC. de nobilioribus civitatis pacis obsides darent, et quamcunque condicionem sibi ab eo impositam susciperent. Quibus acceptis et condicionibus sacramento confirmatis quasi securus, exercitum, quosdam in propria, quosdam in hiberna dimisit. — Ipse in Italia se retinens

Laudam civitatem quam Mediolanenses destruxerant, in tutiori loco translatam restruxit. Cumam quoque quam iidem pene destruxerant, renovavit et munivit.

1159. pag. 216.

Mediolanenses . . . . castrum in quo Imperator thesauros suos deposuerat, invadunt milites custodes castelli capiunt, thesauros diripiunt, ulteriusque progredientes, amicos ejus et confoederatos impugnant. — Ipse hoc audito

obsedit Criminum Castrum satis munitum. . . .

atque anno 1162. illam de subjectis Mediolanensibus narrationem:

ap. Alberic. pag. 338.	pag. 217.
Calendis itaque Martii omnes per turmas suas exeunt, prius Principes, post eos nobiles, et milites manibus gladios suos tenentes, quasi rei Majestatis et proditores, deinde promiscuum vulgus funibus colla innexi, in ciliciis, cinere capitibus asperso ad pedes Imperatoris in modum crucis se prosternunt.	Calendis itaque Martii omnes per turmas suas exeunt, prius Principes, post eos nobiles, et milites, gladios manibus tenentes, quasi *essent* rei Majestatis et proditores, deinde promiscuum vulgus, funibus colla innexi, in ciliciis, cinere capitibus aspersis, ad pedes Imperatoris in modum crucis se prosternunt.
Ille pius et misericors lachrymis perfusus, qui proposuerat eos ad terrorem aliorum diversis suppliciis interimere, vita donatos rebusque necessariis, quantum secum ferre poterant, concessis per regiones dispersit, ita ut non haberent licentiam amplius in civitatem revertendi.	Imperator . . . . qui proposuerat eos ad terrorem aliorum, diversis suppliciis interimere, vita donatos rebusque necessariis quantum secum ferre poterant, concessis per regiones dispersit, ita ut non haberent licentiam in civitatem amplius revertendi.

mox quae in editione Miraeana desunt, non casu quodam excidisse sed de consilio omnia quae Fridericum posteris commendare, vel adversariorum famam imminuere possent, omissa esse intelliges. — Utrum Albericus Codice adhuc integro, vel ejusdem apographo nondum sacerdotali manu vitiato usus sit, an Miraeus ipse iniquum ecclesiasticorum morem secutus ea resecuerit, collatio codicis docebit. Haec quidem suspicio eo maxime augetur, quod etiam Anselmi annalibus a Miraeo editis, cum Alberico collatis, idem interdum consilium elucet. Sic ad an. 1114. Henricum „cum magna optimatum suorum et totius Regni gloria" natale Domini celebrasse (quod Anselmo non solum per Albericum,[1]) sed etiam per Continuatorem textus veteris[2]) vindicatur) deest:

ad an. 1115. ap. Albericum pag. 228.	ad an. 1116. ap. ipsum.
Henricus imperator in Italiam secedit propter maximos motus Regni, et maxime propter Marchisae Mathildis cognatae suae, quae recens obierat, haereditatem, *quae sibi jure competebat*, obtinendam.	Heinricus Imperator in Italiam secedit, propter asperos motus regni et maxime propter Marchisae Mathildis cognatae suae, quae recens obierat, haereditatem obtinendam.

ad an. 1118. „Burdinum clericum Hispanum" (antipa-

1) cf. ad an. 1114. *a.* Leibn. l. c. pag. 224.

2) ap. Struv. l. c. qui Anselmum descripsit. vid. infr.

pam) nullo addito adjectivo memorat, cum apud Albericum eodem loco descripto „satis bonum" adjiciatur; ad an. 1133. (Lotharius Imperator) „*Romanos* a discidio partium nequiens revocare" traditur, ubi ap. Albericum *Romanorum avaritiam* a dissidio procerum nequiens provocare. — Denique Miraeum in Annalibus Aquicinctinis decurtandis simile consilium agitasse, Martene et Durand codice ipso inspecto, satis caute conjecerunt atque collatio cum textu Parisiensi edito id quam maxime confirmat. — Quibus omnibus commovemur, ut quaeramus, num forte Miraeus, qui textum Sigiberti cum satis mediocri fide exhibuit, continuatores ejus magis deturpare in se admiserit, cum non ex prioribus editionibus corrigi iisque piae fraudis convinci posset.[1])

B. GENUS CONTINUATORIS CISTERCIENSIS ANONYMI.

1. *Continuatio Ursi-campina usque ad an.* 1155.

A textu, quem Miraeus typis edendum curavit, ad eum transgrediamur, qui editione principe an. 1513. continetur, quique ad Struvii usque editionem in reliquis omnibus repetitus est.[2]) —

Continuatio in eo usque ad an. 1210. pertinet, nomenque Roberti, Abbatis Montis (S. Michaelis in Normannia) prae se fert. — Intelligebatur autem, praesertim cum an. 1651. continuatio Sigiberti, a Roberto illo composita, e Codice ipso monasterii S. Michaelis, fortasse auctoris autographo prodiisset,[3]) veterem usque ad verba anni 1155.:

In partibus Burgundiae 15 calendas Februarii tertia feria ter in una nocte fuit terrae motus, quo etiam diversa aedificia dicuntur fuisse subversa:

plane ab illa diversam esse, inde ab illo loco in pluribus quidem congruentem, in nonnullis tamen breviorem esse, ex quo diversa prorsus nobis opera oblata esse colligebatur. Hinc alium continuationis ex editione principe propositae au-

1) Miraeus ipse minus distincte in praef. ad Chron. Finem faciam, unum si addidero, religioni mihi fuisse, oblitterare, si quae forte, ut occurrent, a Sigiberto dicta asperius aut imprudentius (quod vero si uspiam tantum in unum exemplum, infra disputandum, valere potest. — Porro, quae Sigeberto, eadem esto gratia Anselmo Gemblacensi et caeteris Auctariorum conditoribus, si forte uspiam liberius pro temporum ratione locuti sint aut scripserint: et Kluit. l. c. Habeo alia majoris momenti ex hoc codice Ms. notanda, quae nunc silentio praetermitto.

2) cf. ap. Struv. pag. 865—885. ap. Bouq. XIII. pag. 326—332.

3) Scil. ad calcem Opp. Guiberti de Novigento, ed. d'Achery. fol.

ctorem fuisse facile apparuit, quem Olearius[1]) et Labbeus Religiosum aliquem ordinis Praemonstratensis in Dioecesi Laudunensi aut non procul ab ea fuisse[2]) conjecerunt, Editores Script. rer. Francogallicarum, autem Robertum illum, qui in Chronico S. Mariani Altissiodorensis ad an. 1210. his verbis significatur: „Hucusque perduxit chronica sua frater Robertus" agnoscere sibi videbantur,[2]) utrique quidem decepti, hi vero eo luculentius errantes, quo certius loco illo Chronici S. Mariani Hugonem ejusdem ab anno 1210 continuatorem Chronicon hoc usque ad illum locum a Roberto (monacho Praemonstratensi S. Mariani Altissiodorensis) conscriptum esse, explicasse, neque ullum aliud opus historicum eodem significasse constat,[3]) et quo facilius collatio quaevis instituta docet, Robertum illum Altissiodorensem Sigiberto a continuatore illo usque ad an. 1155. tantum perducto usum esse, inde vero aliam viam iniisse.

His igitur rejectis plane ab opinione illa auctori Continuationis text. vet. Roberti nomen fuisse nobis abstinendum

---

1) Bibl. script. eccles. pag. 163. ap. Struvium. pag. 687. qui eum, licet erraverit, iniquo modo vituperavit, ei objiciens, Robertum de Monte et Robertum de Thorigneio esse unum eundemque, quod Olearius nunquam infitias ivit. — Struvius vero jam intellexit, Robertum Abbatem Montis S. Michaelis, qui circa an. 1186. jam esset defunctus non potuisse Chronicon perducere ad an. 1210.

2) sic *Labbeus* Diss. Philologic. de scriptoribus Ecclesiast. quos attigit Cardinal. Robertus Bellarminus. 1660. 12. II. pag. 352.

3) cf. Tom. XIII. Praef. Nr. XVII. pag. XXXII. et ibid. pag. 326. Not. 9. cum libro inscripto, „Chronologia, seriem temporum et Historiam rerum in orbe gestarum continens ab ejus origine, usque ad annum a Christi ortu 1200." Auctore anonymo, sed coenobii S. Mariani apud Altissiodorum, Regulae Praemonstratensis monacho etc. nunc primum in lucem edita opera et studio Nicolai *Camuzaei* Tricassini Trecis. 1609. 4. fol. 106—107.

4) cf. Praef. Camuzaei l. Not. 3. cit. — Longius ed. Fevret. de Fontette II. 16630. et Hamberger in Directorio continuationem Sigiberti in textu veteri trium esse auctorum, quorum primus usque ad an. 1155. pertinebat, jam cognoverunt; Hamberger locos ad an. 1118. Leodiensem ad an. 1124. Praemonstratensem auctorem indicare contendit. — Quin etiam ipso illo volumine XIII. Edit. script. res Francogall. pag. 285. 326. tres esse partes continuationis, quarum ultima ab anno 1184—1210 a monacho Gemeticensi anonymo conscripta sit (de quo infra) concedunt, tamen adhuc in Vol. XIV. Hist. litt. Franc. pag. 370. „La chronique de l'abbé (scil. S. Michaelis) a été longtemps confondue *avec la chronique d'un autre Robert Prémontré* qui vivait au commencement du XIII. siècle; de tertia ab an. 1184: ibid. haec: *et le faux Robert du Mont l'a continuée jusqu'à l'année* 1210. — Cum ibidem, tum et aliis locis, sicut ap. Longium disquisitio de partibus continuationis text. vet. auct. Conr. Janningo in Act. Sanct. Jun. Tom. VI. P. 2. pag. 171. citatur, quam ipsi non legimus.

est, cum haec editionis principis inscriptio, haud dubie e codice translata, improprie de altera tantum continuationis parte (ab anno 1155. epitome Roberti de Monte) usurpata esse videatur. — Itaque jam in singulas continuationis partes inquiramus. —

Quarum cum prima jam e rerum natura hoc modo terminetur, ut usque ad locum: subversa: qui ultimus discedit a Roberto de Monte genuino, pergat,[1]) haec manifestis etiam insuper argumentis unius ejusdemque auctoris esse evincitur. — Qui, qualis et unde fuerit, abunde ipse docuit. — Res enim monasterii Ursicampi (Orcamp) in dioecesi Noviomensi ex regula ordinis Cisterciensis conditi singulari cura tractasse videtur. Sic ad an. 1129:

Coenobium Ursicampi fundatum est a nobilissimo praesule Noviomensi, domino Simone, qui Hugonis magni filius fuit, frater autem Radulfi comitis et regis Ludovici fratruelis, adducto conventu monachorum a Clarevalle et domino Valeranno primo abbate ordinato qui primus ex nobilioribus personis Claravallem sua conversatione illustravit:

enarrans, cum diplomate de fundatione monasterii a Simone episcopo Noviomensi in publicum emisso,[2]) consentit; ad an. 1135. annotans:

Monasterium de Prato fundatum est sub primo abbate Petro, prima plantatio, quam protulit *pater* Valerannus ex propria domo.

exordia monasterii Belli - Prati[3]) in dioecesi Bellovacensi recte adumbrat, et quae ipsi cum Valeranno abbate Ursicampi conjunctio intercedat, hoc insigni „patris" epitheto honorato, satis lucide declarat. Inde ad an. 1138. observat.

Hoc tempore venerabilis vitae Alexander primus abbas Mortui — maris, se et domum suam tradidit abbati Ursicampi.

qua in narratione cum Historia Coenobii Mortui — Maris plane consentit.[4]) — Praeterea, quod ad annum 1140. dicit:

---

1) cf. notitiam codicis Divionensis, a V. D. Waitz editam in Archiv VII. pag. 534. qui quidem usque ad eundem locum (subversa) pergit. —

2) cf. origines monasterii enarratas ap. Gall. Christ. IX. col. 1129. diploma ipsum datum anno 1130. ibid. X. col. 375 — 377.

3) cf. origines monasterii Belli - Prati, simili modo expositas in Gall. Christ. IX. col. 834 — 35.

4) In Fragmento Historiae Coenobii Mortui-Maris ab anno 1130. usque ad an. circiter 1200. ap. Bouquet XIV. pag. 509 — 514. (ex cod. ms. Mortui-maris) pag. 510. haec:

Eodem tempore anno ab inc. Dom. 1137. abbatia Ursicampi, quae a Clarevalle exierat. (cf. supra cum Not. 2.) non mediocriter proficiebat sub venerabili viro Gualeranno primo abbate filio nobilissimi viri Andreae de Baldement. Filiam quoque jam procreave-

Coenobium sanctae Mariae de Frigidomonte a *piae memoriae* Valeranno primo abbate Ursicampi fundatum est:[1])

eo clarius etiam se monachum Ursicampinum fuisse prodit, atque quasi interpretatur id, quod ad an. 1142.[2]) obitum „patris" Valeranni annotat.

Jam si continuatoris condicione, quantum licebat, cognita ad ea quae litteris mandavit, animum advertas, eum Anselmum Gemblacensem pluribus locis vel descripsisse vel excerpsisse[3]) minime te fugere potest, neque indiciis quamvis multo minus luculentis, te destitutum dices, quibus conjicere liceat, eum Auctarium quoque illud Gemblacense usque ad annum 1148. in usum suum vertisse, etiamsi semper uterque aequalis auctoris speciem prae se ferat atque in iisdem enarrandis propriis nitatur nunciis, qui apud alterum non eodem modo leguntur.[4]) Porro magnum in eo studium pro incremento Ci-

---

rat, domum videlicet Belli-Prati, cui domnus Petrus vir religiosus praeerat (cf. sup. cum Not. 3.) Abbas vero Alexander audiens sanctimoniam Cisterciensis ordinis et videns multiplicationem illius religionis, habito cum fratribus consilio, voluit se et suos conjungere illis. Adiens itaque domnum Petrum abbatem Belli-prati desiderium suum illi aperuit, et communicato consilio exinde domnum Gualerannum abbatem Ursicampi expetiit, et se et locum Mortui-Maris ejus curae et paternitati commisit . . . . 511. — Et sic ab anno incarn. Dom. 1137. circa festum transitus S. Martini domus Mortui-maris conjuncta est ordini Cisterciensi. In Gall. Christ. Tom. XI. col. 307. eadem de originibus monasterii, tamen decurtata edita sunt. cf. etiam Chron. Mortui-Maris infra citand.

1) Ipse Helinandus Monachus Frigidi-montis ad an. 1140. Abbatia de Fresmont fundata est sub primo Abbate Manaseto ap. Teissier Bibl. Cisterc. VII. pag. 185., quem annum inde rectiorem habeo notitia Gall. Christ. IX. col. 830. e disticho, anno 1134., ejusdemque col. 1129. anno 1136. conditam esse Abbatiam. —

2) Gall. Christ. IX. col. 1130. pridie. Id. Maji anni 1143 obiisse perhibetur.

3) Id jam editores script. rer. Francogall. XIII. pag. XXXII. cognitum habuerunt. Singula exempla dare superfluum habemus; id solum monemus, etiam Anselmi locos, quos Miraeus pro more suo quasi recentiori manu codici Gembl. adscriptos, litteris minusculis excudendos curavit, a Cisterciensi descriptos esse cf. e. g. Anselm. ad an. 1117. Monstrum quoddam — corporis cum Cont. ad an. 1118.

4) cf. e g. Auct. ad. an. 1138. Post mortem — nominis cum Cont. ad an. 1137. et Conradus — provehitur; cum loco Auct. ad an. 1141. Adelbero — describenda. Cont. loc. ad. an. 1141. Castrum Bullonium, quod Ramaldus Comes *injuste* tenuerat, capitur ab episcopo Leodii; Auct. Gembl. 1142. Rex Francorum — concremarit. cum Cont. 1143. Ludovicus — consumptae 1147. Auct. Gembl. Eclipsis — solet, cum Cont. 1147. Eclipsis — quintam, 1148. Auct. Gembl. Eugenius Papa — mortuus est (cf. ad. an. 1146.) cum Cont. 1148. A papa Eugenio — memoria; ad. eund. ann Auct. Gembl. Nam in monasterio S. Vincentii — districtionis cum Cont. 1148. Lauduni —

sterciensis et Praemonstratensis ordinum cernitur;[1]) res Bernardi Clarevallensis pluribus locis memorantur et laudantur,[2]) Norberti Praemonstratensis tam accuratam prodit notitiam,[3]) ut ex singulari fonte eam hausisse primo statim obtutu conjicere possis neque, accuratiori collatione instituta, dubites, quin Vitam illius (ab aequali canonico Praemonstratensi scriptam) excerpserit.[4]) Ad quatuor regnorum rubricas apud Sigibertum accedit ab anno 1141. quintum regnum scil. Siculorum.

Hic Continuator ea re inprimis est memorabilis, quod ei potissimum omnes illae in textu veteri insertiones debentur, quae semper fere sub nomine Sigiberti venditantur, sicut excerpta omnia e Galfrido, amplae illae narrationes de originibus ordinis Cisterciensis, ad an. 1098. et 1107., quarum memoriam posteris tradere monacho (Cisterciensi) Ursicampino maxime, ut dubium non est, cordi erat; porro, cum ejus monasterium in dioecesi Noviomensi a Simone episcopo conditum esse viderimus, non minus grave duxit, jam ad an. 535. referre S. Medardum sedem episcopalem Vermandis[5]) Noviomum transtulisse, atque post obitum Eleutherii episopatum Tornacensem simul regendum suscepisse, donec Simonis aetate iterum essent sejuncti episcopatus.[6]) — Proximum sedi illi erat monasterium S. Quintini; circumjacebant episcopatus Laudunensis, Suessionensis, Bellovacensis; haud ita longe aberant Ambianensis ecclesiae fines[7]) quod de his quoque

horrore. — Editores script. rer. Francogall. l. c. eum usque ad an. 1154. maximam praeferre cum Canonico Turonensis Chronici scriptore consensionem „sive is ab illo, quae narrat fuerit mutuatus, sive eundem uterque fontem adierit" contenderunt; collatione instituta, in Sigiberti Chronico a Continuatore usque ad an. 1155. perducto Turonensem non adhibitum esse affirmare posse nobis videmur vid. infra.

1) cf. e. g. ad an. 1131.

2) cf. ad an. 1115. 1131. 1139. 1144. (Mediante — sopitur. coll. cum Auct. Gembl. ad eundem ann. Rex Francorum — Comiti) 1146. 1150. 1153.

3) cf. ad an. 1116. 1120. 1122. 1123. 114. 1127. 1129. 1134.

4) cf. Vitam Norberti ap. Acta Sanct. Mens. Jun. Tom. 1. pag. 842. ad diem 6 Junii. excerpt. ap. Bouquet. scriptores XIV. pag. 229—231. e. g. Cap. XIII. Nr. 79. èt 80. l. c. pag. 230. cum Contin. ad an. 1124. Etiam Hermanni Monachi libros tres de miraculis B. Mariae Laudunensis legisse videtur. cf. cum an. 1119. et 1120. lib. III. Cap. 2. et 3. l. c. pag. 544.

5) Ita enim pro insana lectione ed. princ.: Liermandus: a Struvio receptae legendum, de singulis vide infra.

6) cf. Cont. ad an. 1146. Herrmann. (Monach. l. c. lib. III. Cap. 21.

7) cf. tabulas geographicas auctore Nolin geographo (1751.) dioeceses provinciae Ecclesiasticae Remensis continentes, tomo IX. Galliae Christianae adnexas.

narratiunculas quasdam Sigiberto insereret,[8]) non mirum est, cum non tanti ingenii fuisse putandus sit, ut Sigibertum talia additamenta recto consilio ab opere suo exclusisse, iisque adjectis veram sinceramque Chronici universalis naturam corrumpi intelligeret. —

2. *Chronicon Mortui-Maris ab anno* 1113 — 1206. (1234. 1515.)

Exstat in Codice olim Colbertino Nr. 1701, nunc bibliothecae Regiae Paris. Nr. 4863,[2]) Continuatio Sigiberti in monasterio Mortui-Maris scripta, quae in notitia illa codicis[3]) tanquam Chronicon Mortui-Maris ab anno 1113. usque ad an. 1234. insignitur. — Ediderunt Martene et Durand e Codice adhuc Colbertino Chronicon,[4]) quod re vera, si quaedam recentiori manu ad an. 1287. 1293. 1473. 1504. 1515. sparsim annotata[5]) exceperis, ibi usque ad an. 1234. procurrit. — Idem tamen primum usque ad an. 1206. editum esse probat Helinandus, Monachus Frigidimontis,[6]) qui Sigiberto ipso descripto, addit:

Ab hinc nullum Chronographum reperi, nullumque historicum de temporibus sequentibus continue scribentem. *In quibusdam vero chronicis Sigeberti post finem historiae ejus inveni annos chronice annotatos,* et quasdam notulas brevissimas, unius tantum lineae capaces super quosdam annos appositas, *non continue, sicut fecit Sigibertus, qui nullum annum reliquit, in quo non aliquid annotaverit*; sed interrupte quibusdam annis absque annotatione historica vacuis relictis: sicut Hieronymus et Prosper in suis chronicis faciunt. Tales ergo notulas breves et interruptas, sicut dixi, reperi ab hoc loco *usque ad annum Philippi Regis Francorum qui modo regnat, Ludovici Regis filius et Ludovici nondum Regis pater, vicesimum sextum.*

hoc vero modo Chronicon Mortui-Maris designat, quod re vera, plurimis aliis intersertis, usque ad an. 1206. descripsit.[7]) Neque diligentes lectores fugere potest, in Chronico ipso ab anno 1206. notitias ampliori, quam hucusque habitu inveniri. —

---

1) cf. singula infr.

2) cf. Montfaucon; Biblioth. Biblioth. mscr. pag. 952. et Notam Antonii Pouget pag. 1150. cum Catal. Bibl. Reg. Paris. Manuscr. IV. pag. 9. Codicis maxima pars XIII. saec. exarata traditur.

3) In Catal. Paris. l. c. adnexum notatur Chronicon ab anno 1188 — 1268.

4) Thesaur. anecdot. III. col. 1437 — 1444. inde excerpt. ap. Bouquet. XII. pag. 781. usque ad an. 1180; inde usque ad fin. tom. XVIII. pag. 354 — 357.

5) l. c. col. 1445 — 1447.

6) in fine libri XLVII. l. c. pag. 174.

7) cf. ad an. 1116. 1118. l. c. pag. 178. ad an. 1119. l. c. pag. 179. dext. ad an. 1122. 1123. 1124. pag. 180. laev. quibus locis etiam brevitatem auctoris vituperat etc. Alios locos annotare non curo.

Quod ad locum originis Chronici attinet, constat, monasterium B. Mariae de Bellomonte in Wilcassino Normannico a Roberto de Candos anno 1130. exstructum, atque regimini Alexandri Abbatis traditum[1]) cum post Roberti obitum illius saluti non pari cura prospiceretur, et locus turbis mundanis nimium expositus, monachis minus placeret, ab illo anno 1134. in locum Mortui — Maris, intra forestae de Leonibus fines situm translatum, anno 1137. vero ordini Cisterciensi adscriptum et supremae curae monasterii Ursicampi, quod Valeranno Abbate tunc laetissimo gauderet flore, traditum esse.[2]) — Res ipsa tulit, ut sicut inter monasteria ipsa, etiam inter Chronica monasteriorum Ursicampi et Mortui-maris arctissima oriretur connexio, quamvis ea ne ab ullo quidem priorum criticorum observata sit. — Est enim Chronicon Mortui-maris usque ad an. 1155. nihil nisi excerptum e continuatione Ursicampina,[3]) cui praeter notitias quasdam ad historiam coenobii Mortui-maris, ad an. 1130. 1134. 1137. 1138. 1154. pertinentes, res nonnullae Rothomagenses[4]) ad an. 1128. 1144. notitia pugnae inter Ludovicum regem Francorum et Henricum Regem Anglorum anno 1119 pugnatae,[5]) dies obitus Henrici I. et successionis Stephani Blesensis (ad an. 1135.) notitia tempestatis anni 1151.[6]) adjectae reperiuntur. — Numerantur Papae eodem ordine, quo in textu Sigiberti veteri, ita ut Gelasius ad an. 1118. 165.[7]) Calixtus ad an. 1119.

Ultima verba Helinandi, fin. libri XLIX. l. c. pag. 205. Rex Anglorum Joannes fugit in Angliam: territus ne a Baronibus traderetur in manus Philippi Regis. Civitas Constantinopolis a Francis capitur. adhuc e Chronici Mortui-maris ad an. 1204. — Hunc eum fontem designasse, jam pro explorato habuerunt Edit. script. rer. Francogall. XIII. pag. LXXV — LXXVI.

1) cf. Historiam Mortui-maris ap. Bouquet. XIV. pag. 509—511. cf. Gall. Christ. XI. col. 307.

2) cf. supra pag. 366. Nota 4. et Chronicon ipsum ad an. 1137.

3) Singula exempla in re, quam omnes nullo intelligunt negotio, afferre longum est. — Memoratu dignum est, in Chronico ad an. 1122. legi: Terrae motus in Adventu Domini IV. Idus Decembris factus est; cum enim in Anselmo ad an. 1121: Terrae motus in secunda hebdomada adventus Domini sabbatho, hora tertia *IV. Id. Decemb.* alias clementior, alias inclementior accidit: solum in textu edito Continuatoris Urs. diem IV. Id. Decemb. omissum sed re vera etiam ex Anselmo ab illo descriptum esse, conjicio.

4) In cujus dioecesi Mortuum-mare situm est, unde etiam in cod. Paris. 4863.: Anonymi versus de ordine successionis Archiepiscopoporum Rothomagensium: exstare annotantur. —

5) Hoc anno — Optimates.

6) Quae quidem dictis Auctarii Affligemensis confirmari videtur.

7) scil. post Paschalem II. 164. ad an. 1100. text vet. cf. infra. —

166. commemoretur, qui quidem numeri apud continuatorem Ursicampinum desunt.

3. *Brevis Appendix ad Sigiberti Chronicon ab anno* 1113—1162.

Edidit Labbeus in Bibliothecae manuscriptorum Tom. I.[1]) „Brevem ad Sigiberti Chronicon Appendicem ab anno 1113. usque ad an. 1162. quo ad superos migravit Samson Remensis Archiepiscopus" *ex apographo veteris codicis*,[2]) nulla ex parte accuratius insigniti; hanc Struvius[3]) iterum editurus, satis temere „Samsonis Rhemensis Archiepiscopi Appendicem" inscripsit.[4]) — Omnes paene notitiae Appendicis illius usque ad an 1148. e Chronico Mortui-maris sunt descriptae. — Si, quae vel Appendicis auctori propria, vel aliunde desumta restent, quaeras, nihil invenies praeter notitiam anni 1130: Primum Pascha XI. Calendas Apriles contigit:[5]) et additamenta anni 1137: Angliae regem, Henricum, *filium non habuisse*, anni 1147: ad Eugenium Papam: „qui in Franciam venerat, ad an. 1148. Ludovicum „Sarracenorum passum insidias, cum magno suorum dispendio rediisse." — Deinde ad an. 1149. 1150. 1152. 1153. 1156. 1157. 1158. 1159. 1162. notitiae additae, quarum hae ad an. 1149:

Henricus, Ludovici Regis Senioris filius, fit Episcopus Bellovacensis. Hic enim Henricus, cum in maxima quadam esset prosperitate et juvenis, fit Monachus Cisterciensis.

et ad an. 1152. Obiit Theobaldus, Trecassinorum Comes gloriosus. —

ad Continuatorem Ursicampinum ipsum respicere videri[6]) notitiae paparum ad an. 1153. et 1154. etiam e Chronico Mortui-maris ipso desumtae esse possunt.[7])

De locis Chronici Mortui-maris ab anno 1155—1204. vid. ap. Append. Gemeticens. infra.

1) pag. 390. inde etiam ap. Bouq. XIII. pag. 334.

2) cf. Catalogum operum ap. Labbeum l. c. Nr. XXIII.

3) l. c. pag. 1015—1016.

4) Est enim ejus ultima notitia ad an. 1162. Obiit Samson, Remensis Archiepiscopus vir scientia et sanctitate clarus: cui notitiae, quamvis similis quaedam in Sigiberti fine vere inveniatur, atque ea Roberti Altissiodorensis quod citavimus, Chronicon ei auctori vindicetur, talem tamen per se non sufficere, qua fragmentum annalium ignotae originis Samsoni adjudicetur, non est, qui non intelligat.

5) Mortem Lotharii et successionem Conradi recte anno 1137. adscripsit, quae in Chronico Mortui-Maris ad an. 1133. leguntur. —

6) cf. ad an. 1149. et 1151. Henricus vero ille est successor Samsonis.

7) cum loco anni 1157. Magna contentio inter Regem Francorum et Anglorum pro Tolosa civitate cf. Robertum de Monte ipsum ad an. 1159. ex recensione text. vet. ad an. 1160.

4. *Nicolai Ambianensis Appendix ab anno* 1113. *ad an.* 1204. —

E codice bibliothecae Vaticanae Reg. Sueciae Nr. 454. anno 1799. in bibliothecam Parisiensem invecto, Vir. Rev. Brial Tomo XIV.[1]) Coll. script. rer. Francogall. edidit excerpta ex Appendice ad Sigibertum ad annum usque 1204. pergente, quam recte Nicolai Ambianensis esse existimavit cum ad an. 1147. auctor ipse:

Nicholaus Ambianensis nascitur, qui hanc seriem chronicorum digessit:

profiteatur.[2]) In eo vero falsus est, quod eum Anselmi Gemblacensis descriptorem habuit, atque eum propter hoc tanquam nihil novi afferentem usque ad an. 1135. plane rejiciendum censuit.[3]) — Novi illum quidem nihil prorsus usque ad illum annum afferre libenter concedam; at manifestum tamen omnibus est, qui quae exstent conferre velint, cum continuatorem Anonymum Ursicampinum in omnibus secutum esse. — cf. e. g.

Continuatorem ad an. 1141.	Nicolaum ad an. 1141.
Rogerus de Sicilia, post occupatam Calabriam et Apuliae principatum papam Innocentium bello capit et facta cum eo qualicunque pace, ut ab eo in regem coronaretur obtinuit.	Rogerus occupata Sicilia, Calabria et Apulia Innocentium papam bello capit et facta cum eo pace ab eodem coronatur in Regem.
ad an. 1145.[4])	ad an. 1145.
Edissa Mesopotamiae civitas, in qua erant corpora Apostolorum Thomae et Thaddaei, et quae idololatriae sordibus nunquam fuerat polluta, ex quo ad Christianismum primitus est conversa, a Turcis obsessa capitur. — Ubi episcopo civitatis decollato et sanctis locis prophanatis, et in eis multis nec dicendis abominationibus perpetratis, multa millia diversi sexus et aetatis trucidantur, diversis modis cruciantur, captivi abducuntur.	Edessa, Mesopotamiae civitas corpora Apostolorum Thomae et Thaddaei continens, et a prima conversione nunquam idolorum cultu polluta, a Turcis capitur, christianis afflictis, occisis et captivatis.

Simili modo etiam alii loci usque ad an. 1154. e Continuatore sunt excerpti, ita ut inter horum ordinem solus ille

---

1) an 1806. Tom. XIV. pag. 21 — 23. usque ad an. 1180. inde usque ad fin. Bouq. XVIII. pag. 701.

2) de quo cf. Praef. ad Tom. XIV. Nr. V. pag. LXXIX. et pag. 21. Not. a.

3) loc. Praef. cit.

4) coll. cum Auct. Gembl. ad an. 1145.

ad an. 1147. supra allatus, et notitia anni 1152., ad res Ambianenses pertinens,[1]) non inde derivari possint. —

Post annum 1154 — quamvis plurimae res apud Nicolaum enarratae, latius in Roberto de Monte ejusque continuatore in editione principe ad an. 1210. explicentur, nullo — tamen loco habitus utriusque fontis ita conformis est, ut nostrum illis usum esse statuere possis.

C. CONTINUATIONES GENERIS MIXTI ET INCERTI.

Priusquam a Pseudo-Roberto de Monte ad genuinum illum Sigiberti continuatorem eumque celeberrimum transeamus, quasdam appendiculas, etsi per se satis exiguas, ad varias tamen, quas textus auctoris nostri passus sit, mutationes cognoscendas gravissimas, perstringamus.

1. *Continuatio Valcellensis*, *sive Codex Abrahami Ortelii* usque ad an. 1163.

Designavit Miraeus quarto codicum suorum loco codicem Ortelianum, qui cum olim Abrahami Ortelii, Cosmographi regii, eoque vita functo, Johannis Livinei fuisset, postea a Patribus Soc. Jesu Antverpiae asservabatur,[2]) in quorum Bibliotheca ordine ipso jam sublato Kluit[3]) eum vidit atque ex fine ipsius ante an. 1239. scriptum esse colligi posse ait. Notitias ex eodem Sigiberto ejusque Gemblacensibus et Affligemensi continuatoribus usque ad an. 1163. Miraeus adspersit, in quo anno eum finiri tradit. Leguntur notitiae tales ad an. 692. (Sanctus — construxit) 761. (Caput — transfertur) 1076. Lietbertus sqq. (num usque ad: Camerarius? vid. infr. 1086. 1105. 1109. Obiit sqq. (num usque ad monachus?) 1111. 1114. 1115. 1117. 1119. 1121. 1132. 1133. 1137. 1140. 1141. 1145. 1146. 1147. 1148. 1149. 1151. 1153. 1154. 1158. 1159. (Milo — inchoatur) 1161. 1162. 1163[4]) — Auctorem fuisse monachum Valcellensem, monasterii ordinis Cisterciensis in agro Cameracensi,[5]) recte jam Miraeus ex loco anni 1151:

Radulfus primus Abbas *hujus* coenobii Valcellensis III. Cal. Januarii, migravit e mundo etc. conjecit, id quod nonnullis locis, e Cod. Ortel. annotatis atque in rebus ejusdem

---

1) Theodericus — convocatis. l. c. pag. 22.
2) Praef. ad Chron. l. c.
3) Hist. critic. I. 2. pag. 61. II. 1. pag. 99.
4) Lectiones quasdam, vel e Cod. Lips. vel e Cod. Ortel. et Aquic. a Miraeo annotatas, nisi earum usus esset in commentatione ipsa, hoc loco brevitatis causa omisimus. —
5) cf. loc. cit. pag. 218.

monasterii enarrandis versantibus, scil. ad an. 1132.[1]) 1149.[2]) confirmatur, quamvis Miraeus majori, quam cujus in Cod. Lips. accusandus est, negligentia ipsum inter illos gravissimum anni 1131:

Hoc anno inceptum est monasterium sanctae Mariae Valcellensis ecclesiae in agro Cameracensi:

procul dubio ex eodem codice desumptum, non certo ei adscribat. Versatur praeterea plerumque in rebus monasteriorum, ab habitaculo suo non longe distantium et ordini Cisterciensi addictorum sive virorum in eodem ordine insignium. —

Nos vero hoc demum loco de eo loquimur, cum nonnulla in eo ad dicta Continuatoris Cisterciensis textus veteris quodammodo pertinere videamus. Sic ad an. 1114. Concilium, Conone Romanae Ecclesiae Legato praesidente, Bellovaci celebratum annotatur;[3]) ad an. 1119. iisdem fere, atque in Continuatore Cisterc. verbis[4]) Balduinus (VII.) Comes Flandriae „Callisti Papae ex sorore nepos" perhibetur; In locis:

ad an. 1132. Cont. text. vet.	ad an. 1132. Cod. Ortel.
Obiit vir sanctus Hugo, Gratianopolitanus episcopus, cujus religiosam admodum vitam conscripsit Gigo, Prior Carthusiae.	Sanctus Hugo Gratianopolitanus episcopus transiit: cujus vitam virtutibus plenam Guigo venerabilis Carthusiae Prior, praecepto Innocentii Papae, eleganti stilo descripsit.
ad an. 1137.	ad an. 1137.
Comes Pictavensis Withelmus . . . . . . moritur et ante altare sepelitur. Qui moriturus proceres suos, quos secum habebat, contestatur, ut filia sua major Alienordis Ludovico juniori Francorum regi cum Aquitaniae ducatu uxor traderetur; quam praedictus Ludovicus apud Burdegalam optimatibus regni praesentibus jungit sibi nuptiis quam solemnibus, cujus pater Ludovicus, infra eundem fere mensem apud Parisios defunctus, in ecclesia sancti Dionysii ante corpus ipsius est sepultus, calendis Augusti, 28 anno regni sui.	Guilelmus Dux Aquitaniae et Comes Pictavensis filiam, quam haeredem habebat, Ludovico filio Regis Francorum moriens sponsam dereliquit. Ad quam ducendam filius Regis profectus, interim patre Rege defuncto, in regno stabilitur et regnum Franciae et Ducatus Aquitaniae copulantur.

1) l. c. pag. 197. Conventus monachorum cum Abbate suo Radulfo ex Anglia oriundo, venit ad locum, qui vocatur Valcelle, Kalendis Augusti. Hos adduxit beatus Bernardus Abbas Clarevallensis.

2) l. c. pag. 208. Hoc anno consecrata est ecclesia S. Mariae Valcellensis coenobii a Samsone Remorum Archiepiscopo VII. Cal. Junii.

3) cf. continuat. ad an. 1114. In civitate Belvacensi seqq.

4) cf. Contin. ad an. 1119. „Balduinus Flandriarum Comes Calixti Papae de sorore Clementia nepos" etc.

1140.

Hugo Parisiensis sancti Victoris canonicus religione et literarum scientia clarus, et in septem liberalium artium peritia nulli sui temporis secundus obiit. — Qui inter multa, quae utiliter scripsit, etiam librum de Sacramentis etc.

1141.

Hugo Prior ecclesiae S. Victoris Parisiensis multa Ecclesiae sanctae utilia scripta relinquens, diem obiit.

eodem quidem fere rerum enarratarum habitu, apud utrumque scriptorem plura propria atque genuinam rerum cognitionem probantia inveniuntur.[1]) Connexum quendam aetate illa, qua prima juventus ordinis Cisterciensis effloruit, inter coenobia Ursi-campinum et Valcellense fuisse, non sine causa videtur statui posse; hoc unum moneam, ultimam notitiam Cod. Ortel. quam nobiscum communicavit Miraeus „Gislebertum Abbatem Ursicampi monasterio Cisterciensi fuisse praefectum" tradere.

In fine demum observationem, quam in Cod. Lips. fecimus, repetere atque plures adhuc notitias, quae in textu Miraei litteris minusculis exstant, codici Orteliano deberi conjicere liceat; quibus, ne nimium conjecturis indulgere videamur, hos tantum locos ad an. 1128. de monasterio Dunis in Flandria constructo, ad an. 1138. de Fulcone, collatos cum locis an. 1137. et 1153. ad an. 1131. de Milone Episcopo Tarvanensi consecrato[2]) coll. cum locis an. 1133. 1159; ad an. 1090. de nativitate S. Bernardi, cujus in continuatione Valcellensi tam frequenter mentio fit. cf. ad an. 1115. 1132. 1137. 1146. 1147. adnumerandos ducimus; fortasse quoque locus an. 1098: Robertus Molismensis Abbas Cisterciense Monasterium construere coepit: quem posteris tradere monachum Cisterciensem magis decuit, quam Gemblacensem Benedictinum, ei adscribi possit.

2. *Continuatio Aquicinctina* usque ad an. 1208 (1225. 1218.)

Denique pervenimus ad codicem Sigiberti in monasterio Aquicinctino prope Duacum exaratum quem Miraeus secundum locum (scil. post Gemblacensem) inter codices quos ipsi perlustrare contigit, obtinere ait.[3]) — Quas notitias Sigiberto

---

1) Similis et in aliis locis utriusque auctoris est ratio cf. Cod. Ortel. ad an. 1115. Tanchelinus haereticus — occiditur. cum Cont. ad an. 1124. Oppidani castri illius — occubuit ad an. 1146. Tornacensis — procurante cum Cont. ad eund. an.: Ecclesia — destinato; cf. Cod. Ortel. ad an. 1148. Pars Christiani — amisit cum Cont. Navalis Dei — amittit.

2) scil. Milo-Tervanensis: cf. Cont. text. vet. ad an. 1130.: Joannes, piae memoriae Morinorum episcopus obiit, eique Milo abbas sancti Judoci ex ordine Praemonstratensi succedit.

3) Praefat. ad Chron.

ipsi adspersas ex eo desumtas esse annotat, eas etiam haud raro Codici Orteliano adsignat, scil. notitias an. 692. 761. 1086. 1105. 1109. 1111. — Praeter has usque ad an. 1148. tales adnectit notitias e Cod. Aquic. ad an. 1087. (Obiit — Becci) ad an. 1088. (Obiit — eruditus; quae, quamvis iterum signo careat, a nobis tamen propter contextum huic ordini adscribitur.) 1090. — (Aquicincti; num etiam usque ad: Burgundia? vid. supr. pag. 375. ap. Cod. Ortel.) 1092. 1093. 1095. 1096. 1100. Robertus — XII. Cal. Julii: (sine signo vide sup. pag. 360. ap. Cod. Lips.) 1102. ad an. 1127. (Ibi legati — labuntur cum Cod. Gembl.) 1130. 1131. — Abbas (num etiam — Tervanensis, (cf. supr. pag. 375 ad Cod. Ortel.) —

Sunt inter eas, quibus cum Cod. Ortel. congruit, nonnullae, quae, cum in Codd. Gembl. et Lips. vel omittantur, vel alio loco et habitu legantur,[1]) cum textu editionis principis consentiunt: etiam inter eas, quas Miraeus signo tantum Cod. Aquic. instruxit, quasdam textu veteris rationi appropinquare patet, sicut illas

an. 1092.	textus veteris ad 1094.
Gerardus Episcopus Cameracensis obit. Gualtherus ei succedit.	Dns. Gerardus Cameracensis ecclesiae episcopus obiit cui Gualtherus succedit. Sed ipso postea ab episcopatu expulso, Manasses ordinatur episcopus.
1095.	
Expulso ab episcopatu Cameracensi Gualthero, Manasses ei succedit	
vel an. 1131:	ad an. 1130:
Defuncto Roberto Atrebatensi Episcopo, successit ei in pontificatu Alvisus, Aquicinensis ecclesiae sextus Abbas vir magnae religionis et singularis severitatis.	Roberto quoque Atrebatensi episcopo defuncto, Alvisus abbas ordinatur episcopus in ejus loco. —

unde continuatori hunc demum locum assignavimus, nihil de eo affirmantes, quae ejus erga Ortelianum, quocum secundum testimonium Miraei etiam in ipsis rebus Aquicinctinis consentit,[2]) quae erga textum veterem ratio sit. —

Id enim, quominus satis recte fiat, impedire videtur textus Miraei incertus habitus. — Adjicit quidem etiam ab anno 1149—1163 notitias e Cod. Aquic. annalibus monachi Affligemensis, scil. ad an. 1150. 1151. 1156. 1157. 1158. 1159. 1160. 1161. 1162. deinde annales ampliores ab anno

1) scil. loc. ad an. 692. 761. De locis an. 1100. Robertus — XII. Cal. Julii 1109. Obiit etiam Anshelmus etc. Obiit Hugo — Pontius; Hoc anno — nigrescentibus. vide infr.

2) cf. ad an. 1086, 1105. 1111.

1163. usque ad an. 1200. pergentes ex eodem codice edit,[1]) qui cum de rebus Imperatorum et Pontificum, de historia Hierosolymitana et cruciferorum expeditionibus plurima, tum etiam de rebus Flandriae et Hannoniae haud pauca afferunt, quae alio loco non leguntur,[2]) atque pluribus locis auctoris coaetanei esse se praebent. — Nam ad an. 1182. auctor se Mauritium Episcopum Parisiensem ipsum vidisse testatur;[3]) de pugna anni 1190. adversus Saladinum ex relatione eorum, qui interfuerunt, quaedam enarrat;[4]) anno 1197. famis mentionem faciens, *usque hodie* mori millia millium[5]) addit. Eos a monacho Aquicinctino hortatu Simonis, ejusdem coenobii Abbatis (i. e. sive Simonis, noni Abbatis Aquic. qui obiit anno 1201.[6]) sive Simonis, Abbatis duodecimi ejus nepotis, qui regimine potitus est anno 1208[7]) conscriptos esse contendit Miraeus[8]) — nescio qua fide. Denique Annales ab anno 1201—1225. rebus plerumque Aquicinctinis dedicatos, atque multo minoris pretii quam illi usque ad an. 1200. edidit,[9]) quos in eodem codice recentiori charactere ab ejus loci monacho adnexos esse tradit.

Is tamen ipse se Annales illos, sive formam sive res spectes, quae in iis enarrantur, gravissimos e Codice illo excerpsisse fatetur,[10]) atque recentiores, quibus eum inspicere contigit, quanta omiserit, intellexerunt. Jam Martene et Durand in Itinere litterario[11]) Codice illo perlustrato, in eo

1) l. c. pag. 219—260.

2) Inde Warnkoenig. l. c. pag. 44. et 52. hoc Auctarium re vera Chronicon Flandriae esse contendit.

2) cf. pag. 236.

4) cf. pag. 244.

5) l. c. pag. 256..

6) cf. Annal. ad an. 1201. Obiit domnus Simon, noster Abbas nonus, cui succedit domnus Adam decimus, l. c. pag. 261.

7) cf. Annal. recent. ad an. 1208. Wilhelmus noster Abbas undecimus. Abbas sancti Amandi efficitur cui successit domnus Simon Abbas XII. de quo supra diximus, scil. ad an. 1204. ubi inter alia: Inceptam etiam ecclesiam *ab avunculo suo Simone nono Abbato* multo labore et impensis, feliciter consummavit etc.

8) l. c. pag. 219.

9) l. c. pag. 260—263.

10) l. c. pag. 218. Quae subjunguntur, ex ms. codice Aquicinctino *excerpsimus* etc.

11) Voyage littéraire de deux religieux Bénédictins de la congrégation de S. Maur. Tom. II. 1724. 4. pag. 83. la chronique de Sigebert avec sa continuation par un religieux d'Anchin. C'est l'Auctua-

multo plura quam in editione Miraei contineri, notitiasque ab eo et decurtatas et omissas esse duobus exemplis probaverunt;[1]) nostris diebus V. D. de Smet ex eodem codice, nunc Duacum translato locos ad an. 1149.[2]) 1150.[3]) et 1157.[4]) a Miraeo vel omissos vel nimis in compendium reductos edidit. Antea jam Editores scriptorum rerum Francogall. codicem Bibl. reg. Paris. invenerunt, in quo Annales illi Aquicinctini ab anno 1149. usque ad an. 1201. longe ampliori stylo, quam in Miraei textu exarati vel, ut dicunt, usque ad an 1270., vel usque ad an. 1288. continuati (diverso quidem modo ab illa recentiori continuatione ab an. 1201 — 1225. ap. Miraeum edita) exstabant.[5]) — Collectionis Tomo XIII. Annales Aquic. usque ad an. 1180. e Miraeo excerpti, pauca vero fragmenta e Cod. Reg. 5440. edita sunt. — Tomo XVIII. annales ab an. 1181 — 1201. adscito codice 5440. adnexa continuatione Miraeana usque ad an. 1225. editi sunt.[6])

---

rium Aquicinctense donné au public par Aubert Mirée mais si tronqué qu'on est surpris, qu'un homme aussi habile que Mirée avait fait tant de retranchemens, sans en avertir les lecteurs. cf. Hist. litt. IX. 542. Reiffenberg: Introduct. ad coll. script. Belg. pag. XXXVII.

1) scil. ad an. 1151. Ludovicus — repudiavit coll. cum notit. ad an. 1151. vid. infr. et notit. ad an. 1181. quam vid. infr.

2) in Coll. Chron. Flandr. pag 100. Inter Balduinum — parum profecit.

3) ead. pag. Theodoricus Comes — potitus est. cf. cum loco editionis infr.

4) l. c. pag. 103. not. Philippus — comburit.

5) In Catal. bibl. Reg. Manuscr. Tom. IV. pag. 118. Nr. 5440. haec: Codex chartaceus, olim Baluzianus. Ibi continentur annales Aquicinensis monasterii ab anno 1149 — 1288. Porro in hoc codice XVI. saeculo exarato multa reperias, quae ex codice Aquicinctino edita sunt ab Auberto Miraeo in auctariis ad Chron. Sigiberti: passim tamen occurrunt plurima, quae non exstabant in auctario Aquicinctino. Etiam in Tomo XIII. Coll. script. Francogall. pag. XXIX. continuatio illa usque ad an. 1288. pergere traditur; contra ap. Bouq. XVIII. Praef. pag. XVII. et pag. 534. post annales Miraei editione ampliores usque ad an. 1201. continuationem usque ad an. 1270. sequi traditur, a qua vero vulganda editores abstinendum censuerunt, cum ea esset parum accurata, et in chronologia perpetuo peccans.

6) cf. Tom. XIII. Praef. pag. XXIX. pag. 278—282. cf. eod. pag. 737. inter excerpta e variis Chronicis ad an. 1149. Inter Balduinum — dedicata est. 1150. Theodericus Comes — Leodiensis Episcopus. pag. 738. 1158. Philippus — revertitur. 1159. Henricus — rediit. cf. infr. cum Mir. 1160. Adriano — vicissim redit; cf. pag. 740. ad an. 1162. Ludovicus — causas; Alexander — excipitur (quae et apud Miraeum ad an. 1161. l. c. pag. 217.) pag. 748 — 749. ad an. 1172.

Locis, qui apud Martenium et Durandium et apud de Smet e Codice Aquicinctino exstant, cum his codicis Parisiensis fragmentis collatis [1]) manifestum est, unum eundemque esse textum in utroque, paucisque jam quamvis sine ipsorum codicum manuscriptorum ope, exemplis illustrari potest, qualis sit integrorum Annalium habitus et quomodo eos excerpserit Miraeus.

Sic ap. de Smet pag. 100. et ap. Bouq. XIII. pag. 737. ad an. 1150.	**Miraeus ad an. 1150. pag. 208.**
Theodericus Comes Flandrensis revertitur ab Hierosolymis. Qui commotus pro injuria, quam Balduinus Comes Montensis praeterito anno suae fecit uxori, contra eum exercitum movit. At Balduinus de suis viribus diffidens, Henricum episcopum Leodiensem et Henricum comitem Namurcensem contra Flandrenses adduxit. Sed Flandrensibus suo more viriliter repugnantibus inglorii ad sua sunt reversi Namurcensis comes et Leodiensis episcopus.	Theodericus Comes Flandrensis revertit ab Hierosolymis.
ap. Mart. et Dur. l. c. ad an. 1151:	- 1151.
Ludovicus Rex Francorum *consilio domni Bernardi Abbatis Clarevallis*, Alienordem uxorem suam repudiavit.	Ludovicus Rex Francorum Leonoram uxorem suam repudiavit.
1159. Bouquet XIII. pag. 739.	1159. pag. 206.
Henricus (II.) Rex Anglorum post adeptum regnum ultra se elatus, quod diu mente conceperat, contra Ludovicum Regem Francorum rebellat et congregato exercitu in Aquitaniam transiit, et urbem Tolosam obsidione cinxit. Rex autem Francorum cum suis militibus, priusquam obsideretur, civitatem potenter ingressus est, et a Comite S. Aegidii et a civibus cum gaudio magno susceptus est. — Quod rex Anglorum cernens et eorum constantiam et stabilitatem videns, indoluit; veritusque Regis potentiam, inefficax rediit.	Heinricus Rex Anglorum congregato exercitu in Aquitaniam transiit, et Tolosam obsidione cinxit. Ludovico autem Rege Francorum urbem potenter ingresso Rex Anglorum inefficax rediit.

Alexander papa — anathematis (quae et ap. Mir.) Quod factum — Italiam. cf. infr. — Tomo XVIII. pag. 534. 554.

1) cf. e. g. loc. ad an. 1149. et 1150. Not. 2. et 3. pag. praec. cum loc. an. 1149. 1150. Not 6. et supr. hac pag. cum loc. an. 1158. Not. 6. cit. loc. an. 1157. Not 4. pag. praec. ubi post: revertitur adhuc: et Beverne comburit. cf. ad an. 1181. cum Bouq. XVIII. pag. 534. infr.

In loco vero ad an. 1172. Miraeus pag. 224. haec:

Alexander papa legatos in Normanniam ad Henricum Regem dirigit, Autbertum videlicet Presbyterum Cardinalem sancti Laurentii in Lucina, et Theotimum presbyterum Cardinalem tituli sancti Vitalis. In quorum praesentia, adstantibus Episcopis et regni sui optimatibus de interfectione beati Thomae, tactis Sanctorum reliquiis, praefatus Rex se purgavit: et ecclesiis sui regni, quaeque sui erant juris, *ad arbitrium Cardinalium* restituens, a vinculo absolvitur anathematis."

cum in Cod. Paris. (ap. Bouquet: pag. 748 — 749.) illud: ad arbitrium Cardinalium non legatur, addatur tamen:

„Quod factum Regi Ludovico Francorum et omnibus Optimatibus ejus valde displicuit. Cardinales vero Normannia relicta in Francia hiemare disposuerunt, sed Rex praedictus invitos redire fecit in Italiam:

Ex his Miraeum quidem saepe studio brevitatis commotum, interdum etiam ex speciali causa non solum quaedam omisisse sed etiam *addidisse* patet;

in textu edito ap. Mir.	ap. Mart. et Dur. l. c. ap. Bouq. XVIII. 534.
Alexander Papa, senex et plenus dierum vicesimo ferme ab urbe milliario in quadam Rom. Ecclesiae possessione diem clausit ultimum.	Alexander Papa senex et plenus dierum, vicesimo ferme ab urbe milliario in quadam Romanae Ecclesiae possessione diem clausit ultimum. — Cujus obitu quidam insipientes Romani audito, ei non, ut debuerunt, obviam, cum ad urbem deferretur, venerunt: et ei maledicentes, luto etiam et lapidibus lecticam in qua portabatur lapidantes, vix eum in patriarchio Lateranensi sepeliri permiserunt.

eum plura quae minus verecunde in Papas acta vel dicta putaret, omisisse elucere videtur.[1]) —

Denique e locis an. 1150. collatis:

Auct. Affligem.	ap. de Smet pag. 100.
Orta est contentio inter Heinricum Episcopum Leodicensem et Heinricum Comitem Namurcensem: Comes quidem, ut dominaretur, in-	Orta est contentio inter Henricum episcopum Leodiensem et Henricum Comitem Namurcensem:

1) Ad quod demonstrandum cf. cum Annalibus ap, Mir. ad an. 1184. pag. 237. Annales ap. Bouq. XVIII. pag. 537. 538: excaecaverunt praeter unum: quos super asinorum dorsa etc.; cum Mir. ad an. 1186. pag. 240. Urbanus — dissentiunt Bouq. l. c. Urbanus — renovant; ad an. 1190. pag. 541. Ipso anno *magnus christianis accedit dolor* nam Fredericus *piissimus Imperator* cum Mir. ad eund. an. pag. 244. lin. 35. atque plura ejusmodi. Sunt porro loci plures, qui et pro ingenio auctoris, et pro rerum enarratarum gravitate cognitu digni, omissi cf. ad an. 1183. 1186. 1191.: alii vero, ap. Mir. minusculis litteris expressi, cum non ejusdem auctoris sint. rejecti. Annus 1201.](Hyems — decimus (ap. Mir. jam recentioris manus, adhuc in cod. Paris invenitur.—

tendebat, ... pericrunt. Tandem congregato utrimque exercitu congressi sunt, Episcopus superior factus est, Comitem fugavit, de suis potentiores cepit, sed cum miserabili caede multorum victoria potitus est.	unde congregato utrinque exercitu congressi, superior factus episcopus non sine multorum caede victoria potitus est.

monachum Aquicinctinum jam monachi Affligemensis annales excerpsisse probatur. Si vero Collectores script. rer. Francogall. pauca tantum fragmenta Annalium Aquicinctinorum e Cod. Paris. 5440. Excerptis e variis Chronicis inserere, eos ipsos vero sec. Miraei textum immutatos edere statuerunt, quod praeter haec in illo „nihil nisi Auctarium Aquicinctinum et Affligemense simul compacta" comperissent,[1]) id quidem temere esse dictum, additamento ad. an. 1151. a nobis allata, cui nihil cum Affligem. commune est, satis probatur.

Cum ex fragmentis, tum ex editione Annalium ab an. 1181 — 1201. quanti intersit, hunc fontem integro habitu edere, satis perspicitur.

Postremum hoc loco notitia quaedam codicis Bruxellensis in Actis societatis aperiendis fontibus rerum Germanicarum edita, accuratius explicanda esse videtur. Ibi enim[2]) genus quoddam continuationis Sigiberti usque ad. an. 1168. sive 1169. pergentis statuitur, quod num ab editis diversum sit, quaeritur. — Ei adscribuntur tres codices, quorum duos postea percensebimus; tertius est Bruxellensis saeculi XIV., cujus ultima verba ad an. 1169:

„Ludovicus et Philippus comes Flandrie iterum moverunt expeditionem adversus Henricum regem Anglorum . . . revertitur. Tum Saxonum dux, qui eodem anno filiam Heinrici regis Anglorum duxerat uxorem."

cum vero prima notitia de bello adversus Henricum regem Angliae eodem modo in editione Miraei inveniatur,[3]) alteram de Saxonum duce in codice eorum integro exstare conjicere atque codicem Bruxellensem generi Aquicinctino adscribere liceat.

3. *Continuatio Blandiniensis* usque ad an. 1152.

Vir Rev. Josephus Brial in Tomo XIV. Script. rer. Francogallic. etiam Continuationem Sigiberti ab anno 1113. usque

---

1) Tom. XIII. pag. XXIX.
2) Archiv VII. 535.
3) scil. pag. 222. ad an. 1167. Ludovicus Rex Francorum et Philippus Comes Flandrorum iterum movent expeditionem adversus Henricum Regem Angliae. Francis invidentibus et detrahentibus frequentibus bene gestis Philippi Comitis, sine laude revertitur.

ad an. 1152. pergentem in monasterio Blandiniensi seu S. Petri Gandavensis scriptam, e cod. secum communicato a D. de Nelis, episcopo Antverpiensi, illustri illo rerum Belgicarum scrutatori — cujus vero nulla accuratior notitia ab eo adnexa est — edidit.[1]) — Fefellisse opiniones suas opus id jejunum — addit editor; cum id nihil nisi contractum et decurtatum Anselmum et quaedam Auctarii Gemblacensis et Affligemensis fragmenta continere existimaret, plerumque tantum prima locorum verba, indicato in parenthesi fonte, quem ipse statuit, typis excudere ratum habuit.

Deceptus est, me hercle in textus Sigibertani genere, ad quod Continuatio illa pertinet, dijudicando, non minus quam in Nicolao Ambianensi. — Propius ad veritatem accessisse videtur Vir. Ill. Warnkoenig, qui „auctorem Chronicon Aquicinctinum descripsisse, eique additamenta subnexuisse" contendat:[2])

Nam si locos annalium Aquicinctinorum integrorum ad an. 1149.:

ap. Bouq. XIII. pag. 737. ap. de Smet pag. 100.	cum Chronico Blandiniensi ad an. 1149.
Inter Balduinum comitem Montensem et Sibiliam comitissam Flandrensem orta discordia milites Flandrenses in pago Atrebatensi incendiis et rapinis patriam demoliuntur. —	Inter Balduinnm Comitem Montensem et Sibyllam Comitissam Flandrensem orta discordia, milites Flandrenses in pago Atrebatensi incendiis et rapinis patriam demoliuntur.
Ad hanc discordiam pacificandam Samson venerabilis Remensis archiepiscopus cum quibusdam episcopis suffraganeis suis venit. Sed quibusdam malitiosis pacem turbantibus, parum profecit.	Ad hanc discordiam pacificandam Samson Remensis archiepiscopus cum quibusdem episcopis suffraganeis suis venit. sed parum profecit.
deinde solum ap. Bouquet. l. c. Ecclesia Hasnoniensis tunc ab eodem Archiepiscopo dedicata est.	Ecclesia Hasnoniensis tunc ab eodem archiepiscopo dedicata est.

sive locum Cont. Blandiniensis ad an. 1150.:

„Theodericus Comes Flandriae ab Hierusalem reversus expugnat Comitem Montensem. Advocat Balduinus episcopum Leodiensem et Comitem Namurcensem in auxilium, sed ipsi, virtutem Theoderici non ferentes, inglorii revertuntur."

et illum anni 1151:

---

1) l. c. pag. 16—20. Praef. pag. LXXIX.

2) l. c. pag. 45. Nota 2. Idem, V. Rev. Brial dicto, hoc opus jejunum esse citato, addit ex libro: de Bast. Institution des Communes. Gand. 1819. pag. 99. illum manuscriptum original in manibus trivisse, idque „une toute autre production" nominare.

Ludovicus rex Francorum, consilio B. Bernardi Alienordem uxorem suam repudiavit etc.

quem editor ex Auct. Affligem. an. 1151. desumtum esse opinatus est, cum locis Annalium Aquicinct. supra congestis,[1]) conferas, eos inde excerptos esse non negabis.

Sunt porro cum multa alia, quae cum Sigiberti continuatoribus hucusque editis nulla utantur ratione,[2]) tum et aliorum textuum vestigia, quae num omnia ad integrum Aquicinctinorum Annalium codicem reducant, dubitamus, licet illum in nonnullis eorum vim habuisse non negare audeamus. Percenseamus igitur singula.

Primum — certe ab anno 1113. — in hac recensione Blandiniensi ad an. 1149. locus invenitur,[3]) qui cum Cod. Affligemensi connexum quendam probare atque inde excerptus esse videri possit.[4]) Cum tamen ab Aquicinctino plura ex

1) vide pag. 379.

2) scil. ut quaedam afferam exempla, cum res Blandinienses sive Gandavenses ad an. 1114. Ansbodus etc. 1117. Arnulfus etc. Godeza etc. 1120. Eodem anno — Gandae 1121. Radulphus etc. 1122. Arnoldus abbas etc. 1125. Cum placuisset. etc. 1131. Wulfricus etc. 1134. Translatio etc. 1136. Domnus Giselbertus etc. 1138. Comes Theodericus etc. 1140. Ywanus etc. 1148. Dedicatio etc. 1151. Everdejus etc. tum res plerumque ad historiam Flandriae pertinentes 1113. Baldricus etc. Sancta Ida 1115. Eclipsis — Martii. 1118. Additam. falsum ad Ans. post: repatriat: ubi accipit uxorem Adelam filiam Godefridi Barbati; eod. Additam. ad Ans. „*consilio baronum*" successisse Balduinum de *Burch* in regno Hierosolymitano: 1118. Godefridus Ambianensis. etc. 1121. Corpus S. Arnulphi etc. 1121. Ordo Templarium. 1122. Wilhelmus filius etc. 1122. Carolus Comes etc. e. g. ad an. 1122. Multi in Ecclesia — combusti sunt; ad an. 1124. Monasterium — construitur; 1126. Carolus — fecit; 1127. Comes Flandriae — Curtahosa. 1129. Theodericus — expulit. 1132. Henricus Rex — transfretat. 1133. Obiit Svanechildis — Elzatia. 1133. Ordo Cruciferorum . . . 1134. Theodericus etc. Tonitrua 1136. B. Bernardus Wilhelmum etc. 1137. Otgerus etc. In Nienove etc. Ecclesia Ambianensis etc. Duo pueri etc. 1139. Concilium etc. Ab hoc anno fames etc. 1140. Ywanus etc. Monasterium Clarusmariscus etc. 1141. Plaga — salvati sunt. 1142. Ecclesia — dedicatur. 1143. Comes Flandriae — diruit. 1147. Wilhelmus Comes — moritur. 1148. Cruor Christi — locatur. 1150. Sanctus Theodericus — migravit.

3) scil. „Conradus Imperator et Ludovicus rex Francorum procinctum solvunt, et sine ullo prosperitatis effectu ab itinere Hierusalem revertuntur" ex Auct. Afflig. an. 1149: Imperator Conradus, et Rex Francorum Ludovicus sine ullo effectu procinctum solvunt, et ab itinere Hierusalem revertuntur, nunquam audita tanta infelicitate tanti successus.

4) Nam locus anni 1137.: Albertus abbas Affligemensis sponte sua absolvitur. Petrus succedit: a Miraeo certe non editus est.

Affligemensi translata esse constet, illum etiam inde in Append. Blandiniensem manasse statui possit. — Quod num etiam de loco anni 1152., quem editor hoc modo insignit:

Conradus Imperator moritur etc. (ex auctario Affligem. ad an. 1152. et 1153.)

dici possit, eis, quibus codicem inspicere licet, relinquendum. —

Quamvis poro constet, monachum Blandiniensem, Anselmum Gemblacensem ejusque continuatorem usque ad an. 1148. integrum neque a Continuatore Ursi-campino decurtatum ante oculos habuisse non desunt [1]) tamen exempla liquidissima, quibus in ejus annalibus locos continuationis textus veteris exstare confirmari possit. —

Continuator Ursicampinus ad. an. 1137.	Chron. Bland. 1137.
Siccitas tanta fuit in Francia, quantam nemo, qui tunc viveret, se vidisse vel ab antecessoribus audisse se testaretur ita ut fontes et putei, quidam etiam fluvii exsiccarentur.	Siccitas tanta fuit in Francia, ut fontes putei et fluvii siccarentur.
1149. Henricus Ludovici Francorum regis germanus contempto mundi schemate pro Christo in Clarevalle indutus monachali schemate provehitur ad episcopatum civitatis Belvagicae.	1147. [2]) Henricus, germanus Regis Franciae monachus in Clarevalle fit episcopus Belvacensis.
1150. Bartholomaeus Laudunensis episcopus 38 anno sui episcopatus contempto mundi schemate Fusinaci induitur monachili schemate.	1150. Bartholomaeus episcopus Laudunensi apud Fusniacum fit moachus. [3])

1) Nam vel prima locorum verba afferuntur, vel loci plane ex Anselmo et Auctario Gemblacensi eduntur, qui ap. Contin. Ursicampinum desunt vel alio habitu leguntur. cf. ad an. 1118. Cont. Bland. Paschalis Papa — sepultus est. coll. cum Ans. ad an. 1118. Paschalis Papa etc. Gelasius Papa etc.; cf. Bland. ad an. 1116. Henricus Imperator in Italiam secedit cum Ans. ad. an. 1116. ad an. 1130. Lotharius Rex urbem Spiram. etc. 1131. Innocentius Papa etc. ad an. 1141. Conrado — Imperio coll. cum Auct. Gembl. ad an. 1141.
Neque id objici potest, Continuatorem Ursicampinum ex Anselmo et Auctore Gemblacensi per Blandiniensem editis hausisse, cum his plura, quae ab illo inde contracta sunt, integra e fonte ipso receperit. (cf. ad an. 1117. Multa prodigia in diversis locis apparuerunt. Contract. ex Anselmo Gembl.) coll. cum Ans. ad an. 1117. Cont. ad an. 1118.; cf. ad an. 1141. de castro Bullonio ap. Bland. cum loc. sup. pag. 367. not. 4. coll.

2) ad an. 1140. ibid. Henricus, germanus Ludovici Regis Francorum in Clarevalle fit monachus.

3) cf. etiam ad an. 1113. Cont. Anonym. Bernardus — conversatur cum Bland. Bernardus — monachus; ad an. 1120. Cont. Anonym.

Neque minus notatu dignum est, etiam luculentissima consensus cum Codice Orteliano vestigia in hac continuatione reperiri. Unde enim petitae sunt notitiae, nisi ex Cod. Ortel. cum editor ad an. 1118. annotet:

Balduinus Comes Flandriae, quia Hugo Camdavena etc. ex Anselmo ad an. 1117.

ad an. 1141.

Sampson Carnotensis ecclesiae praepositus, Remorum ordinatur archiepiscopus. Apud Tornacum adolescens clericus etc. ex Auctario Gembl. ad 1140.

ad an. 1146.

Tornacensis Ecclesia, quae per quingentos et amplius annos etc. Ibid. [1])

Locum porro continuationis Blandiniensis ad an. 1137.:

Wilhelmus dux Aquitaniae et Comes Pictaviae obiit, filiam relinquens, quam Ludovicus filius Regis Francorum sponsam assumpsit: et ab illo die regnum Franciae et ducatus Aquitaniae copulantur.

nonne e Cod. Orteliano[2]) excerptum esse existimabis.[3])?

Inde lectoribus peritis jam persuasum esse credam, in his, quos mixti vel incerti generis continuatores Sigiberti nominavimus, inesse connexum quendam et inter se et cum utroque insigni Sigiberti continuatore — cujus vero, quominus originem, gradus, et ut hoc verbo utar, genealogiam exponam, et textus ipsorum non satis integre distincte et cum fide editi et membrorum quorundam mediorum defectus prohibent.[4]) —

4. *Continuatio Cameracensis inedita.*

His subjungimus notitiam continuationis cujusdam ineditae Sigiberti, quam in Bibliotheca Cameracensi Nro. 863. exstare tradidit V. Cl. de Smet.[5])

Ordo — incipit: cum Bland. Ordo — incoepit; ad an. 1129. Cont. Philippus puer — praesente cum Bland. Philippus — inungitur.

1) cf. enim edit. Miraei l. c.

2) vide supr. pag. 374.

3) cf. etiam Bland. ad an. 1114. Monasterium — ordinatur cum Cod. Ortel. ad an, 1115. Clarevallis — Bernardus.

4) Id quod perlustrato Chronico S. Bavonis Gandensi, quod recensionem Sigiberti Blandiniensem secutum esse infra probabimus, adhuc clarius prodibit. —

5) Recueil des chroniques de Flandre, publié sous la direction de la commission royale d'histoire Tom. I. pag. 85. Not. 2.

Haenel. Catalogo pag. 114. Nr. 863.: Bibliothecae Cameracensis Rubrica VII. (Astronomie et Mélanges) Chronographia Eusebii, Hieronymi, Prosperi, *Sigeberti*, Hugonis (?) fol.

Locum ejusdem nobiscum communicavit ad an. 1127. de caede Caroli comitis Flandrorum hunc:

„Carolus comes Flandriae pro executione justitiae quibusdam suorum perosus diebus quadragesimae in ecclesia, ubi missam auditurus venerat, orans cum quibusdam suis proceribus ab eis interficitur. — Quod scelus provinciae totius zelo et unanimi concursu tanta est severitate judicatum, ut non facile possit occurrere tam districtae ultionis exemplum. Wilhelmus, Roberti Normanniae quondam comitis filius electione principum et convenienter Ludovici regis Francorum substituitur in principatum. — Quem patruus suus Henricus Anglorum rex suspectum habens, eo quod ipso exhaeredato, patrem ejus Robertum captum teneret, principes Flandriae adversus eum in rebellionem suscitat. Qui Theodericum Caroli consobrinum de Alsatia contra eum accersunt, et Willelmo post biennium per vulnus mortuo ad principatum provehunt."

in quo nonnulla dicta ad Continuatorem Ursicampinum,[1]) plura ad Anselmum[2]) alludere constat. Videant alii, quibus codicem conferre licet, quis ejus usus sit. —

Postremum adnectimus notitiam V. Cl. de Smet, qui in Coll. Chron. Flandriae pag. 79. e Codice Chronici Sigiberti Gemblacensis saec. XIII. scripto, in bibliotheca Duacensi asservato (No. 750.) quaedam „folio addito" extantia in laudem Balduini VII. (Apkin. 1119.) comitis Flandriae, quinque distichis additis — edit. In Haenelii Catalogo[3]) bibliothecae Duacensis, unus tantum Sigiberti Codex „*Anselmi*, Eusebii, Sigeberti Chronicon. fol." continens annotatur, quem utrum idem cum Aquicinctino, an cum illo Nr. 750. sit, nescimus. —

D. CONTINUATORES GENERIS ROBERTI DE MONTE.

1. *Roberti de Monte Continuatio* usque ad an. 1182. (1186.)

Progredimur denique ad Robertum de Torineio,[4]) Abbatem coenobii Montis S. Michaelis in periculo Maris in dioecesi Abrincensi, quem et ipsum jam diximus Sigiberti

---

1) scil. illud: Carolus comes Flandrensis proditione quorundam optimatum suorum, *quibus pro zelo justitiae exosus erat*, *Brugis in ecclesia sancti Donatiani martyris orans interfectus est.*

2) cf. ad an. 1127. inprimis: Comitatus Morinorum — redegerat et ad an. 1128. Orta seditione et dissidio inter Guilelmum Comitem et Morinos annitentibus Equitio et Daniele Majoribus Flandriae, *accersitur* Theodericus, filius Theoderici Ducis Alsatiae etc.

3) pag. 160. rubrica: Histoire universelle.

4) Cujus loci rationem geographicam auctor ipse descripsit in (Guil. Gemetic.) Hist. Normann. lib. VIII. Cap. 26. ap. du Chesne: Script. rer. Normannic. pag. 306.

Chronicon continuasse. Annum quidem natalem ejus ignoramus, certum tamen est, eum anno 1128. monasterium Beccense ingressum, ibi habitum monachalem induisse.[1]) — Postea ad prioratus monasterii Beccensis dignitatem evectus anno 1154., die VI. Cal. Junii monasterii Montis S. Michaelis in periculo Maris, quod multas discordias ambitione electorum abbatum concitatas passum erat, Abbas est electus,[2]) quo munere usque ad diem 24. Junii 1186.[3]) quo quidem obiit, religiose functus est. Nec vitae ejus honores varii defuerunt a rege reginaque Anglorum, et ab Alexandro III. Papa collati, nec bene meritae quam episcopi et abbates vicini in eo positum habuerunt confidentiae documenta.[4]) — Neque

1) cf. Chron. S. Michaelis ap. Labbe I. 348. ad an. 1128.

2) Ipse enim Chronico ad an. 1154. ap. d'Acherium pag. 772. Mense Majo VI. Cal. Junii, feria V. infra Octavam Pentecostes Monasterium Beati Michaelis de Periculo Maris, post tribulationem quam per quinquennium fere jugem passum fuerat, Deo miserante aliquantulum resipravit: electo unanimiter ab omni conventu Roberto de Torinneio *Priore* Claustrali Beccensis Monasterii. cf. Chronicon S. Michaelis ad an. 1154. ap. Labbe I. 348. de Abbatibus ejusd. monasterii ap. eund. pag. 351. denique ipse in Chron. suo ad an. 1180. pag. 802. in laudando Rogerio Abbate Beccensi (1149—1180): Tempore ipsius assumpti sunt de Beccensi Ecclesia duodecim Abbates ad Regimen Ecclesiarum, quorum ego, qui hoc scribo, secundus fui. —

3) Annum obitus 1186. affert historia Abbatum l. c. pag. 351. diem Gall. Christ. XI. pag. 520. (ex historia ms.?) cf. Hist. litter. Tom. XIV. pag. 363.

4) Quae ipse quidem, non minus quam res, quas in administranda abbatia egregie gessisse sibi visus est, tertia persona de se loquens, Chronico suo immiscuit. cf. ad an. 1154. Eodem mense pag. 772. 1156. Cum autem etc. ap. d'Acherium pag. 774. cf. ad an. 1158. Inde venit Rex ad Montem pag. 777. et ead. pag. ad eund. an. Eodem anno sq. ad an. 1161. pag. 781. Regina Alienora etc. cf. ad an. 1182. pag. 807. 1162. Eodem mense — Monti pag. 781.; ad an. 1165. pag. 785. Robertus Abbas Montis — Vercellensi; ad an. 1169. pag. 789. Gaufirdus filius etc.; ad an. 1172. Circa festum sancti Michaelis. pag. 792; ad an. 1176. pag. 796—797. Robertus Abbas Montis, scriptor horum temporum, pergens in Angliam, promeruit a Domino Rege Chartam et Sigillum omnium Eleemosynarum Ecclesiae Montis, quae datae fuerunt praedictae Ecclesiae usque ad praesens tempus et dabuntur in futurum; ad an. 1177. pag. 797—798. In festivitate etc. ad an. 1178 pag. 799. Obiit Stephanus Ep. Redonensis etc. Scripsit etiam mihi etc.; ad an. 1181. pag. 805. (Alexander) tenuit Concilium Turonis. etc. — Alia adhuc afferunt ex Hist. ms. coenobii auctores Gall. Christ. XI. 519—520. quae, quominus — quod valde cupivimus — latius enarraremus, atque cum vitam politicam, tum litterariam Roberti inde componeremus, paginarum spatio impedimur.

minus quam vita ejus ecclesiastica litteraria quoque insignis erat; multorum enim operum, [1]) quorum nonnulla et aetatem tulerunt, [2]) auctor, idemque ardens literariorum studiorum fautor apparet. Henricus Huntindonensis, celeber ille rerum Anglicarum scriptor, eum in hoc laudat „quod anno 1139. Romam proficiscens Becci paululum commoratus, Robertum nostrum „virum tam divinorum, quam saecularium librorum inquisitorem et coacervatorem studiosissimum ibi convenerit" atque ab eo de ordine Históriae de Regibus Anglorum a se ipso editae, edoceri cupiente atque libenter edocto, librum Galfridi Monumetensis oblatum acceperit; [3]) epistola Roberti, quae exstat ad Gervasium, Priorem S. Serenici, [4]) qua eum ad res, quae in Normannia ab obitu Henrici I. Regis, i. e. ab anno 1135. usque ad obitum Gaufridi, Ducis Normanniae et Comitis Andegavensium i. e. ad an. 1150. evenissent, describendas adhortatur, eique, ut quam firmissimo huic operi fundamento substructo, res comitum Andegavensium et Cenomanensium enuclearet suadet honorificum litterarii cum acuminis tum fervoris, quibus tunc studia historica in Francogallia insignia fuere, documentum existimari potest. — Sed laudent alii viri acutiores et doctiores rerum scriptoris merita multimoda; nobis satis sit demonstrasse, quanto in honore Sigibertum nostrum saeculo duodecimo habitum esse nobis existimandum sit, cum talem virum, nullo extero vinculo ei adstrictum, egregiam Chronico ejus supplendo et continuando operam dedisse videamus. —

Ipse enim „se omnibus modernis Chronographis Sigibertum Gemblacensem praeferre, ejusque studium vehementer admiratum, ejus Chronographiam continuare conatum esse" praefatus est, [5]) atque, postquam, quae ejus ratio fuerit scribendi indicavit, hoc solum in eum critice observavit, quod Britonum regni mentionem faciens, per centum fere duodecim annos nullum Regem eorum, praeter unum Aurelium Ambrosium nominat, [6]) atque Anglorum res nonnullas locis opportunis commemorans, non nisi eos eorum reges, quos Beda in historia sua attigerat — recenset (quum tamen „plures

---

1) Historia ms. eum centum et quadraginta volumina edidisse affert. cf. d'Acherium ad Lanfranci Epistol. pag. 351. Gall. Christ. l. c.

2) cf. eorum catal. ap. d'Acherium. Praef. pag. 716. Hist. litt. l. c. Fabric. ed. Mansi VI. pag. 105.

3) cf. epistolam Henrici Huntindonensis ad Varinum de regibus Britonum, a d'Acherio editam pag. 736. et in fine pag. 740.

4) cf. eand. ap. d'Acherium loc. cit. pag. 715—716.

5) l. c. pag. 734—735.

6) scil. ab anno 381. usque ad an. 492. ex edit. Miraei. vide infr.

Reges in eadem gente fuisse post mortem Bedae, quam antea" candide addat), denique monet de ducibus Normannorum eum aut nihil aut parum dixisse. — Attamen eum hoc non negligentia, sed quod justa fontium copia caruisset, fecisse observat; se igitur, quia his abundet „nomina et successiones, et aliquando facta eminentiora eorundem Ducum (scil. Normanniae) et omnia nomina Archiepiscoporum Rothomagensium, „et de Episcopis ejusdem Provinciae quaedam locis convenientibus usque ad an. 1100." Chronicis interserere velle. — Quod consilium etiam in regibus Britonum Sigiberti Chronico adjiciendis explesset, nisi in his — scil. secundum fabulosas Galfridi narrationes — usque ad aetatem Bruti primi regis, pronepotis Aeneae, regrediendum, ideo etiam Chronicon Hieronymi magnaque operis Eusebiani pars additamentis augenda fuissent. Cum vero tantae auctoritatis viris extraneum aliquid addere indecorum putaret, epistolam Henrici archidiaconi Huntindonensis, in qua omnes Britonum reges a Bruto usque ad Cadwallonem breviter enumerantur (scil. e Galfrido Monumetensi excerptam quam ipse Henrico Romam proficiscenti obtulerat[1])) operi suo praemittere accommodatum duxit, quae re vera in pluribus codicibus ejus manuscriptis invenitur.[2]) Post haec se ipsum Chronicon Sigiberti, quod ab illo ab an. 381. usque ad an. 1100. perductum esse ait, inde usque ad [an. 1182. continuare velle dicit. —

Quae de rebus ducum Normanniae, archiepiscoporum Rothomagensium, et monasterii Beccensis,[3]) quod per Herlvinum, et Anselmum Abbates et Lanfrancum Priorem saeculo undecimo permagnam nactus erat famam, Robertus interseruit Sigiberti annalibus ab an. 876. usque ad an. 1100., d'Acherius ex ipsius textu selecta sub titulo: *Accessionum Roberti de Monte ad Chronicon Sigiberti:*[4]) edidit. Plura horum eum ex libris

1) vid. pag. 388. Not. 3. et Roberti Chron. ad an. 1151. pag. 769.

2) scil. in Cod. S. Michaelis, in Cod. Oxon. Bodl. 2041. (212.) etc. de quibus vid. infr.

3) cf. de his ad an. 1034. l. c. pag. 722. 1042. pag. 723. 1051. ibid. 1060. 1063. pag. 724. 1070. 1073. 1077. pag. 726—727. 1089. pag. 729. 1093. pag. 730. quibuscum locis plura concordant in Guilelmi Gemeticensis libri VI. Cap. 9. (quod Editores script. rer. Francogall. ab ipso nostro Roberto Guilelmo assutum esse putant. (vid. loc. infra cit.) ap. Chesn. l. c. pag. 261—265. In Chronico Beccensi, Lanfranci Opp. ed. 1648. adnexo plurima e Roberto descripta reperiuntur.

4) l. c. pag. 717—733. ap. Bouq. X. 269. XI. 165. Quibus incuria quaedam, quae Sigiberto propria sunt, immiscuit. scil. ad an. 938. Contra Ottonem — habebat. 1026. Robertus — tranquillitas. 1049. Leo Papa — melioravit 1065. Interea Haraldus — occidit. 1072. hinc Richildis — protrahitur; ad an. 1100. Robertus — posuit. (de quo cf. supr. pag. 360.)

Guilelmi Gemeticensis de ducibus Normanniae et ex Henrici Archidiaconi Huntindonensis historia Anglorum hausisse, eo minus mirum esse potest,[1]) quo apertius se ad res Henrici I. Regis Anglorum per singulos annos annotandas et Henrici Archidiaconi opere usque ad an. 1154. deducto,[2]) et historia illa, „quam de ipso Rege noviter defuncto edidisset, atque gestis ducum Normanniae adjecisset," — quam vero nihil aliud, nisi octavum Guilelmi Gemeticensis librum esse satis superque inter viros doctos constat[3]) — potissimum ad-

1) Ex his quidem, si in rebus Anglicis Henricum, in rebus Normannicis Guilelmum cum eo conferas, paucis tantum exceptis continuum fontium, e quibus accessiones illas hausit, ordinem levi opera compones. scil. ad an. 876. Carolus — recipere e Guil. Gem. II. 17. l. c. pag. 230—231. ad an. 912. Anno — subacta est, ex eod. II. 18. 19. ad an. 893. Rollo — copulavit II. 22.; ad eund. *Capta* est civitas Ebroicensis, solus Episcopus Sebar *Deo authore evasit* cf. cum Guil. II. 12. pag. 229. misit exercitum militum ad Ebroicam civitatem ut eam exterminarent Episcopum nomine Sibor cum suo populo trucidarent: Quo cum venisset, Episcopum fuga lapsum non reperientes, omnes cives perimunt. — Num fortasse noster Dudonem S. Quintini Decanum, ex quo ipse Guilelmus hausit, inspexit, ap. quem (lib. II. Chesn. pag. 77.) misit Ebroicas exercitum ut *caperetur* civitas et Episcopus. Qui veniens civitatem invasit, populorumque plures et praedam capit. Sed Episcopus Sebar nomine *Deo annuente evasit*. — Ex Henrico Huntindonensi totum regum Angliae eorumque annorum ordinem ab Edwardi filii Alfredi obitu (ab an. 922. cf. Henr. lib. V. ap. Savile Script. rer. Angl. fol. 203. I. usque ad Guilelmi Rufi. obitum (an. 1100.) recepit solum omissa notitia annorum Edmundi Athelstani successoris (941—946), nisi fortasse eam editor omisit. — Etiam quae de expeditionibus cruciferorum ad an. 1097. inseruit, ex Henr. Huntind. lib. VII. fol. 214—216. sunt excerpta, neque abstinuit, quin ex ipso etiam dicta, quae ad personam solum illius attinent, sine ulla mutatione reciperet; sic ad an. 951. illud: quae Ecclesia temporibus nostris loco avulsa ex Henr. Huntind. V. fol. 204. 1.; sic ad an. 1006. De quo scelere (scil. de Danorum caede per Aethelredum instituta) loqui *audivimus* ex illo; Henr. VI. fol. 206. 1. de quo scelere in pueritia nostra *quosdam vetustissimos loqui audivimus*. — Ad an. 964. translationis corporum SS. Maximi et Venerandi in coenobium Fontinellense mentione facta, vitam Sanctorum illorum intrudit.

2) scil. libro VIII. fol. 228. usque ad obitum Stephani Regis Angliae. cujus et ultimam partem adhibuit Robertus (cf. e. g. ad an. 1143. ab init. — sulcavit aequora. cum Henr. l. c. fol. 225. 1—2.) quamvis in prologo de Henrico „historiam quam composuit de rebus Angliae, incipiens eam a Julio Caesare, et texens ordinatim usque ad mortem praedicti Regis Henrici, id est usque ad millesimum centesimum tricesimum quintum annum Dom. Inc."

3) cf. Prolog. in Chron. et Epist. ad Gervasium l. c. cum Chronico ad an. 1135. pag. 757. et Guill. VIII. 8. VIII. 32. et Orderic. Vit. lib. III.

jutum esse, ipse fatetur. — Neque minus qui attentius hos libros contulerint, effugere potest, eum in annalibus suis texendis usque ad an. fere 1150. res Henrici et Stephani regum Angliae ex Henrico Huntindonensi vel excerpsisse, vel descripsisse et pauca interdum, quae jam Guilelmo Gemeticensi adjecerat, repetiisse.[1]) — Tamen cum in hac parte tum in annalibus post annum 1150. permulta, quae ipsi propria sunt, attulit atque cum ex Chronici Sigibertani rubricis tres, „scil. Romanorum, Francorum, Anglorum" retinuisset, cum primam et secundam, maxime vero tertiam egregio modo replevit. — Haud raro rerum se testem oculatum praebet, atque se eas ipso quo evenerunt temporis articulo, eventu vel nondum viso, vel non exspectato eas statim memoriae prodidisse testatur;[2]) ceterum ubique litteris historicis in universum se imbutum, rerum antiquitatis et saeculorum praeterlapsorum bene gnarum,[3]) inprimis genealogiarum acrem scrutatorem[4]) probat.

Annum initii proprii sui operis 1100. esse dicit et Sigibertum ad eundem tantum, non ad an. 1112. quem hucusque semper illius ultimum statuimus — Chronicon suum perduxisse addit. — Collatis vero annalibus ejus

---

Prol. pag. 458. VI. pag. 618—19. Bouq. X. pag. 184. XI. pag. XIV. 34. App. pag. 620. XII. Praef. pag. XLVI. Hist. litt. XIV. 364. et loc. ibid. cit. Eum etiam nonum caput libri VI. (vid. pag. 389. n. 1.) et plura capp. libri VII., quae loc. cit. accuratius distincta sunt, operi illi adjecisse Coll. script. rer. Franc. contenderunt; quod etsi non negamus, de singulis tamen adhuc sub judice litem esse, cum Lappenbergio II. 375. existimamus.

1) Unde singula afferre exempla superfluum duximus. —

2) cf. ad an. 1155. pag. 773. Calendas Maji feria V. etiam apud Montem sancti Michaelis terrae motum sensimus ante solis ortum; ad an. 1156. . . . excepto Joanne Dolensi, qui adhuc . . . resistit. ad an. 1159. . . . et filius ejus (scil. Raimundi Comitis Barcinonae) *primogenitus Aragonum Rex futurus* ad an. 1164. de trium Magorum corporibus Coloniam translatis: sicut mihi retulit, qui eos se vidisse affirmabat; ad an. 1181. pag. 803. Obiit vir plangendus *charissimus meus* Gaufridus de Monte-forti; cf. ad an. 1178. pag. 798. Mauricius Episcopus Parisiensis jam *diu est*, *quod* multum laborat et proficit in aedificatione Ecclesiae praedictae civitatis, cujus caput jam perfectum est, excepto majori tectorio, *quod opus si perfectum fuerit*, *non erit* opus citra montes, cui apte debeat comparari; cf. ad an. 1179. pag. 801. Sententiam cujusdam astrologi de plagis futuris; ad an. 1180. pag. 802. in fine: quod utrum factum sit, nondum scimus. ad an. 1182. pag. 807. et *adhuc discordia perseverat*. . . . .

3) cf. ad an. 1150. Everso castro Monasteriolo, a duce Gaufrido obsesso tribus castellis lapideis per tres annos, *quod inauditum est post Julium Caesarem*; ad an. 1168. pag. 788. supr. ad an. 1116. rerum Anglicarum profert doctrinam laudabilem; ad an. 1124. de Antiochia. ad an. 1129. res Normannorum in Apulia coll. cum Guil. Gem. VII. 30. 43.

4) cf. ad an. 1159. Guil. Gem. VIII. 34. 37. etc.

ab anno 1100 — 1112., perpaucis tantum exceptis,[1]) *omnia semper eodem habitu, quo in utroque Sigiberti textu leguntur, nihil vero, quod solum in Miraei editione vel solum in textu veteri legitur* — nisi quod ad an. 1111. cum hoc plane consentit[2]) — *in eo inveniri*, luce clarius est — Unde eum Chronicon usque ad an. 1112. pergens ante oculos habuisse atque annum 1100. tantum propter hoc, in quo finem Chron. Sigib. faceret, elegisse censeo, quia inde ab eo jam plurima ex Henrico Huntindonensi adjecisset, atque hic ipse esset annus, quo Henricus I. regnum Angliae adipisceretur, deinde, eum Chronicon neque ab Anselmo neque a Continuatore Ursicampino continuatum legisse, sed puro illius textu gavisum esse existimo[3]) atque descriptoribus ejus magnam auctoritatem ad dijudicandam singulorum locorum originem attribui debere colligo. — Huic continuatori illum Ursicampinum plane non notum fuisse nisi aliis, certe hoc argumento evincitur, quod Sigibertum unum tantum regem Britonum ab anno 381 — 492 afferre dicat, quod, si textum nostrum veterem legisset, profecto dicere non potuisset. Itaque si quis utroque collato quaedam in orationis conformatione similia detexerit,[4]) ea velim reputet non tanti esse, ut connexum

---

1) scil. ad an. 1103: Henricus — constituit. ad eund. Legiae — habito. 1106. Pridie idus Februarii — cadentes. Toto mense — apparuit. 1110. locus de translatione S. Guiberti 1112. In monte — oppido arsit (ap. Mir. crematur) quos ille haud dubie minoris momenti habens omisit.

2) vide infra.

3) Si lectiones singulas locorum ab anno 1100 — 1112. cum textibus Sigiberti conferas, eum saepius cum Miraei textu tanquam correctiori consentire intelligas.

4) Quae ipse primus in has res inquirens inveni, non possum, quin sincere referam. cf. Access. Rob. ad an. 1051. Lanfrancus — convincens. cum text. vet. ad an. 1051., Lanfrancus — disputavit. ad an. 1119. Rob. Balduinus — Dacorum cum text. vet. ad an. 1119. Robertus: Eodem anno — 166. text. vet. Gelasius — benedicitur. ad an. 1130. Rob. Honorius — orbem cum text. vet, ad an. 1130.; 1137. Rob. *Ipso anno tanta siccitas fuit* — incendente text. vet. *Siccitas tanta fuit in Francia* — siccarentur cui est simillimus locus Orderici Vitalis XIII. pag. 909. *An. ab J. D* 1137 ... *ingens in toto orbe siccitas fuit, quantam nemo nostris temporibus vidit*.... 1141. Rob. Rex Francorum — multitudo maxima *diversi sexus* hominum *et aetatis* concremati sunt; text. vet. 1143. Ludovicus — animae *diversi sexus* et *aetatis* sunt igne consumptae; ad an. 1145. Rob. *praedicatione* Bernardi etc. cum text. vet. ad an. 1146.; ad an. 1145. locus Roberti: Tornacensis Ecclesia *coepit habere proprium Pontificem*, cum loco text. vet. ad an. 1146.: Ecclesia Tornacensis etc. in nonnullis verbis quidem consentire videtur, in re tamen eo discrepat, quod Robertus ab aetate Eligii continuator ab aetate Medardi episcopatus conjunctos esse addit.

certum probent atque magis rerum enarratarum consensui quam studio Roberti ac consilio adscribenda esse. —

Annum 1182. ipse ultimum Chronici sui in prologo sibi proposuit; tamen eum opus illud per longum vitae spatium variis intervallis interruptum composuisse, cum ex multis ipsius dictis tum e codicum habitu colligi posse videtur; nam in Cod. Reg. Paris. Nr. 4862. ad an. 1154. in redactione textus in Cod. S. Victor. Parisiens. ab anno 1139. incipere ad an. 1168. claudi,[1]) in Codice Cottoniano Domitianus A. VIII. annales ab an. 1153. ad an. 1179. contineri traditur.[2]) —

Attulit ad varias has Chronici formas accuratius explicandas Vir Rev. Jos. Brial e Codice Cotton. (Domitian. VIII.) Epistolam Roberti ipsius ad Rogerium, Abbatem Beccensem datam,[3]) qua „venisse ad se juvenem quendam, expetiturum Rogerii nomine partem chronicorum suorum, — quae (in universum) complectantur LXXXII. annorum tempus — a martyrio beati Thomae (an. 1170.) usque ad praesens tempus pergentem; se vero „addere volentem pleno cumulum" illi transmittendum curasse quicquid a tempore discessus sui e monasterio Beccensi scripserit, XXVIII. annorum (i. e. ab anno 1154. usque ad an. 1182.) tempus complexum; reliqua, quae, antequam ad Montem venisset, scripsisset, apud illum esse in chronicis „quae cum magno labore habuisset de episcopo Belvacensi (Philippo)" monet. — Tum ad laudes Eusebii et Hieronymi transiens, hos a Prospero continuatos, iique Sigibertum usque ad an. 1100. subnexum, eum denique ab ipso usque ad an. 1182. continuatum esse, simili atque in praefatione modo enarrat. — In fine precatur, ut abbas cum sancta congregatione memoriam habeant carissimi patris Richardi Abrincensis episcopi, „qui in die beati Marci cesserit in fatis."

Epistola haec, quamvis laudabili codicis auctoritate commendata atque ab ingenio Roberti non abhorrens, nihilominus tamen suspicione non caret. Scripta enim est post an. 1182. vel an. 1183. quo secundum nonnullos obiit Richardus Abrincensis;[4]) nihilo secius Rogerio Abbati Beccensi inscripta

---

1) vide loc. infr. citand.

2) cf. Catalogue of the Manuscripts in the Cottonian Library. 1802. fol. pag. 573. Nr. 13. cf. infra de Radulfo de Diceto et Matthaeo Paris.

3) cf. Bouq. XVIII. 333. nota.

4) In textu d'Acheriano continuationis Roberti de Monte et text vet. ad an. 1182.: Obiit pater noster, Richardus Abrincensis episcopus. quem locum ap. Bouq. ad an. 1183. invenies. vid. infr. Brial l. c. die illo S. Marci 25. diem Aprilis anni 1183. insignitum esse statuit; Gall.

est, qui ex ipso Roberti testimonio anno 1180. (sive anno 1179.) fato functus est.[1]) Successit ei *Osbernus*, cujus tamen nomen, ut contra plurium virorum doctissimorum auctoritatem pro: *Rogerius*: substituatur, ipse suadere nolim.[2])

In Codice Monasterii S. Michaelis, ut ad hunc revertamur, in annalibus anni 1182. post locum, quo Robertus filiarum Henrici II. Angliae regis rebus perlustratis, ad tertiae filiae, Mathildis maritum Henricum (Leonem) Saxoniae ducem deveniens, ejus opibus celebratis, ejusque fortuna adversa enarrata, dixit.[3])

Quare (Henricus Dux) venit in Normanniam ad regem Henricum, socerum suum, cum uxore et liberis et rex maximas expensas fecit pro eo quotidie, scilicet 50 libras Andegavensium, qui, Deo auxiliante, adhuc terram suam recuperabit per industriam et fortitudinem et divitias regis Angliae:

prima manus desinit, atque adnectitur Continuatio, alia manu scripta, quae plura iterum ad an. 1182. ad an. 1183. enarrat atque in annalibus anni 1184. media in narratione in verbis „ante octo dies mortis suae factus"[4]) abrumpitur, cum, ut d'Acherius testatur, in fine unum vel alterum folium e codice sit avulsum. Idem d'Acherius Elenchum codicis illius edidit, in quo Robertus Chronicon usque ad an. 1184. continuasse traditur,[5]) et quem ab ipso esse conscriptum

---

Christ. XI. 482. „*ex necrologio Lucernae,*" (i. e. monast. ord. Praemonstr. ejusd. dioec.) Richardum IV. cal. Aug. 1182. obiisse, quo testimonio, si confirmari posset, epistolae auctoritas altera ex parte evelleretur. —

1) ad an. 1180. e textu d'Acherii, et text. vet. ad an. 1179. ap. Bouq.

2) Non possum tamen, quin observem, has Chronici partes, quas Robertus in hac epistola apocrypha distinxisse traditur iis, quas in codicibus invenimus, congruas esse; nam pergunt codices vel ad an. 1154. vel ad an 1168. et 1169., non longe a martyrio Thomae Cantuariensis desinentes, atque ipsam epistolam ad Rogerium sequuntur annales ab anno 1153., non ad an. 1182., sed ad an. 1179., cui superesse potuit Rogerius abbas, continuati.

3) l. c. pag. 807.

4) pag. 810.

5) scil.: Ab eodem anno (scil. 1100.) Robertus Abbas S. Michaelis de periculo Maris fecit Historiam continentem res gestas Romanorum, Francorum, Anglorum usque ad praesens tempus continentem annos usque ad an. 1184. quem librum praetitulavit Charissimo Domino suo Henrico Regi Anglorum etc.

Cod. Cantabrig. Bibl. publ. (de quo infr.) ap. Archiv VII. 536. usque ad locum anni 1183. ap, d'Acherium pag. 809. „inimicos pacis persequuntur" pergere traditur. —

dubito an satis feliciter — conjecerit. — Recensio textus Roberti de Monte quae in textu Sigiberti veteri nostro exstat,[1]) post eadem verba ad an. 1185. nonnulla ad hanc narrationem complendam et paucas alias notitias ad eundem annum addit, usque ad: *ejusdem urbis episcopi;* in editione Coll. script. Francogall. Tom. XVIII.[2]) harum notitiarum ultimae a loco: *Domnus Henricus rex tenuit curiam suam ad Natale apud Domnum-frontem*: an. 1186. adscriptae atque cum V. Rev. Brial in pluribus codicibus Roberti hanc Appendicem usque ad an. 1186. exstare doceat,[3]) eam a Roberto ipso dictatam (scil. postquam jam prologum conscripsit) satis probabiliter collegit. —

Neque re vera rerum enarratarum habitus a Roberti more in universum discedit, neque — quod gravissimum est — desunt singuli loci, quibus annales illos vivente adhuc Roberto subinde continuatos esse, quam certissime demonstrari possit. Nam ad an. 1184. auctor Alfonsum Henriquez, regem Portugalliae, qui anno 1185. obiit, adhuc vivere refert,[4]) deinde filium sororis Balduini IV., regis Hierosolymitanorum (scil. Sibyllae) et Guilelmi comitis Montis-ferrati (scil. Balduinum V., quem tamen perperam nominat Henricum) ab altero Sibyllae marito, Comite Joppensi (scil. Guidone) servari, quousque perveniat ad perfectam aetatem, refert,[5]) cum tamen Balduinum illum puerum jam an. 1186 obiisse constet. — Itaque sicut Sigiberto et Anselmo ita Roberto quoque haec laus, eum moriturum adhuc operi suo vires devovisse, detrectari non potest. — Passus est multas postea textus ejus mutationes, quarum nonnullas e codicum notitiis cognitas hic annotemus.

---

1) cf. ap. Struv. l. c. pag. 937.

2) pag. 338.

3) scil. in codd. 4861. et 4992. de quibus vide infr. l. c. Tom. XVIII. pag. 334.

4) Is enim designatus loco: Rex Anglorum Henricus sapientia et divitiis suis acquisivit sororem regis Portugalensis Hispaniae, ad hoc ut fieret uxor comitis Flandrensis, cognati sui. Venit ergo ad comitem Flandrensem in abundantia auri et argenti. *Hujus pater, licet grandaevus adhuc vivit*, qui in juventute sua super Agarenos, adjutus ab Anglis et Normannis, civitatem Ulixbonam, quam vulgariter vocant Lissebone. . . . .

5) cf. ap. d'Acherium et Bouq. ad an. 1184. Anno praeterito obiit, etc. ubi rectius in textu veteri annus 1185. vid. infr.

2. *Cod. Reg. Paris.* 4861. *sive Robertus de Monte in monasterio Lyrensi interpolatus.*

Editores script. rer. Francogall. ope potissimum Cod. Reg. 4861. et 4992. chronologiam Roberti, qualis in textu d'Acheriano invenitur, emendasse fatentur,[1]) in quo, quae praestiterint, statim infra afferemus. — Interest vero quam maxime, fontes ipsos cognoscere, ad quos accurate distinguendos nimis incertas stipes contulerunt. Cum enim in Catal. Biblioth. Reg. Paris.[2]) Nr. 4861. Roberti Annales usque ad an. 1182. pergere dicantur, hi Tomo XIII. pag. 325. ad an. 1181. post locum:

Obierunt Henricus Abbas Pratelli, et Guilelmus Abbas S. Michaelis Ulterioris-portus monachi Becci.

annotatur: *Hactenus Cod. Reg.* 4861; eod. tamen Vol. pag. 283. eum ad an. 1182. finiri, Tomo XVIII. pag. 333. in eo Appendicem Roberti ab anno 1182—1186, extare memorant. — Tom. XIII. pag. 304. ad an. 1160 „eum hactenus concordare cum Cod. Reginae Sueciae (de cujus annis 1158. 1159. 1160. vid. infra); sed in subsequentibus neutiquam discrepare ab editis exemplaribus atque esse codice Reg. 4992. copiosiorem," contra eod. Vol. pag. 283: „Codicem 4992. esse antiquiorem et copiosiorem, Cod. 4861. in multis decurtatum." His confirmatur, quod viros doctos jam dudum non latuit, quanta levitate opus hoc sit congestum. Editores vero, quamvis inviti atque nescii interdum tamen verum fontium habitum declararunt, quod et hoc loco iis contigisse videtur.

Annotatur enim ad an. 1147. XIII. pag. 291. not. c. cod. 4861. addere:

Obiit piae memoriae D. Hilcherius, IX. Abbas S. Mariae Lyrae.

ad an. 1152. ex eodem: pag. 295. n. a.

Deposito Vincentio Abbate Castellionensi subrogatur Sylvester Monachus Lyrae, vir venerandae simplicitatis.

Quin etiam ad an. 1166. l. c. pag. 310. in textu Roberti legitur locus hic:

Obiit magnarum virtutum vir venerabilis Willelmus Abbas Lyrae, religionis monasticae optimus moderator: cui successit mira dispositione frater ipsius Osbernus, Prior ejusdem loci. Rexit autem Lyrensem Ecclesiam idem Willelmus honeste et viriliter annis fere viginti.

quem, cum neque in textu d'Acheriano, neque in recensione illa quam Chesnius edidit inveniatur, e Cod. 4861. huc translatum esse existimamus, atque codicem in monasterio Lyra

1) Tom. XIII. pag. 283.

2) Tom. IV. pag. 9.

ordinis Benedicti dioeceseos Ebroicensis (condito a Willelmo, comite, filio Osberni circa an. 1046.)[1]) si minus scriptum, at interpolatum certe esse conjicimus.[2])

3. *Cod. Reg. Paris.* 4862. *sive Robertus de Monte usque ad an.* 1154. *in coenobio Savigniacensi interpolatus.*

Codicis etiam Reg. Paris. 4862., olim Colbertini Nr. 1058.[3]) Editores script. rer. Francogall. pluribus locis mentionem faciunt. Quem cum semper usque ad an. 1154. pergere dicant,[4]) neque eum in annis 1150—1156. diversa a Roberto de Monte afferre memorent, haec quidem ejus notitia rectior ea esse videtur quae est in Catalogo „Sigiberti Chronicon ibidem a Roberto de Monte ad an. 1150. tandem ab anonymo ad an. 1156. productum esse."[5]) — Eum a Monacho Monasterii Savigniacensis ordinis Cisterciensis dioeceseos Abrincensis — anno 1156. scriptum esse, jam compertum habuit Antonius Pouget,[6]) atque in eo, quod ibidem Catalogus Abbatum illius monasterii ab anno 1112—1244 legatur, cum Catal. Reg. Paris. consentit.

Cum hoc vix coire posset, quod Edit. script. rer. Francogall. Tomo XIII. pag. 729. inter Excerpta e variis Chronicis afferunt locum anni 1112. de exordio monasterii S. Victoris Parisiensis, qui quidem ex ipsius Roberti tractatu de immutatione ordinis monachorum etc. desumtus est,[7]) notitia „hoc anno etiam exordium Savignei fuisse"[8]) adnexa „ex

---

1) cf. Orderic. Vital. Hist. ecclesiast. III. ap. Chesn. Script. rer. Normannic. pag. 460. IV. pag. 527. Roberti. tractatus de abbatiis in Normannia Cap. XIII. ap. Bouq. XIV. pag. 385. Chronicon Lyrense ex Schedis Bibl. San-German. ap. Bouq. XI. 366. aliud Chronicon Lyrense ap. Martene et Durand.: Thes. anecdot. III. col. 1432. Gall. Christ. XI. col. 645.

2) Ad calcem enim codicis etiam Chronicon S. Taurini *Ebroicense* usque ad an. 1259. continuatum exstat. cf. Bouq. XII. pag. 776. Tom. XVIII. pag. 353.

3) cf. Catal. Reg. Paris. l. c. cum Montfaucon: Bibl. Bibl. pag. 938. et 1150.

4) cf. Tom. XIII. pag. 283. XVIII. pag. 333.

5) Unde etiam conjectura in Archiv VII. 534., esse codicem 4862. generis text. vet. usque ad an. 1155., corruit.

6) scil. ap. Montfauc. 1150.

7) scil. hoc tempore Magister Guilelmus de Campellis-effloruit cum Roberti tractat. Cap. V. l. c. pag. 383.

8) quae confirmatur Chronico Savigniacensi ap. Baluzii Miscellanea. II. pag. 140. cf. res monasterii in Roberti tractat. Cap. IV. l. c. pag. 382—383. Gall. Christ. XI. pag. 540—541.

Chronico Roberti de Monte a Savigniacensi Monacho interpolato, in ms. cod. Reg. 4861." edunt, nisi nota ad an. 1150. textus genuini Roberti Tom. XIII. pag. 292. addere Cod. Reg. 4862.

Obiit Henricus Fulgeriarum dominus, in Ecclesia Savigneii factus Monachus:

annotatum, atque nota ad an. 1152. pag. 295. iterum notitia rerum Savigniacensium e cod. 4862 addita esset, atque inde pag. 729. solum typothetae errorem accidisse constaret.

4. *Robertus de Monte ab anno* 1139 *usque ad an.* 1168. *excerptus atque ab anonymo (Vallomontensi) usque ad an.* 1259 *continuatus.*

Exstat e veteri libro Bibliothecae Canonic. Regular. S. Victoris Parisiensis, [1]) nunc Nr. 419. bibl. S. Victoris in Bibl. Reg. Paris. signato [2]) in Chesnii script. rer. Normannic. „Chronicon Normanniae" ab anno 1139. usque ad an. 1259. pergens, quod usque ad an. 1168. nihil nisi excerptum e Roberto de Monte esse jam ab aliis est observatum. [3]) — Incipit enim excerptum illud anno 1139:

Stephanus Rex Anglorum in Natali obsedit Bedefort:

iisdem verbis, quibus Robertus anno 1138., et clauditur ad an. 1168. in loco (ap. Robertum genuinum ad an. 1169.)

Cathina, civitas Sicilia terraemotu concussa et prostrata est, et multi in ea perierunt.

Inde etiam cod. illum bibl. Reg. Londinensis (King's library XIII. C. XI.) [4]) qui testimonio Pertzii ad an. 1168.

---

1) ap. Chesn. l. c. pag. 977—1014.

2) cf. Bouq. XVIII. 334.

3) cf. Bouq. XII. 788. not. XIII. 283. XVIII. 334. Lappenberg. II 376.

4) cf. Archiv VII. 77. 535 atque: A Catalogue of the Manuscripts of Kings library, an Appendix to the Catalogue of the Cottonian Library by David Casley. 1734. pag. 224. — Idem illi generi continuationis usque ad an. 1168. de quo supra pag. 381. diximus, l. c. subscriptus; num igitur duobus ad alios locos relegatis, tertius cod. saec. XII. exeuntis ex bibl. Harl. Londinensi Nr. 651. (de quo cf. Catalogue of the Harleian Manuscripts in the British Museum: Vol. I. pag. 397. Archiv II. 381. VII. 79. 535.) in quo loco V. (post Eusebium, Hieronymum, Prosperum, Sigibertum) Chronica Roberti de Torineio Abbatis Beccensis (sic) continuata usque ad A. D. 1150. (sec. Pertz. 1157.) loco VI. Epistola Henrici ad Warinum, loco VII. Roberti de Torineio Continuator anonymus (sec. Pertz. usque ad an. 1168.) loco VIII. „*Supplementum Continuatoris Roberti de Torineio, e Codice Regiae Biblioth. nuper descriptum et jam nunc, repertis foliis deperditis integrum* — annotatur, ad proprium genus pertineat, codicum scrutatoribus relinquo.

finitur in verbis: *et multi in ea perierunt:* ad idem genus (scil. continuatione omissa) pertinere satis firme conjicere posse mihi videor. —

Omisit auctor *Chronici* illius *Normanniae Chesniani* plures locos, in quibus Robertus sui ipsius mentionem facit, scil. ad an. 1154. 1158. 1162. 1165.[1]) praeterea plura, quae ad res Pontificum et Friderici Barbarossae faciunt,[2]) quae apud Robertum de abbatibus singulorum monasteriorum, episcopatuum Galliae sive Brittanniae vicissitudinibus leguntur, ne de aliis dicam, quae sigillatim enumerare longum est, praesertim cum diligenter hos codices comparanti sponte se offerant. Horum omnium loco perpauca tantum singulis narrationibus additamenta adjunxit.[3])

Quae locum illum ad an. 1168. modo indicatum secuta sunt usque ad an. 1182. Robertum de Monte ipsum redolent,[4]) neque a rerum abest natura, auctori Roberti annales ante oculos fuisse versatos; turbatam chronotaxim Coll. script. rer. Francogall.[5]) codice ipso collato incuriae amanuensis maxime imputant;[6]) versus finem ab anno circ. 1240. latiori sermone haud dubie aetati ipsi suppar, res auctor enarravit; eum monasterii Vallis-montis, ordinis Benedicti in dioecesi Rothomagensi[7]) incolam fuisse prodere videntur notitiae anni 1169.: fundatam, anni 1173. dedicatam esse Ecclesiam Vallismontis, licet in sequentibus annalibus vix distincta ejus ecclesiae fiat mentio.

---

1) vide loc. sup. pag. 387. Not. 4. cit.

2) scil. e.g. quae ap. d'Acherium ad an. 1163. Clerus — tenuit ad an. 1164. Terricus — Martyris; Fredericus — rebellant.

3) e. g. ad an. 1147. pag. 983. Rainaldus de Castellione factus est Princeps Antiochiae, ducta uxore Raimund Principis. quod ap. Rob. 1154. vide infra.

4) cf. e. g. ad an. 1170. l. c. pag. 1004. praecipue illud: Cujus Regis consecrationi interfuerunt plures Angliae Episcopi, et de Normannia Henricus Bajocensis et Frogerius Sagiensis cum Rob. ad an. 1170; cf. Chron. ad an. 1173. cum Rob. ad an. 1173. 1175.; Chron. ad an. 1175. Dedicata est — Rothomagensi cum Rob. ad an. 1178.; Chron. Hoc anno — filius cum Rob. ad an. 1179. 1180; cf. Chron. ad an. 1177. Arnulfus — Lexoviensis Anglorum cum Rob. ad an. 1182. Obiit Henricus — Anglorum cum Cont. Rob. ap. d'Acherium ad an. 1182.

5) Qui ea ediderunt ab anno 1169 — 1176. in Bouq. XII. 788 — 89. inde usque ad an. 1219. XVIII. pag. 345 — 348.

6) cf. Bouq. XVIII. 334. Sic ad an. 1177. obitum Alexandri III. ad an. 1182. expugnationem Hierosolymarum per Saladinum, ad an. 1184. obitum Henrici I. regis Angliae annotat. —

7) de quo cf. Gall. Christ. XI. 278.

5. *Excerptum Roberti Normannicum ab anno* 1153 — 1168. *et Robertus ipse ab anno* 1169 — 1186. *per Monachum S. Mariae de Voto Continuatori Sigiberti Ursicampino adnectuntur.* (1155 — 1185.)

Excerptum illud Roberti Normannicum vix hoc loco memoraremus, nisi inter hoc et Sigiberti continuationem in textu veteri singularis quaedam ratio intercederet. Hos enim libros conferentes vix fugere potest, Continuationem illam a loco anni 1155.:

Moritur etiam Gislebertus episcopus Pictavensis vir religiosus et multiplicis doctrinae, qui Psalmos et epistolas Pauli luculenter exposuit.

usque ad locum anni 1168: „Catina — perierunt. (qui ap. Struv. ad an. 1170. l. c. pag. 906.) non cum Roberto ipso, sed cum hoc illius excerpto quam maxime convenire. — Nam non solum, quae in Chronico Normanniae desunt, eadem in Sigiberti quoque Continuatione plerumque vel immutantur vel omittuntur,[1]) sed etiam pauca illa, quibus textus Chronici Normanniae cum d'Acheriano collatus abundat, in Continuatione reperiuntur; scil. verba Chronici ad an. 1156. pag. 992. lin. 11. infer. post: civitas caput regni: *insulae Gerp (Gerx)* quae in Roberto ad anno 1157. eodem loco desunt, in Append. ad an. 1158. pag. 888. lin. 2. infer. leguntur; eadem est ratio verbi: *semilaicum*: inter quendam: et: Robertum Grossum: eodem anno ap. Chesn. pag. 993. lin. 2. ap. Struv. pag. 889. lin. 14. — Anno 1165. Chronico post: funditus

1) Pauca sunt excipienda, quorum gravissimum est: quod Continuator locum textus d'Acheriani et Bouquetiani ad an. 1155.: Octavo decimo calendas Maji feria quinta, etiam ap. montem sancti Michaelis, terraemotum *sensimus* ante solis ortum: pro quo ap. Chesnium pag. 991. ad an. 1154. XVIII. Cal. — Michaelis terraemotus *factus est* ante solis ortum; non secundum hunc sed sec. text. integrum recepit ad an. 1156. Nonnulla etiam, quae ap. Chesnium desunt, sicut illud text. integr. ad an. 1155. (1156.) Mortuus est Balduinus de Redivers, et successit Richardus filius ejus: et locus text. integr. ad an. 1161. (1162.) pag. 896. coll. cum Chesn. ad an. 1160. pag. 997.): aulam et cameras ante turrem Rothomagi nihilominus renovavit, et non solum in Normannia, id etiam in regno Angliae, ducatu Aquitaniae, comitatu Andegaviae, Cenomanniae, Turonensi castella, mansiones regias, vel nova aedificavit vel vetera emendavit — apud eum inveniuntur; neque raro singula verba, quae in textu Chesnii negligentia vel omittuntur vel mutilantur, ei cum textu integro communia sunt, quamvis et exempla afferri possint, Chesnium cum textu integro et Bonq. in quibusdam verbis quae in textu Sig. veteri desunt, afferendis consentire. Omnino vero e collatione id concludi posse videtur, Sigiberti continuatorem eandem redactionem Roberti usque ad an. 1168., majori tamen cura descriptam, ante oculos habuisse.

delevit pag. 1000. lin. 14. infer. eodem loco, quo ap. Robertum ipsum an. 1166.: *facto connubio*: *Inde pro- (prae) locuto quodam imaginario* connubio: quod et ipsum in Continuationis anno 1167. pag. 901. lin, 22 — 23. recurrit. —

Atque hoc argumento probari potest, Continuatorem usque ad an. 1170. talem Roberti redactionem secutum esse, quod ab hoc anno, more suo notitias omittendi posthabito, Roberti annales integros — si quidem paucissima scribarum negligentia omissa [1]) et addita quaedam [2]) exceperis — atque usque ad locum, quo Codex S. Michaelis finitur, cum illo fere consentientes recepit. [3]) —

Qualis et unde fuerit hujus compagis auctor, ipse satis luculenter indicavit. Nam, quod apud d'Acherium aeque, atque apud Chesnium deest, ad an. 1159. recepit, [4]) scil.

anno ab inc. Dom. 1157. 15. cal. Julii processit conventus cum abbate suo Richardo de Blosevilla a Mortuo-mari, *missus a Domino Stephano tunc abbate Mortui-maris* et venit in *hunc* locum, qui dicitur *Botum*, situm in territorio Rothomagensi. Multis namque precibus Mathildis imperatrix filia magni Henrici, regis Angliae et mater illustris Henrici regis Angliae *a praedicto Stephano abbate Mortui-maris* obtinuit, ut conventus inde mitteretur ad construendam abbatiam *Cisterciensis ordinis* ad laudem et honorem Dei, et beatae Mariae omniumque Sanctorum:

se ipsum igitur monasterium S. Mariae de Voto, sive Vallis-Ascii in dioecesi Rothomagensi inhabitasse [4]) confitetur; ad an. 1165. Chronico Normanniae Gualerannum comitem Mellenti obiisse, eumque ecclesiae beatae Mariae de Voto multa contulisse addit, [5]) ad an. 1181. accuratam dedicationis hujus ecclesiae narrationem Roberto intrudit. [6]) — Ex qua quidem ejus sede clarum est, unde continuationem

1) sic an. 1171. pag. 908. lin. 27, post Roberti comitis Cloecestriae, quae ap. Rob. an. 1170.: Amauricus primogenitus filius Simonis Comitis Ebroicensis jussu et voluntate Henrici Regis Angliae duxit primogenitam filiam Roberti Comitis Gloecestriae: ad an. 1174. pag. 914. lin. 29. post Edmundi Regis et Martyris . . . . quod non licuit alicui impune: ad an. 1176. pag. 917. lin. 30. post: Vestmonasterii: De quibusdam minutioribus Abbatibus taceamus.

2) sic loco Rob. an. 1168: Fiscanense monasterium combustum est: omisso ad an. 1170. additur: Combusta est Fiscanensis ecclesia IV. cal. Julii quarta feria post octavas Pentecostes: ad an. 1182. pag. 929. lin. 2. post: Amalricus filius ejus: addit: et in comitatu de Roca, et in terra Franciae Simon alter filius ejus.

3) l. c. pag. 890. cf. Bouq. XIII. pag. 333. Not. d.

4) cujus origines cf. ap. Rob. ad an. 1167. Hist. Mortui-maris ap. Bouq. XIV. pag. 512. Gall. Christ. XI. pag. 313. (diversum ab illo prope Caesarisburgum de quo ibid. XI. pag. 940 — 942. Robertum ad an. 1184.)

5) l. c. pag. 900. Obiit — redditibus.

6) l. c. pag. 926. Anno Verbi — 27.

Sigiberti Ursicampinam cognosceret, cum et abbatia ipsius esset ordinis Cisterciensis, atque profecta a monasterio Mortui-Maris, quod arctissimo cum Ursicampo vinculo conjunctum esse jam pro explorato habemus. —

Cod. Reg. Paris. 4992.

Mentionem fecimus Cod. Reg. Paris. 4992. inter eos, quibus Editores script. rer. Francogall. in edendo Roberto usi sunt, atque quam in ratione, quae inter eum et Cod. 4861. intercedat, definienda vacillent, indicavimus. In eo etiam Appendicem Roberti ab anno 1182—1186. exstare Vir Rev. Jos. Brial docet,[1]) cum in Catal. Bibl. Reg. Paris. Tom. IV. pag. 27. saec. XII. esse dicatur, in quo Sigiberti Annales a Rob. de Monte usque ad an. 1150. ab Anonymo usque ad an. 1181. prolati sint. Eum cum hoc genere Roberti, quale in Continuatione textus veteris ab an. 1155—1186. exstat, cohaerere, eo probatur, quod ad an. 1166. loc. sup. cit. etiam lectionem: *inde prolocuto quodam imaginario connubio:* affert,[2]) et ad an. 1169. loc. supr. cit. eandem illam notitiam „Combusta est Fiscanensis Ecclesia XIV. cal. Julii, quarta feria post Octavam Pentecostes" qua continuatio Sigiberti abundat,[3]) Roberti annalibus addit. Accedit, quod inter Additamenta ad Sig. et Rob., quae ex eodem Cod. 4992. Editores script. rer. Francogall. Tom. XI. pag. 636. ediderunt cum locis qui re vera vel Sigiberto[4]) vel Roberto[5]) debentur, ille textus veteris ad an. 1067. de ecclesia prope Bellovacum per Guidonem Episcopum aedificata,[6]) qui haud dubie Continuatori Ursicampino adscribendus est, deprehenditur. — Quo etiam codice diligenter inspecto, verisimile est mirae illi text. vet. compositioni nonnihil lucis allatum iri.

Denique priusquam a variis his annalium Roberti re-

---

1) cf. Bouq. XVIII. 334.

2) vid. ap. Bouq. XIII. 310. not. a.

3) cf. loc. cit. pag. 313. Not. a. sup. pag. 401. Not. 2. Legit porro in textu Roberti ad an. 1166.: quadriennium (pag. 309. not. a.) eodem modo ac in Chronico ad an. 1165. pag. 1000. lin. 28. ap. Struv. pag. 901. lin. 4. cum in textu d'Acherii: quinquennium: — In textu Bouq. XIII. pag. 299. etiam illud: *semilnicum*: (vid. pag. 400.) et pag. 325. ad an. 1181. etiam locus ille: et in Comitatu — filius ejus de quo pag. 401. not. 2.) invenitur — nescio ex quo fonte.

4) cf. ad an. 1061. 1062. 1067. 1068.

5) cf. ad an. 1033. 1038.

6) His temporibus — Belvacae urbis: de quo infr. omisso solum: *et a Gervasio Remensi metropolitano consecratur.*

censionibus discedamus, de singulorum horum codicum chronologia pauca addamus.

Editiones d'Acherii et Bouquetiana usque ad an. 1138. eadem res inter singulos annos digerendi ratione progrediuntur; eo loco, quo hic annus in utroque incipit (*Stephanus Rex Anglorum in Natali obsedit Bedefort*) textus Chesnianus accedens in fronte gerit an. 1139. uno igitur a textu vulgari discedit, cum vero etiam ea, quae Robertus (ap. d'Acher. et Bouq.) a loco *Rex Anglorum Stephanus post Natale castellum de Slede cepit obsidione:* an. 1139. subscribit eodem anno adjiciat, discrimen mox evanescere videtur. — In textu d'Acherii ad locum anni 1139. pag. 760. „*Stephanus Rex fugavit Nigellum Episcopum Heliensem de Episcopatu suo*" annotatur, in cod. Gemeticensi hoc loco poni annum 1140., et augeri annos Imperatorum et Regum, ita ut loco, quo in Codice S. Michaelis (pag. 761.) annus 1140. incipiat: *Rex Stephanus Lincoliae Urbem infra Natalem obsedit:* annus 1141. praeponatur, et ita annorum ordo pergat. In quo cum textu Bouquetii non solum consentire[1]) videtur sed hoc etiam fontis auctoritate confirmatur, Henrico scil. Huntindonensi, quippe qui Stephanum Regem anno regni quarto post Natale castellum de Slede cepisse obsidione, anno quinto fugasse Nigellum Episcopum Eliensem, anno sexto Lincoliae urbem infra Natale obsedisse tradat.[2]) — Solum textus Chesnianus demum cum loco: *Rex Stephanus Lincoliae urbem infra Natale obsedit:* annum 1140. iniit, atque, dum Bouquetius a Codice S. Michaelis anno uno discedit. cum hoc consentit. Idque quidem usque ad an. 1147.; cum vero ea, quae ap. Robertum d'Acherianum an. 1147. et 1148. adscribuntur, in excerptis Bouq. anno tantum 1148. contineantur, anno 1149. hi iterum ab eisdem verbis incipiunt (Obiit sanctae recordationis domnus Letardus etc.) Chesnianus vero, suo mori constans ab iisdem demum annum 1148. exorditur. — Quae vero in anno Roberti d'Acheriani 1149., textus Bouquetianus pag. 292. a loco: Fuit hyems maxima — Corbeiae: an. 1150. ponit, iis Chesnianus, quamvis in anni numero discrepans, ordine tamen proximus, annum 1149. subscribit, unde an. 1150. ap. Chesnium et d'Acherium iisdem verbis (*Tebaldus Comes Blesensis* etc.) quibus ap. Bouq. annus 1151. incipit. Porro (si minora posthabemus discrimina) omnia, quae ap. d'Acherium ad an. 1153. et 1154. ap. Bouquet. ad an. 1154. ap. Chesnium ad an. 1153.

---

1) cf, pag. 289. cum not. a.

2) cf. lib. VIII. loc. cit. fol. 223. 1—2.

leguntur unde, ordine iterum mire converso, ab iisdem verbis *(Rex Henricus coepit revocare)* quibus ap. Chesn. annus 1154. ap. d'Acher. et Bouq. annus 1155. incipit. Accesserat vero an. 1154. Roberti a loco: *Moritur etiam Gillebertus*[1]) textus Sigiberti vetus, praescripto anno 1155 , qui porro in verbis modo citatis annum 1156. exorditur, atque a d'Acherio et Bouquetio uno, a Chesnio duobus discedit annis, quo fit, ut dictum Chesnii ultimum: *perierunt* (vid. sup. pag. 398.) ad an. 1168. in textu veteri ad an. 1170. apud d'Acherium ad an. 1169. legatur. — Iterum — si minuta quaedam silentio transmittere licet — ab an. 1176. ordo chronologicus variat; nam, quae d'Acherius a verbis: *Nix et gelu* ad an. 1176. affert, etiam in textu veteri eidem anno adjecta sunt, ita ut uterque annum 1177. iisdem verbis incipiat; *(In septimana Pentecostes)* contra ap. Bouq. ea, quae ap. d'Acherium an. 1177. usque ad: *Jacobus habuerat in Anglia* leguntur, etiam anno 1176 sunt adjecta. annus quidem 1178. ap. Bouq. iisdem verbis: *Rex Henricus senior*, quibus ap. d'Acherium et text. vet. incipit, pergit tamen usque ad locum anni 1179. ap. d'Ach. et text. vet. *monuchus ejusdem loci.* — Porro omnia, quae in utroque textu annis 1180. 1181. adscribuntur, ap. Bouq. ad an. 1179. 1180. exstant; quae d'Acherius an. 1182. adscribit (scil. a verbis: *Henricus senior Rex Anglorum, tenuit curiam suam in Natali Andegavis:*) quibus deest notitia anni in ed. princ. fol. 154. ap. Struv. l. c. pag. 928. ap. Bouq. ad an. 1181. exstant. — Quae post locum *divitias regis Angliae:* alia manu in Codice S. Michaelis, digesta ap. d'Acherium iterum an. 1182. adscripta sunt a verbis: *Rex Henricus tenuit curiam apud Cadomum et prohibuit* (quibus ap. Struv. tantum pag, 933. non tamen in edit. princ. fol. 157. deest notitia an. 1182.) in Bouquet XVIII. pag. 331 — in textu quidem prorsus omisso an. 1182. et bis repetito signo an 1181.[2]) — an. 1183. submissa sunt. — Inde locus, quo ap. d'Ach. et in textu veteri an. 1183. incipit: *Rex Henricus tenuit curiam suam apud Cadomum* deest ap. Bouq. atque cum in eo an. 1183. usque ad verba: *possessionis vir:* pergat, omnes tres textus iisdem verbis: *Rex Henricus tenuit curiam suam apud Cenomanensem:* an. 1184. exordiuntur; tum deest ap. d'Acherium et Bouq. notitia anni 1185., praescripta loco: *Petrus Girardus* etc. in textu Sigib. veteri ap. Struv. pag. 935. ita ut d'Acherius in anno 1184. abrumpatur;[3]) contra ap. Bouq. anno 1185.

1) vide supra pag. 400.
2) cf. tamen ad marg. pag. 325—326.
3) vide supra. pag. 394.

iterum omisso, loco: *Domnus Henricus Rex tenuit curiam suam ad Natale apud Domnum-frontem:* praescriptum esse annum 1186 jam diximus.[1])

Inde quae adhuc novo Roberti editori digerenda restant, et quanta igitur diligentiae virorum Francogalliae et Angliae doctorum relicta sint, patet; accedit, quod variae lectiones in quatuor textibus innumerae, nomina propria modo in hoc, modo in illo ita depravata, ut vix cognosci possint, inveniuntur.[2]) —

6. *Appendix Gemeticensis ab anno* 1187 – 1210.

Ultimam denique partem fasciculi illius, qui in editione principe cum Sigiberto editus est, inde ab an. 1187 ad an. 1210 ab anonymo quodam monacho Gemeticensi adnexam esse jam aliorum testimoniis usi demonstravimus.[3]) Id quod primo statim obtutu confirmatur, cum notitiis de rebus Anglorum, Francorum et Germanorum satis jejune et breviter enarratis tot rerum monasterii et ecclesiae Gemeticensis commemorationes scil. ad an. 1190. 1191. 1198. 1200. 1201. 1203. sint admixtae.[4])

7. *Codex Reginae Sueciae. Nr.* 322.

Editores script. rer. Francogall. Tom. XIII. pag. 300. in notis ad Excerpta e Roberto de Monte e cod. ms. Reginae Sueciae 322. inter Miscellanea Durandi (Tom. II.) in Biblioth. S. German. Prat. fol. 16. edunt annales ad 1158. 1159.

---

1) vid. sup. pag. 395.

2) Nomina propria, quae ap. Bouq. saepe uncis inclusa adjiciuntur. cf. ad an. 1136. 1140. 1143. 1149. etc. haud dubie non e codd. translata, sed ab editoribus ad explicandum Robertum addita sunt. Interdum etiam singulorum codd. lectiones afferuntur, sic cod. 4992.: pag. 287 *b.* ad an. 1135. cod. 4861. pag. 307 *a* ad an. 1163.; pag. 309 *b.* ad an. 1166.; pag. 323 *a.* ad an. 1179.

3) cf. loc. pag. 365. not. cit.. non tamen ab anno 1184., sed ab anno 1187. Factum est praelium ap. Struv. pag. 937—942. ap. Bouq. XVIII. pag. 338—343.

4) Chronicon Mortui-Maris Continuatorem Sigib usque ad an. 1155. sequi supra pag. 369—371. diximus, quod iis, quae sequuntur, pro brevitate sua vix connectionis quidquam cum ipso Roberto contineri intelleximus; itaque non possumus, quin etiam locos ejus Chronici qui cum Chronico Gemeticensi quadam affinitatis ratione uti videri possint, scil. ad an. 1191.: Capta est insula Cypri a Richardo, et postea Accaron a duobus regibus. Rediit rex Philippus (cum Append. ad an. 1192.) et loc. an. 1192. Rex — traditus est (cum App. 1193.) non inde fluxisse, sed, cum ad res universalis historiae illius aetatis gravissimas atque notissimas pertineant, ab utroque aequali auctore simili modo enarratas esse statuamus. —

1160. discrepantes a textu Roberti vulgari, cujus narrationes cum interdum decurtatas afferant, in plerisque tamen amplificatas reddunt. — Referunt iidem Tomo XVIII. Coll. script. Francogall. pag. 336. not. a. ad an. 1183. ad locum continuationis germanae Roberti: *Obiit carissimus dominus noster Rotrodus Archiepiscopus Rothomagensis*, in eodem codice [1]) additum esse: *V. Cal. Decembris*, atque anno 1198. pro notitia Appendicis Gemeticensis: (Eodem — fuit): *Rex Richardus celebrationi Pentecostes Gemetico fuit:* unde eum etiam hos annales Gemeticenses complecti perspicuum esse videtur. — Accedit, quod in eodem codice breve Chronicon Gemeticense pergens usque ad an. 1213. exstat, [2]) cujus nonnulla fragmenta ab an. 1035 — 1037. Tom. XI. pag. 386. [3]) ab anno 1062 — 1178. Tom. XII. pag. 775. edita sunt.

8. *Epitome Roberti de Monte et Continuationis Gemeticensis cum Appendice usque ad an.* 1239. *in Cod. S. Victor. Paris.* 419.

Coll. script. rer. Francogall. Tom. XVIII. pag. 334. in Cod. S. Vict. Paris. 419. eodem, e quo Chronicon illud Normanniae cum Appendice usque ad an. 1259. editum est, exstare Robertum de Monte et Pistorianum ejus continuatorem (i. e. Gemeticensem) in compendium ab anonymo quodam redactos, cujus opus pergeret ab an. 1087 — 1239. Excerpta ex hoc opere usque ad an. 1180. procul dubio jam edita in Script. Tom. XII. pag. 786 — 788. sub titulo „Ex brevi Chronico Ducum Normanniae ab an. 1087 — 1239. ex Ms. Cod. S. Victoris Paris. Nr. 4.9. fol. 168." inter quae dubium non est, quin multa sint e Roberti excerpta et aliis verbis reddita, nonnulla aliunde adjecta. [4]) Excerptum totum usque ad an. 1210. quinque foliis absolutum esse videtur; pars vero ab anno 1180. a Continuatoribus Script. omissa atque solum

---

1) scil. in codice Reginae Sueciae, in quo *breve Chronicon Gemeticense*, de quo supr.

2) cf. Bouq. Tom. XII. pag. 775. not.

3) scil. Chron. Rothomagensi inserta cf. etiam X. pag. 317. — cf. loc. ad an. 1037. Robertus — Malgerius nepos ejus: cum Access. Roberti ad an. 1035 et 1037.

4) Sic ad an. 1173. narrationi de poenis, Roberto Comiti Lecestrensi inflictis (l. c. pag. 788. coll. cum an. 1174. ap. Struv. pag. 914.) additur: Hi autem fuerunt Regis fideles qui cuneum inimicorum contriverunt, Guilelmus Comes Bristoliae, Willelmus Comes Arundellae, Humfridus de Bohonio, Walterus filius Roberti, Rogerus Bigotus filius Hugonis, Thomas Badulfus cum multis aliis.

Appendix ab anno 1210—1239 ex Ms. Codicis fol. 173. et seqq. quippe quae plures nuncios haud spernendos de rebus aetatis illius afferat, edita est. XVIII. 343—345. — Ceterum Codicis ipsius in Coll. script. rer. Francogall. plurimis locis mentio est. Sic in eo exstare annotatur: *Abbreviatio Gestorum Franciae Regum ab Origine Regni ad annum Christi* 1137. cujus excerpta cum Hugone Floriacensi saepe consona dantur VI. 238. VII. 255. X. 226. XI. 213. XII. 67; iterum: *Historia reg. Francorum ab origine Francorum usque ad an.* 1214. cujus excerpta dantur X. 277. XI. 319. atque ex libro III. XII. pag. 217.; deinde *Abrégé de l'Histoire des Rois de France* usque ad Philippum VI. lingua Gallica scriptum, cujus exstant excerpta X. 313. XI. 386. XII. 228. — Accedit, quod in Script. Tom. XI. Append. pag. 621. loc. jam supr. cit. Cod. Victor. Paris. 419. inter eos laudatur, in quibus Guil. Gemeticensis opus genuinum, nullisque additamentis et interpolationibus Roberti de Monte ampliatum invenitur, atque secundum illum plura in textu Guilelmi Chesniano cum emendantur et adduntur, tum maxime expunguntur, quin etiam is saec. XI. vel ineunte saec. XII. vel saec. XIII. scriptus esse praedicatur,[1] cum Coll. Tom. XII. pag. 786. not. a. — quod quidem operibus in eo contentis magis congruum est — „saeculo XV. exaratus esse videri atque mendis scatere vitio amanuensis"[2]) perhibeatur. — Qui Codex, quo plura ad Roberti textum et fontes pertinentia continet, quoque propter hoc majoris ad historiam continuationum Sigiberti explanandam,[3]) momenti est, eo videtur aptius, doctos historiae scrutatores monere, ut critico eum ingenio denuo perlustrent.

9. *Continuatio Roberti usque ad an.* 1215.

Postremum liceat hoc loco annotare notitiam Codicis Bibl. Reg. Londinensis membr. saec. XIII. (King's library. 13. E. VI.)[4]) in quo post Seriem causae inter Regem et Thomam Becket, et Radulphi de Diceto Decani London. Abbreviationes Chronicorum ab Adam, usque ad A. D. 1147. exstant:

---

1) vide l. c. Tom. XI. pag. XIV. pag. 621—630. inprim. pag. 623. et 626. not. a. et pag. 631. not. a.

2) vide supr. pag. 399. not. 6.

3) Vel propter hoc, quod inde integrum aliquando Robertum cum Appendice Gemeticensi vere extitisse fortasse demonstrari possit.

4) cf. catalog. auctore Casley supr. cit. pag. 227. Archiv VII. 536.

Continuationes Chronicorum Roberti Abbatis S. Michaelis de Monte usque ad A. D. 1200. *quae continuantur alia manu usque ad A. D.* 1215.

Haec (ab an. 1200 — 15) esse auctoris aequalis atque inter ea esse notitiam rerum Germanicarum unam, ad an. 1209:

Otto nepos Johannis regis Angliae electus in Romanum imperatorem consecratus est a Domino papa Innocencio III. Rome quarto Nonas Octobris:

Pertzius, codice ipso inspecto, annotavit. —

II. DESCRIPTORUM NONNULLORUM CATALOGUS.

A. DESCRIPTORES CHRONICI SIGIBERTANI PURI.

1. *Tractatus de investitura Episcoporum et Abbatum, pro juribus Imperatoris et Regum (auctore quodam clerico dioeceseos Coloniensis).*

Cum primum ii descriptores, qui Sigiberti Chronicon nulla continuatione auctum legerint, enumerandi sint, inter eos libellus quidam politicus dubiae originis primum locum tenet, quippe qui propter singularem, quae ei cum Sigiberto nostro similitudo est, majori cura nostra egeat. — Edidit eum primum Schardius in Sylloge historico-politica [1]) sub nomine Waltrami Numburgensis [2]) Episcopi eumque etiam recudi fecit Goldastus in Apologiis pro Henrico IV. [3]) Nostris diebus eum, singulis quibusdam lectionibus et in ordine nonnullorum locorum discrepantem, e codice Bambergensi (Q. VI. 31. Saec. XII.) edidit V. D. Kunstmann [4]), ex quo etiam quaedam capita attulit ab auctore in fine

---

1) vide supra pag. 192.

2) de quo supra pag. 189.

3) pag. 226 — 232.

4) Tübinger theologische Quartalschrift. 1837. pag. 186 — 197. de cod. sup. pag. 45. lection. variar. vide infr. quaedam exempla. Ordo eo variat, quod in textu veteri locum: *id est, si intentio bona est, et opus bonum est*: ap. Gold. pag 231. lin. 2. sequatur statim: *Si Romani Pontifices* — lin. 24. *agere debemus*, cum in Cod. Bamberg. post lectionem: idem, si intentio et opus: intrudantur argumenta historica: Notandum est (ap. Goldast. l. c. pag. 231. lin. 25.) et pergat libellus usque ad ultimum editionis veteris locum (cf. pag. 195.), tum vero subnectatur locus ille: Si Romani Pontifices — agere debemus.

libelli proposita, in quibus ipsum se clericum archiepiscopi Coloniensis jurisdictioni subjectum fuisse testatum esse editor eo majori jure concludit, [1]) quo minus Waltramum auctorem fuisse, argumentis certis demonstrari potest. [2]) In alio codice Bambergensi (P. I. 9. Nr. 64. Saec. XII. [3]) — non minus tamen ut videtur, his capitibus, atque nonnullis, quae textui veteri et codici Q. VI. 31. communia sunt carentem [4]) exstare docuit V. D. Knust. — Hoc ipsi propositum est, ut Imperatoribus Romanis summum regimen Ecclesiae atque inprimis jus investiturae Episcoporum et Abbatum vindicet; quam doctrinam cum argumentis quibusdam ex sacrae scripturae et patrum locis petitis confirmare simulque eorum gravitate mores Ecclesiae Pontificalis corruptos notare et corrigere, tum maxime pluribus exemplis ex historia depromptis majorem Imperatorem auctoritatem stabilire studet. — Non hic locus est, ut scriptoris ingenium collaudem, vel libelli consilium pluribus prosequar. Sufficiat hoc ejus dictum apposuisse:

Legitur etiam de Episcopis Hispaniae, Scotiae Angliae Ungariae, quomodo ex antiqua institutione usque ad modernam novitatem per Reges introierint cum pace temporalium pure et integre. Qui pacifice sollicitus est, revolvat vitas Patrum et historias legat et intelligat. *Sed Episcopatus, qui sub Romano degunt Imperio, majoribus fundis et amplioribus vigent justiciis: et ideo propter majus scandalum a stola Petri discretius tractandi sunt. etc.*

quo demonstrem eum singularem imperii Germanici condicionem et veram discordiarum causam probabiliter perspectas habuisse. Circa finem ipse „annum praesentem (scil. quo

---

Qui utrumque textum contulerit, non poterit, quin editionis veteris ordinem praeferat.

1) scil. Cap. IV, l. c. pag. 197. Quomodo sit suscipiendum, quod pontifex Romanus subjectos archiepiscopi Coloniensis suspendit etc. Sicut pontifex Romanus a coloniensi archiepiscopo debitam exigit subjectionem, ita coloniensis archiepiscopus exigit a romano praesule ut in regiminis sui jure servet ei canonicum correctionis ordinem.

2) Num testimonium Benedicti Taube, monachi S. Georgii Numburgensis saec. XVI. in chronico ms. auctorem tractatus fuisse Conradum Comitem Rochlitiensem et Abbatem S. Georgii Numburgensem, eumque Waltramo dedicasse, referentis (cf. Kunstmann Tübinger theol. Quartalschr. 1838. pag. 348.) fidem mereatur, dubito.

3) de quo cf. pag. 45. et 192. supr.

4) cf. eadem accuratius distincta Archiv VII. 824; ex his alia haud dubie superflua esse, alia vero deesse non posse, nisi ut simul argumentorum vis turbetur atque imminuatur non est, qui non intelligat.

scripsit) esse 1109." ait, recte addens, eodem esse ultimum Pascha, VII. Cal. Maji.[1])

Nihilominus Sigiberti Chronicon ab auctore non solum adhibitum, sed omnibus fere argumentis historicis substructum esse manifestum est. Statim enim in exordio modum, quo imperium a Graecis ad Francos translatum sit, exponens, locos ejus ad an. 776. 781. 790. 798. 801[2]) descripsit; versus finem de discordiis cleri et populi Romani in electione Pontificis quaedam „ex Graecis legi" testatus, locum Chronici ad an. 420. de electione Bonifacii recepit[3]), atque Romanorum civium ambitionem per Imperatores esse adnihilatam „ex Francis legi" addens, locos ejusdem ad an 963.[4]) et ad an. 1045. et 1046. de Joannis XII. et Benedicti V. et Leonis VIII., et de trium paparum ab Henrico III. depositorum rebus, et de electione Clementis II. transtulit.[5]) — Idem opus scriptori ante oculos versatum esse videtur, ubi episcopos a regibus Merovaeis investitos enumerat,[6]) ubi Joannem Papam investituram Leodiensis Episcopatus, a Carolo (Simplice) factam confirmasse dicit,[7]) idem, ubi Agapetum et Joannem a Graecis Imperatoribus male, Stephanum et Leonem ab Imperatoribus Francorum optime habitos esse

---

1) scil. in textu Kunstmannii l. c. pag. 195. Textus vetus hoc loco mutilatus est. Erat an. 1109. VIII. cycli decennovennalis; luna XIV. mensis vernalis incidit in diem dominicam, XVIII. Aprilis.

2) cf. Leo — Romanorum cum Sig. 776. Post quem — annis decem cum Sig. 781. (addita notitia „Irenen esse filiam Cajani Avarum i. e. Hunnorum Regis.") Verum Constantinus — imperavit cum an. 790; Hyrene — imperavit. cum an. 798; Romani — appellantes cum an. 801. quae omnia quidem in Cod. Bamb. P. I. 9. Nr. 64. desunt. Quae tamen in libello sequuntur, eo habitu, quo in Codice hoc (Archiv VII. 824.) et in Cod. VI. 31. (pag. 186. lin. 2. infer. pag. 187. lin. 4.): Igitur — evolutis: inveniuntur, adhuc propius ad Sigibertum accedunt, quam locus mutilus ap. Goldast. pag. 226. infr.

3) cf. ap. Goldast. pag. 231. Kunstmann. pag. 194.

4) cf. ap. Goldast. pag. 232. Kunstmann. pag. 194.

5) ap. Gold. pag. 232. Kunstmann. pag. 194 — 195. qui recte: *item*: pro insana lectione Goldasti *idem*. Locum plane congruere cum textu Miraei vide infra. In utroque Codice Bambergensi post: qui et Clemens: deest illud: vocatus est: (ap. Gold. lin. 17.) unde locus ad Sigibertum propius accedit.

6) cf. ap. Gold. pag. 229. cum Sig. ad an. 633. 691. 697. etc. — cf. ibid. Unxit etc. cum Sig. 752.

7) cf. pag. 227. cum Sig. ad an. 921. In libello plura additamenta: Richarium fuisse Abbatem Prumiensem (cf. Anselm. Cap. XIX. Fulcvin Cap. XIX. loc. cit. Gislebertum „comitem de Capremonte;" Joannem Hilduini invasionem anathemate damnasse."

legi affert.[1]) — Accedit, quod auctor etiam epistolam Sigiberti contra Paschalem Papam legisse videtur, neque raro iisdem phrasibus atque locis scripturae et patrum utitur.[2]) — Cum porro Leodiensis quoque ecclesia ad Coloniensem archiepiscopatum pertineat, cumque hic libellus in Codice Bambergensi P. I. 9. libellum Sigiberti presse sequatur, non absonum videri possit statuere, ipsum hujus quoque esse auctorem. — Quod cum primum nobis se quadam veritatis specie commendare videretur, re tamen diligentius perpensitata, non possumus quin refutemus. Nam cum in universum id objici possit, a Sigib. libellum hunc non in operum suorum catalogo enumerari tum maxime hoc offendit, quod auctor argumento principali, quo jus investiturae imperatoribus vindicari posset, fictitio scil. illo decreto Adriani[3]) citando a simplici ratione, qua illud Sigibertus in Chronico ad an. 773. emittit, devians ad diploma illud Leonis VIII. et ipsum fictitium atque antecessoris decreto affirmando inserviens aberrasse videtur,[4]) atque hoc quidem amplificato, addit:

---

1) cf. pag. 231. cum Sig. ad an. 523. 533. (locorum vero sensu, ut fit, inique adhibito) 752. 799. Desunt haec in Cod. Bamberg. P. I. 9. Nr. 64.

2) Nonnulla afferam exempla: cf. pag. 229. supr. illud: Reddite Caesari cum epist. l. c. pag. 194. pag. 196. cf. pag. 230. locum illum Gregorii M. de rebus Longobardorum supr. pag. 184. not. 1., cf. pag. 231. Jesum ipsum non moleste tulisse reprehendi cum Epist. pag. 197. infr., pag. 251. nos (secundum Paulum) in potestatum superiorum pace tranquillam vitam agere debere: cum Epistol. pag. 199.; pag. 231.: Reges, si in Episcoporum investituris excesserint, posse *a timoratis viris et Pontifice Romano argui* cum Ep. pag. 197. supr. Etiam capita illa, in codice Bamb. VI. 31. adnexa consentiunt cum eis, quae Sig. in Epistola de ordine legitimo potestatum ecclesiasticarum effatus est. pag. 197.

3) de quo supr. pag. 44—48.

4) cf. Leonis VIII. Privilegium de investituris apud Pertz. Mon. IV. 2. pag. 166. et not. ibid. locum Ivonis (Pannormia VIII. 135.) Apud Ivonem l. c. de Leone: concedimus atque largimur domno Ottoni primo regi Teutonicorum *ejusque successoribus hujus regni Italiae in perpetuum*, quod etiam in diplomate ampliori e Cod. Vatic. 1984. ap. Pertz. l. c. pag. 167. apud Theodericum de Niem e codice Florentino et in codice Bambergensi Q. VI. 31. ap. Kunstmann. loc. supr. cit. occurrit, neque minus in Tractatu nostro l. c. pag. 227. hoc modo redditur: et Adrianus Papa . . . . Carolo Magno *ejusque successoribus futuris Imperatoribus* sub anathemate concessit, cum tamen hoc de successoribus additamentum apud Ivonem Pan. VIII. 134. et in textibus decreti Adriani apud Theodericum de Niem et Cod. Bamberg. desit. — Porro ap. Ivonem l. c. de Leone: „Ac per hoc archiepiscopos seu episcopos ut ab ipso investituram accipiant, consecrationem autem unde debent: *exceptis his, quos im-*

Ex hoc constituto Carolus Magnus Aistulfum.[1]) Desiderium aliosque Reges et Tyrannos bello caede et exilio delevit, qui fundos et bona Ecclesiae Romanae aliarumque Ecclesiarum invaserant, omnia reddens libertati: quod utrumque Sigibertum commisisse vix credere possumus.[2]) Igitur magis suaderi videtur opinio libellum esse sive amici sive discipuli Sigiberti, dioecesi Coloniensi adscripti, qui acersimo studio, etsi non pari ubique successu ac animi probitate imperatoris jura defenderit. — Studio quodam legit epistolam Sigiberti pro Leodiensibus; Chronici perlustrandi ei fortasse oblata occasio, antequam id in publicum emitteretur. Unde factum est, ut descriptor operi suo anni numerum praefigeret, qui ipsius auctoris scriptum tribus annis praecurreret.

2. *Ekkehardus Uraugiensis.*

V. D. Waitz in Commentationis de Chronici Urspergensis prima parte, ejus auctore fontibus et apud posteros auctoritate Specimine,[3]) quam non integram praelo submissam esse cum multis dolemus, inter fontes Ekkehardi etiam Sigibertum recensuit, neque difficile videtur in textu ejus edito (Ed. Argentorat. 1609.) quaedam etsi dispersa deprehendere vestigia. cf. e. g. l. c. pag. 163. an. 993. „In Burgundia Udelo (Odilo) ex clerico Brivatensi monachum professus, in Cluniacensi coenobio praeficitur. ad an. 995. Heribertus Coloniensium archiepiscopus ordinatus multa sanctitate claret. cum Sig. ad an 993. 997.

Ekkehardum non longiores rerum enarrationes e Sig. desumpsisse, nunc quidem, historia omnium ejus operum a VV. DD. Pertz et Waitz e codicibus elucubrata[4]) lectores periti non mirabuntur.

Erat enim Ekkehardus Sigiberto aequalis; primum etiam opus historicum, Chronicon mundi usque ad an. 1106. jam

---

perator pontifici et archiepiscopis concessit. quod et simili modo in textibus diplomatis Leonis supr. cit. occurrit, et in Tractatu nostro ita amplificatur: pag. 227.: *exceptis quos Papa Romanus investire et consecrare debet ex antiquo dono Regum et Imperatorum, cum aliis quae vocantur regalia, id est, a Regibus et Imperatoribus data Pontificibus Romanis in fundis et reditibus*: quamvis haec clausula nullo verbo in textibus decreti Adriani inveniatur.

1) Sig. in Chron. Aistulfum jam an. 756. obiisse perhibet.

2) Etiam Sigibertum non credam dixisse in Stephano Papa cerni, Imperatores Francorum Pontifices semper honeste habuisse. cf. pag. 411. not. 1.

3) Berolini. 1836. 4. pag. 19.

4) cf. Archiv VII. pag. 469 — 509.

inter annos 1098. et 1101. et an. 1106. conscripsit,[1]) in quo etiam Sigiberti locorum vestigia non exstare videntur. Hoc in nonnullis immutandum atque continuandum jam anno 1105. vel 1106. suscepisse videtur,[2]) atque huic demum operi, pluribus annis post, cum Sigiberti Chronicon emissum esset, nonnulla ex eodem intrusisse putandus est;[3]) pergit haec redactio usque ad an. 1125. — Huic generi adscribunt VV. DD. Waitz et Pertz Codicem Parisiensem Nr. 4889. A. quem quidem paulo serius conscriptum esse existimant[4]) eique simillimus esse videtur Havelbergensis, nonnullis annis ante a V. D. Riedel detectus.[5]) — Quem cum primis tantum labris degustare liceret, in eo plures locos, qui in editione non exstant, e Sig. receptos cognovimus, scil. an. 821. Paschalis — transtulit[6]) an. 821. Inter cetera munera — sanatis[7]) an. 827. Amularius — scribit. — Angelomus — edidit[8]) an. 847. Hic altaris[9]) — qua de re eos, quibus hunc codicem vel alios ejusdem generis inspicere licet, monitos velim.

Ekkehardum jam primis annis post Sigiberti obitum Chronico ejus usum esse probat porro Chronici imperatorum (Kaiserchronik) an. 1113. et 1114. conscriptae[10]) fragmentum unicum a Pertzio hucusque editum l. c. pag. 495. locus scil. an. 1074. (Gregorium VII. egisse) justo quidem judicio „*sed novo exemplo, et ut multis visum est, inconsiderato praejudicio.*"

Etiam Chronici illius mundi, ab Ekkehardo paucis tantum immutatis vel additis usque ad annum 1125. continuati, quo Chronici Urspergensis auctor usus esse traditur, nonnulli codices manuscripti, pluribus Sigiberti notitiis abundantes ex-

1) cf. l. c. pag. 470—481.

2) cf. l. c. pag. 482.

3) l. c. pag. 483. Einige Jahre später, nach dem Erscheinen der Chronik Siegberts von Gemblours fügte Eckehard Auszüge aus derselben dieser Bearbeitung ein; die Fortsetzung seines Werkes von 1106 bis zum Tode Heinrichs V. muſs noch später hinzugekommen sein.

4) l. c. pag. 484—485.

5) de quo cf. commentatiunculam: Nachricht von der Auffindung alter Handschriften des ehemaligen Domkapitels zu Havelberg. ex Serapeo editam Lipsiae. 1840. inprim. pag. 12.

6) scil. post: remisit in edit. Argentorat. 1609. pag. 140. lin. 10.

7) ead. pag. lin. 37. post: absoluti sunt.

8) post: successit pag. 141. lin. 3.

9) post: extitit. pag. 140. lin. 53.

10) cf. pag. 493—496.

stare perhibentur.[1]) — Sperandum igitur, fore, ut textu Ekkehardi pure et integre edito, etiam Sigiberti textui quaedam affluant commoda.

3. *Annalista Saxo.*

Eum plura e Sigiberto descripsisse jam V. D. Stenzel (Geschichte der fränkischen Kaiser II. 110.) pro explorato habuit. Exemplum afferendi infra dabitur occasio. cf. loc cod. Paris. ad an. 1082. ap. Arch. VII. 548. cum Sig. 1081.

4. *Chronographus Saxo.*

Etiam hunc compilatorem Sigibertum ipsum accersiisse tot exemplis confirmatur, ut singula afferre supersedere possimus.

---

5. *Ordericus Vitalis.*

In vasto suo historiae ecclesiasticae volumine Ordericum etiam Sigiberti, licet nomen ejus mutilet Chronicon citare jam alii pro explorato habuerunt.[2]) Nam in fine libri III. usque ad Guilelmi Conquestoris regnum deveniens, atque libris de ejus rebus laudatis ad duo Chronica, Mariani illud Scoti in Anglia continuati (scil. haud dubie a Florentio et Joanne, cum tamen Ordericus perperam solum nominet Joannem) et *Engelberti* Gemblacensis Monachi „qui ex his opusculis (scil. Mariano) quaedam praeclara decerpserit, et multa de his, quae de Insulanis Oceani scripta sunt, in eisdem Insulis dimiserit, et nihilominus de Gothis et Hunnis ac Persis, aliisque barbaris gentibus multa adjecerit" laudanda progreditur. — „Et haec quidem se huic chartae gratis indidisse — ait, — ut istos codices avidi lectores inquirant sibi, quia magnum sapientiae fructum ferant, et vix inveniri possint. A modernis enim editos esse, et adhuc passim per orbes diffusos non esse; nam unum eorum (Mariani) se Vigorniae vidisse in Anglia, alterum Cameraci in Lotharingia, ubi Fulbertus prudens Abbas coenobii sancti Sepulcri sibi illud ostendisset." [3]) Unde quis in eam conjecturam induci possit, eum opera illa non obiter tantum perlustrasse, atque non est, quin eum in partibus operis sui, quibus historiam universalem tractat, praeter Bedam et Hugonem Floriacensem[4]) etiam Sigibertum interdum testem audiisse dubitemus.

---

1) l. c. pag. 497—499.
2) cf. Histoire littéraire. IX. 540. et Lappenberg II. 385. qui de ordine et contextu operis illius ex professo egit. l. c. pag. 378—393.
3) vid. lib. III. in fin. pag. 503—504. Eum igitur hoc Sigiberti Chronicon ante an. 1132. vidisse, recte conjecit Lappenberg l. c. cf. Gall. Christ. III. col. 120.
4) cf. Lappenberg, l. c. pag. 379. 390.

6. *Theoderici Monachi Historia de antiquitate Regum Norwagensium.*

Theodericus Monachus[1]) scriptor pro copia fontium, quos legit, et pro cura, qua singulorum testimonia distinguere videtur memoratu dignus inter alia etiam Cap. IV.

Sigibertus quoque Gemblacensis Monachus in Chronica sua ita scribit: Northmanni, inquit, aquilonaris gens atrocissima, advecti in Gallias, cum longis navibus intraverunt Ligerim fluvium, et Thurones usque pervenerunt omnia vastantes,

quo cum loco si ullus, certe nullus alius magis consentit quam hic anni 853:

Normanni per mare Britanicum ostia Ligeris ingressi urbem Nannetum invadunt, episcopum sabato sanctae Paschae baptismum celebrantem trucidant clerum et populum perimunt, inde Andegavum, deinde Turones occupant, et ut tempestas omnia diruunt, templum etiam sancti Martini incendunt:

quem tamen in orationis colore a Sigiberto plane alienum esse atque etiam nonnulla, quae Theodericus recitat, non afferre patet. — Dubium igitur, utrum interpolationem quandam Sigiberti nondum editam legerit, an memoriae lapsu testis dicta depravaverit. —

7. *Scholiastes Adami Bremensis.*

Scholia quaedam vetera ad Adamum Bremensem inter alios fontes etiam Sigibertum habuisse, jam V. D. Lappenberg recte observavit[2]) cf. scholion (18) ad libri II. Cap. 15. cum Sig. ad an. 966.; ad lib. II. Cap. 16. (19.) cum Sig. (ed. Mir. 973. ed. vet. 972); ad lib. II. Cap. 30 (24.) cum Sig. ad an. 1010., qui quidem locus ita immutatus est, ut pro: cujus (scil. Stephani) merita per Hungariam multa miraculorum gloria commendat: qui postea Sanctus fieri meruit: legatur. —

8. *Codicis Gestorum Trevirorum in Aurea-Valle Additamentum.*

Postremum subjungenda notitia Codicis Aureae-Vallis Gestorum Trevirorum, in quo haec in obitu Popponis Ar-

1) ap. Langebek: Script. rer. Danicar. Tom. V. pag. 311—340. cf. de ejus aetate atque condicione introductionem editoris.

2) cf. Archiv VI. 821. 872. vide scholia in editione Lindenbrogii Lugduni Batavorum. 1595. 4.

chi piscopi (1047.) desiisse traduntur,[1]) qui vero nunc, cum in destructione monasterii Aureae-Vallis anno 1793. bibliothecae cimelia perirent, perditus esse videtur.[2]) Gesta sequuntur notitiae quaedam parcae, alia antiqua tamen manu additae, usque ad an. 1258. pergentes, inter quas locus ad an. 1067. ad verbum reddit ea, quae ap. Sig. ad an. 1067. et 1068. de Cononis martyrio et Theoderici comitis exitu leguntur.

B. DESCRIPTORES GENERIS GEMBLACENSIS.

1. *Brevis Narratio belli sacri.*

Est haec brevis narratio, quam Martene et Durand[3]) e codice ms. Florinensi ante 500 annos (i. e. saec. XIII. ineunte) exaratam tradunt, nihil nisi descriptio locorum Sigiberti e textu Miraei ad an. 1096. ad an. 1099. 1100. 1104. 1105. 1123. 1124. 1126.

2. *Chronicon breve Leodiense.* 541—1192.

Ediderunt Martene et Durand[4]) ex Ms. Aureae-Vallis Chronicon breve Leodiense, quod nonnulla Sigiberti vestigia praebet. cf. col. 1405. cum an. 723. col. 1406. cum an. 871. 903. col. 1407. cum an. 921. cf. Auctar. Gembl. cum loc. ad an. 1144. et 1145., et vid. infr. ap. Aegidium. —

3. *Lamberti Parvi Leodiensis S. Jacobi Monasterii Monachi Chronicon a Reinero ejusdem coenobii Asceta continuatum.*

4. *Breve Chronicon Lobiense ab anno* 416—1641.

5. *Chronicon Leodiense ab anno* 400—1334.

Iis adnectimus tria Chronica, duo Leodiensia et unum Lobiense, quae et inter se et cum Sigiberto tam singulari utantur ratione, ut acriori egeant investigatione.

Chronicon S. Jacobi Leodiense Martene et Durand ex autographo edidisse sibi visi sunt, unde usque ad an. 1193. a Lamberto parvo scriptum, inde usque ad an. 1230. conti-

---

1) scil. ap. Martene et Durand. Coll. ampl. IV. pag. 142. 171. qui etiam in nota additamenta ediderunt.

2) cf. Wyttenbach praef. pag. XXII. n. Archiv VII. 510.

3) Coll. ampl. V. col. 536—539.

4) Thes. anecdot. III. col. 1403—1409.

nuatum esse conjecerunt.[1]) Lambertianum quidem opus an. 1194. desinere, atque Reinerianum incipere in Chronico ipso disertis verbis dicitur.[2]) Postea tamen Coll. script. rer. Francogall. codicem vetustiorem S. Jacobi protulerunt, quo usi viros illos codicem a Reinero interpolatum et continuatum edidisse conjiciebant, atque plures jam ante Lambertum parvum Chron. manus admovisse perspiciebant.[3]) Primam manum desinere an. 1077. alteram an. 1155.,[4]) eique in codice adjectos esse annos emortuales tam Leod. Episcoporum quam abbatum S. Jacobi ad an. 1378. tradunt; abs quo anno quae ap. Martene et Durand exstent, Lamberti Parvi esse dicunt. — Plura singulis notitiis e codice addiderunt, tamen primam ejus partem non a coaetaneo scriptam esse existimem. Ceterum Pertz, collato codice Leodiensi[5]) editionem Martene et Durand multis mendis laborare docet.

Chronici Lobiensis habitus ab editoribus Martene et Durand[6]) sic describitur, ut „omnia, quae annum millesimum sequerentur, prout occurrerent, a diversis auctoribus descripta esse, atque idem tot fere habere scriptores quot facta contineat" dicant. Legitur etiam ad an. 868:

Occiso Huberto, fit a Johanne episcopo (scil. Cameracensi) Polepticum (Polyptychum) nostrum. — Huic succedunt ad nostra tempora, id est anno ab Incarnatione millesimo.[7]) . . . .

His sine dubie causis V. D. Waitz[8]) commotus primam Annalium horum partem circa an. 1000. scriptam esse existimavit, cum nonnullos locos ad genus illud multiplex Annalium veterum Hersfeldensium pertinere satis acute intellexerit. — Neque tamen negari potest, plurimos horum annalium locos a quinto usque ad duodecimum saeculum a Sigiberto per Anselmum continuato vel ad verbum descriptos,[9])

---

1) cf. Martene et Durand Coll. ampl. V. col. 1. 2.

2) l. c. col. 16.

3) Tom. XIII. pag. 600. cum not. a.

4) pag. 602.

5) cf. Archiv VII. pag. 597. Atque de origine annalium in eandem quam Francogalli tuentur sententiam ire videtur, cum dicat: die Lütticher Pergamenthandschrift dieser in ihren Fortsetzungen dem Lambertus Parvus und Reinerus angehörigen Annalen etc.

6) Thes. anecdot. III. col. 1409 — 1431.

7) col. 1414. ubi editores in margine: Nota tempus primi auctoris.

8) Archiv VI. 671 — 672.

9) cf. e. g. ad an. 646. 647. 648. 649. 650. 651. 652. etc. Annal. an. 895. cum Sig. ad an. 895. 963. cum Sig. 962. 964.

vel non sine gravibus vitiis excerptos esse,[1]) in annalibus porro saeculi decimi plura Annales Lobienses jam supra citatos redolere,[2]) nonnulla denique etiam e Fulcvino excerpta videri,[3]) atque praeter parvas rerum Lobiensium notitias paucissima tantum Chronico propria usque ad an. 1000. neque ita multa, ut ejusdem aetatis auctoris stylum prodere possint, saec. XI. et XII. inveniri,[4]) ita ut vel locum an. 868. supra allatum mancum vel editores in dijudicanda aetate codicis manuscripti deceptos vel quibusdam notitiis, a vetustiori quodam monacho conscriptis plurima recentiora inserta esse credam.

Chronicon porro Leodiense ab an. 400—1384. ex apographo cod. S. Victoris Par. a Labbeo[5]) — ut ipse fatetur — „omisso initio ab anno 38. post Christum et inutilibus vel vulgaribus periochis" ideo non tale, ut ex eo de vera conjunctionis similitudinisque inter ipsum et alios fontes ratione satis certum judicium fieri possit, editum esse eo magis dolemus, quo hoc ad quaestionem nostram solvendam plus habeat ponderis. — Nam non solum cum Chronico illo brevi Leodiensi plura in eo congruunt[6]) sed longe plurima cum hoc Chronico Lobiensi ad verbum consentire patet, neque indicia desunt, ex quibus Leodiensem sua e Lobiensi desumpsisse demonstrari possit.[7]) Ubi vero ab anno 988. Chronicon illud S. Jacobi Leodiense accedit, Chronicon Leodiense huic multo se quam Chronico Lobiensi similius praebet,[8]) atque ab an. 988—1086. pauca tantum inveniuntur, quae ex eo non descripta esse existimare possis. — Occurrunt tamen plures notitiae iisdem verbis in

---

1) Sic series Imperatorum Graecorum in Chronico Lobiensi potissimum Sigibertum ducem prodere videtur, in qua tamen auctor eo modo errat, ut ad an. 867. 869. 870. 872. 873. imperatores colloret, de quibus Sigibertus ad an. 869. 886. 904. 905. 907. 908. 944. 945. 961. agit. — Sic etiam ad an. 607. duos Bonifacios papas. quos Sig. distinguit (ad an. 607. et 609.) confundit auctor Chronici. cf. etiam cum Anselmo et Auct. Gembl. ad an. 1125. 1127. 1135. 1139. 1140. 1148.

2) scil. ap. Pertz: Monum. II. cf. cum iis Chron. Lobiense ad an. 941. 945. 947. 953. 954. 956. 959. 961. 962. 968. 972. 973.

3) cf. loc. anni 868. supra cit. cum Fulcvino Cap. XIII. qui hanc redituum monasterii descriptionem XIV. anno regni Lotharii factam esse memorat.

4) cf. e. g. ad an. 1065. 1071. 1074. 1075. cf. ad an. 1160.

5) cf. Labbe Biblioth. msptor. Tom. I. Praef. pag. 334. sq. pag. 405. sq.

6) cf. ad. an. 549. 618. 626. 632.

7) cf. utrumque ad an. 823. et Lob. ad an. 957. cum Leod. ad an. 957.

8) cf. e. g. ad an. 1009. 1012. 1013. 1021. 1025. 1026. 1028. 1029 1031. 1037. etc.

tribus illis Chronicis,[1]) quaedam porro, quae Chronici Lobiensis singularem cum Chronico S. Jacobi connexum existere suadere possint,[2]) nonnulla denique, quibus Chronicon Leod. propius ad Lobiense, quam ad illud S. Jacobi accedit,[3]) vel in uno eodemque loco utriusque vestigia prodit.[4]) quae mira horum Chronicorum ratio, quomodo explicanda sit, alii, quibus codices inspicere licet, melius assequentur. —

Quod ad nostrum propositum attinet, Chronica ista hoc loco afferendi causam habere visi sumus. De Lobiensi jam diximus.[5]) Chronici etiam S. Jacobi multi loci praeter hos, in quibus cum Lobiensi et ipso cum Leodiensi consentit, e Sigiberto descripti sunt.[6]) Redolent continuatores Gemblacenses loci ad an. **1117. 1118. 1125. 1129.** (scil. eo habitu, quo eum offert codex S. Jacobi) **1141.** Num etiam loci ad an. **1149. 1151. 1162.** continuatorem Affligemensem sequantur, dubitari potest. — Denique in Chronico Leodiensi Labbeano et ante an. 988. et postea quaedam restant, quae, cum neque cum Lobiensi neque cum Chronico S. Jacobi et Leodiensi brevi cohaereant, Sigiberto et Anselmo deberi verisimile est.[7]) —

6. *Chronicon Tornacense S. Martini.* 459 — 1099-

7. *Chronicon Elnonense S. Amandi ab an.* 534 — 1223.

Chronico brevi Tornacensi S. Martini,[8]) quamvis spatium tantum usque ad an. **1099.** comprehendat, permulta tamen e Sigiberto excerpta contineri constat. cf. 938. 955. 986. 996. 1000. 1006. etc. cf. potissimum 484. et 528 cum edit. Miraei et an. 697. cum cod. Lips. ad an. 698.

Accedit, quod plura huic Chronico propria iisdem verbis in Chronico Elnonensi S. Amandi[9]) ab anno 534. usque ad

1) cf. ad an. 996. 1000. 1013. 1024. 1053. etc.
2) cf. ad an. 1015. 1041. 1087.
3) cf. ad an. 988. 1002. 1045.
4) cf. ad an. 1006. 1015. 1051. 1054.
5) vid. sup. pag 418. not. 1. cf. porro ad an. 1014. 1045. 1046. 1062. 1063. 1112.
6) cf. additam. ad an. 1015. 1047. 1098. 1099. 1010.
7) cf. ad an. 533. cum Sig. 528. 616. cum Sig. 617. adde agnomen Longicolli nomini ipsius Ragineri ad an. 958. appositum. vide Sig. 959. cf. ad. 973. Bellum fuit in Perona inter *Raginerum* etc. 974. Obsidio Buxidis ad an. 1048. Dux Albertus a Godefredo perimitur. 1091. 1095. 1101. 1103. 1104. 1105. 1107. 1108. 1110. 1112. 1114. 1116. 1125. 1126. 1127. 1130. 1133. 1134. —
8) ap. Martene et Durand. Thes. anecdot. III. col. 1453—1456.
9) ibid. col. 1390—1400.

an. 1223. pertinente repetita leguntur, quibus singulis inter se collatis tantum abest, ut pro certo statui possit, Elnonensem monachum sua e Tornacensi desumpsisse, ut interdum Elnonensis vetustior videatur, sicuti annis 880. 881. 883. quibus ipsius loci apud Tornacensem an. 881. medios inter locos de Normannorum incursionibus e Sigiberto desumptos de industria inserti esse videntur.[1]) — In Chronico Elnonensi praeter locos cum Tornacensi congruos plures sunt, qui cum Sigiberto plane consentiunt,[1]) denique nonnulli, qui Chronicon Lobiense respiciunt.[2]) — Sunt plura in eo, quae textum a continuatoribus Gemblacensibus vel etiam Affligemensi auctum huic scriptori ante oculos fuisse suadere possint[4]) licet in annalibus ab an. 1112. usque ad an. 1162. non tam manifesta eorum vestigia offerantur, atque res Flandriae, quas in cod. Lips. tractari diximus, in Chron. Elnonensi multo hic illic uberius quam in hoc fonte exponantur.[5])

8. *Hollandiae Chronicon vetustissimum Anonymi monachi Egmondani ab anno* 647. *ad an.* 1205.[6])

Monachum Egmondanum plura e Sigiberto desumpsisse patet. cf. porro notitiam anni 1120. cum Cod. Lips. ad an. 1118.

9. *(Ruperti Tuitiensis) Historia monasterii S. Laurentii Leodiensis.*

De Ruperto, e monacho S. Laurentii Leodiensis Abbate Tuitiensi († 1135)[7]) Renerus et ipse monachus S. Laurentii Leodiensis, non ita multo post Rupertum vivens atque

---

1) Locus de restauratione coenobii S. Martini apud Tornacum ad an. 1092. ap. utrumque iisdem verbis legitur, aeque ac res S. Amandi 809. 821. 855. — Loco anni 782. Chron. Elnonense quaedam addit; Chronicon tamen S. Martini ad an. 1014. ipsa rerum S. Amandi notitia abundat, (coll. cum an. 1013. Chron. Elnon.) atque an. 1041. miraculum ejusdem monasterii affert, quod in ipso Chron. Elnon. deest.

2) cf. ad an. 577. 593. 596. 617. 722. . . . . 1103. 1105. 1108.

3) cf. e. g. ad an. 551. 664. cum Chron. Lob. ad an. 661. 855. 882. cum Lob. ad an. 883. 900. 923. 1036. cum Lob. ad an. 1037.

4) cf. ad. an. 701. 1086. ad an. 1151. 1153. inveniri quoque vestigia possint, quae consensum quendam cum textu veteri doceant (cf. ad an. 1078. 1141. 1143.) quamquam ea neque clara satis, neque sufficientia esse existimavi.

5) cf. infra.

6) ap. Kluit: Hist. critica Holl. et Zeel. I. 1.

7) cf. Hamberger. IV. 121. non anno 1128. sicut ipsa Hist. S. Laurentii ap. Mart. et Durand. Coll. ampl. IV. col. 1083.

omnium ejus operum bene gnarus haec habet: „Uno etiam libello statum nostrae prosecutus est Ecclesiae, videlicet a quibus exstructa sit, quae bona, vel quae mala de manu Domini ab Evraclo Leodiensium Episcopo usque ad Otbertum susceperit."[1]) Ediderunt Martene et Durand Historiam S. Laurentii Leod. usque ad an. 1586. pertinentem, a pluribus scriptoribus exaratam, quorum agmen ducere tradunt Robertum, et Renerum, monachum S. Laurentii, Leodii sub finem saeculi XII. viventem;[2]) dolent tamen quam maxime Ruperti opus, quod quinque complexum esset libros, atque quod Adrianus de Veteri-busco Leodiensis scriptor adhuc in manibus habuisset, pene totum excidisse, solos quartum et quintum libros, res ab Euraclo usque ad Otbertum enarrantes adhuc superesse, tribus prioribus a temerario homine e cod. saec. XII. exstinctis. Porro his quoque quae exstant, ex Adriani de Veteri-busco testimonio abbreviationem tantum Ruperti contineri existimant,[3]) saec. XIII. exaratam, eamque cum obitu Reginhardi episcopi finiretur a Renero et aliis scriptoribus continuatam esse observant.[4]) — Quae editorum dicta cum sint obscura, atque Reneri testimonio obloquantur, necessarium est ipsum librum inspicere. In historiae libri V. cap. 30. testimoniis Reneri de Roberto adhibitis[5]) atque dicto illo de uno ejus rerum S. Laurentii libro repetito additur: „ex hoc libello praescripta pro majori parte excerpta esse." Porro libro IV. col. 1038. auctor monachum S. Laurentii se profitetur, atque (loco illo ap. quem Adrianus, haec „de verbo ad verbum e Ruperto descripta esse" testatur) iisdem fere verbis — quae de Ruperto apud Renerum leguntur — consilium suum aperit;[6]) mox etiam aetatem suam

---

1) cf. libell. I. de Script. monasterii sui Cap. 11. ap. Pez: Thesaur. anecdot. IV. 3. col. 25.

2) cf. Coll. ampl. IV. col. 1034.

cf. not. a. ad col. 1037—1038.

4) cf. ad libr. V. cap. 9. post: conduxit. not. a. „Hactenus Ruperti abbreviator ante annos quingentos exaratus etc. col. 1063.

5) Ibi col. 1077. „Hic multos libros composuit, quorum catalogum ejusque vitam qui scire desiderat, primum librum fratris Reyneri de gestis abbatum hujus loci relegat et ibi inveniet" . . . ubi haud dubie libellus primus ille de scriptoribus monasterii sui (vid. not. 1.) falso nomine indicatus est.

6) . . . Quia ergo hoc in loco ecclesia nostra, ecclesia beati Laurentii martyris, sub cujus patrocinio fideli ego indignus qui hoc edidi opusculum dego, coepta est aedificari, utile arbitror scribere, *quibus auctoribus exstructa sit et hactenus steterit haec Ecclesia S. Laurentii quae bona de manu Domini, vel quae mala susceperit etc.* . . .

hoc indicat, quod ipsi sibi adhuc familiarem Wolbodonis Episcopi (†1021) notum fuisse testatur.[1]) — Inde non dubium, Ruperti librum hac S. Laurentii historia contineri (etsi eum quinque libros edidisse non verisimile sit), serius tamen in hunc, quo offertur, habitum redactum, quod et continuator ad an. 1216. se „quae de gestis abbatum hujus monasterii S. Laurentii in diversis libris authenticis videlicet magistri Robe.ti et fratris Reineri monachorum hujus loci ex gestis pontificum Leodiensium, et ex libro cartarum ecclesiae qui procedat usque ad an. 1216. colligere potuerit, veredica relatione in unum congessisse"[2]) testatus ipse fateri videtur. — Renerus, qui Ruperti librum continuasse traditur, verisimile idem est cum teste nostro supra citato multorum librorum saec. XII. scriptore.[3]) Dubium quidem esse potest, num usque ad an. 1216. vixerit;[4]) id porro perspicuum, continuationem Historiae S. Laurentii — etiamsi ab ipso scriptam — ab aliis tamen interpolatam atque mutatam esse.[5]) Monuimus haec, ut diligentes rerum patriae atque publica munificentia adjutos pervestigatores, quibus nostra aetate gaudet Belgia, ad operam suam scriptoribus Leodiensibus navandam excitemus. — Cujus operae eos nunquam poeniturum esse docent fragmenta gestorum abbatum S. Laurentii, quae ex vetusto monasterii illius codice attulit Chapeavillius. Cum pleraque — si aliquot lectionnm

1) l. c. col. 1051.

2) lib. V. cap. 59. l. c. col. 1097.

3) cf. de Reneri illius scriptis libellum ejus II. de scriptoribus sui monast. ap. Pez. l. c. col. 33—42. et de quibusdam aliis, quae non ibidem recensuit, Praef. ad Pezii Thesaur. IV. pag. XVII—XXI. Sunt inter ea Vitae S. Wolbodonis (edit ap. Mabillon. Acta Sanct. VI. 1. pag. 179—185) et Reginardi (ap. Pez. l. c. col. 167—186) Epp. Leodiens. in quibus, cum jam (Ruperti) Historia S. Laurentii usus esse videatur, Sigiberti Chron. etiam ita adhibuit, ut singula ejus dicta amplificaret atque additamentis repleret. cf. Sig. ad an. 1001. 1002. cum Cap. 9. Vitae Wolbodonis l. c. pag. 180. 1018. cum Cap. 11. pag. 181. (cf. Hist. S. Laurentii col. 1041—42. 1051—1052. et infr.) cf. Vitae Reginardi Cap. VII. l. c. col. 179—181. cum Sig. 900. 902. 903. ubi locum Sig. „praesentibus (in synodo Ravennate cf. pag. 79.) Francorum Archiep. et Rege" perperam explicat: p. F. A. et *Ludovico Rege filio Arnulphi Imperatoris.* — Renerus sec. ipsum ejus dictum jam an.. 1141 vixisse, etsi nondum monachus Leodii versatus fuisse videtur (nam „nostris diebus" triumphum S. Lantberti contigisse tradit. cf. loc. sup. pag. 285. not. 3., in prologo operis col. 129. „eum ita narrasse, ut ab eis, qui interfuerint, investigare potuerit" addit.)

4) cf. not. 3.

5) Id e modo, quo Renerus ipse citatur loc. pag. 421. not. 5. allato, et col. 1082. et 1085. conjicere posse arbitror; praeterea e loco col. 1083. „picturam quandam renovatam esse anno 1450." et loc. not. 2. cit.

diversitates excipias — cum textu edito conspirent,[1]) ex priori parte citat locum unum qui in ea non exstat,[2]) tres, qui ordine mutato et interpolationibus mixti leguntur.[3]) —

Jam in prima parte Historiae S. Laurentii plura e Sigiberto descripta esse non negabis. cf. num 4. col. 1037. cum an. 963. num 3. col. 1036—1037. cum an. 970. Quod Waitz[4]) recte de uno historiae illius loco annotat, Rupertum scil. verbis Sigiberti ad an. 969. Ottonem ut injuriam ulcisceretur, „quosdam eminentiores ex suis in Calabriam mississe" descripto, contendisse, imperatorem id „*accepto a praedicto praesule Evraclo consilio*" egisse, id in omnibus huic scriptori pro norma fuisse videtur, ut episcoporum Leodiensium augeret gloriam meritaque. Sic fabulam de daemoniaco (an. 969.) repetiturus eum *consilio praesulis Evracli* ab imperatore ad papam adductum, *illiusque consilio* litigium inter clericos Romanos et Theodericum episcopum compositum esse addit;[5]) rebus an. 1007. e Sigiberto desumptis, Henricum, cum primo ab obsidione castri Valentianarum destitisset „*in auxilium vocasse episcopum* Nothgerum, ejusque auxilio et consilio" rem feliciter peregisse.[6]) enarrat. — Rupertus quidem haud dubie Anselmi continuatione nondum usus est; at, qui eum continuavit, Renerus hujus usus indicia haud dubia reliquit. cf. cap. 35. col. 1083. cum Anselmo ad annum 1131. ideo etiam locum cap. 32. An-

---

1) cf. Chapeaville Tom. II. pag. 4. cum cap. 15. col. 1066. pag. 25. cum eod. cap. col. 1066. pag. 29—30. cum col. 1063. et col. 1066—1067. pag. 30—31. Epistolam Berengeri cum col. 1076—77 pag. 34. cum col. 1069. pag. 35. cum col. 1067—1068. pag. 37. col. 1072. pag. 41. cum col. 1072—74. pag. 66. col. 1082—83. pag. 77. col. 1084—85.; pag. 98. cum col. 1087.; pag. 110. col. 1088. pag. 121. cap. 46. col. 1091.; pag. 128. col. 1093, pag. 133. 134. col. 1093.; pag. 188. cum col. 1094—95. pag. 261. pag. 264. cum col. 1098—99.: pag. 266. 268. col. 1101—1102.; pag. 269. cum col. 1102. infr. —

2) scil. I. pag. 280.: „Codex quoque monast. S. Laurentii de quo supra cap. 79. mentionem fecimus (i. e. pag. 274. vid. not. 3.) dicit hunc Nithardum aedificasse duas ecclesias parochiales sancti Thomae juxta S. Bartholomaei collegiatam ecclesiam et sancti Remigii: dicit quoque construxisse castrum in Dionanto, in eoque aedificasse capellam in honore S. Benedicti."

3) cf. loc. I. pag. 274. Ipse Reginardus etc. col. 1064. I. pag. 278. Abbas Stephanus — consummavit cum 1065. Nr. 13. lin. 5—7. pag. 280. Not 3. Nec defuerunt — abstulit cum col. 1065. Nr. 13. lin. 17. seqq.

4) Jahrbücher des deutschen Reichs unter dem Sächsischen Hause. I. 3. pag. 153. Not. 2.

5) col. 1035—1036.

6) col. 1044—1045.

no sequenti civitas Leodiensis multis plagis attrita est." cum Anselmo ad an. 1117. — Unde etiam quae post finem Ruperti abbreviati supra notatum e Sigiberto recepta leguntur, e textu potius per Anselmum continuato quam ex genuino ac primario sumta putanda sunt. cf. tamen de loco an. 1084. infr.

10. *Aegidii Aureae-Vallis Religiosi Gesta episcoporum Leodiensium.*

Omnium Leodiensium scriptorum veterum Aegidius ditissimus est, qui postquam duobus libris Harigeri et Anselmi opera multis additamentis locupletavit, tertium a Theoduino usque ad Henricum III. electum an. 1247. continuatum adjecit. [1]) — Usus est Ruperti atque Reneri Historia S. Laurentii, atque quae ille de rebus episcoporum Leodiensium dubio jure Sigiberto adjecit, eodem ordine sua fecit, [2]) nonnulla etiam Sigibertana e Reneri Vitis Wolbodonis et Reginardi amplificata recepit, [3]) sunt tamen certissima documenta eum non solum in hac parte, in qua cum Historia S. Laurentii nostra conferri non potest[4]) sed etiam post aetatem episcopi Evracli Sigibertum ipsum testem advocasse. cf. lib. III. Cap. I. l. c. pag. 4. Composuit etiam — scibile est. cum Sig. Chron. ad an. 1048. lib. III. Cap. 13. pag. 40. cum Sig. 1096. cf. cap. 18. l. c. pag. 51. cum Sig. 1109. porro Cap. XVII. pag. 49. cum Anselmo ad an. 1117. Cap. 24. pag. 69. cum an. 1129. 27. pag. 75. cum an. 1131.

Postremum subjungenda quaedam sunt de additamentis marginalibus Codicis Aureae-Vallis, a Chapeavillio non temere pro Aegidii autographo habiti, quae plerumque ab ipso addita esse censet. Inveniuntur Tom. I. pag. 10. 14. 15. 23. 24. pag. 57—58. 67. 69. 73. 83—84. 91. 92. 102. 122. 144. 154. 170. 214. 217. 219. 226. II. pag. 6. 47. 48. 67. 94. 130—131. 261—262. 265. Sunt eorum nonnulla e Si-

1) cf. Praef. ad libr. III. ap. Chapeav. II. pag. 2. Cap. 137. ibid. pag. 269.

2) cf. e. g. locum Sig. ad an. 989. cum Hist. Laurentii col. 1044. et Aegidio. Tom. I. Cap. 53. pag. 206—207. porro locos ad an. 1000. 998. eodem ordine, iisd. pagg. loc. an. 1007. supr. cit. in Hist. cum Aegidio l. c. pag. 207—208. cf. ad an. 1018. Hist. S. Laurentii 5. col. 1051—1052. Aegid. Cap. 67. pag. 247.

3) cf. Sig. ad an. 1021. Reneri Vitam S. Wolbodonis. l. c. pag. 183. Cap. 16. Aegid. Cap. 71. l. c. pag. 259. cf. Sig. 1035. 1036. 1037. cum Reneri Vita Reginardi Cap. VIII. l. c. col. 182 — 183. Aegid. Cap. 81. 276—277. (cf. Hist. S. Laurentii V. 2. col. 1058—1059.).

4) cf. lib. I. Cap. XLVI. pag. 81. cum Sig. ad an. 812. lib. II. Cap. XXXIII. pag. 150. cum Sig. 789. Cap. 44. pag. 174. cum Sig. 953.

giberto descripta,[1]) qui et ipse pro locis anni 528. et 997. testis affertur.[2]) Praeterea et eorum, quibus cum Sigiberto aliqua affinitas[3]) et eorum, quae ab eo prorsus abhorreant,[4]) multa ad verbum cum brevi Chronico Leodiensi ex Ms. Aureae-Vallis edito (vid. sup. Nro. 2.) convenire constat. Hoc etiam in nonnullis cum ipso Aegidii textu consentit,[5]) ipsa ultima ejus notitia anni 1192. qua auctor aetati illi supparem se praebere videtur, iisdem verbis apud eum recurrit;[6]) alii tamen, qui de aetate, qua Chronici brevis codex scriptus sit, certiora tenent, dijudicent utrum, quod nobis quidem verisimilius est, Aegidius ex hoc, an Chronicon ex Aegidio sua hauserit. —

11. *Alberici monachi Trium fontinm*[7]) *Chronicon.*

Albericum Codicem Affligemensem secutum esse, supra pluribus exemplis docuimus. Inveniuntur ap. eum permulti ex illis locis quos monachus Affligem. Sigiberti annalibus ipsis adjecit,[8]) haud pauci, qui cum in textu veteri desint, in textu

---

1) cf. I. pag. 57. cum Sig ad an. 551. pag. 91. 92. cum Sig. 651.

2) l. c. pag. 57. 214.

3) cf. ad an. 644. Chron. cum Aegid. pag. 83—84. ad an. 896. His temporibus — episcopi cum pag. 170. ad an. 1122. (leg. 1142.) cum Aegid. II. pag. 94. et Auct. Gembl. ad an. 1140.

4) ct. ad an. 549. Chronici brevis cum Aegidio l. c. pag. 57. ad an. 626. cum Aegid. pag. 69. ad an. 632. cum pag. 73. cum Chronico ad an. 730. col. 1404. „Legitur etiam in quodam libro. Hi Stabulaus — et ceteri multi" Aegid. pag. 102.

5) cf. ad. an. 730. Post S. Hugbertum — substitui: cum Aegid. Cap. XXX. pag. 145.; ad an. 920. (e Sigib.) cum Aegid. Cap. XLI. pag. 171.

6) cf. Aegid. III. Cap. 86. 87. pag. 178. 180. Locus Chronici. „Ipsam liberatam et sanatam vidit qui haec scripsit et de longo ejus morbo audivit testimonium *ejus*" ap. Aegidium: . . . . „qui haec scripsit et de longo ejus morbo audivit testimonium *multorum*, qui eam viderunt hoc incommodo diu laborantem" etc.

7) Usi sumus in commentatione nostra hoc ejus nomine, quasi vulgari, quamvis nos minime lateat, de ejus persona adhuc valde inter viros doctos dubitari, neque a vero abhorrere, si quis dicat vel ipsum auctorem ad dioecesin Leodiensem pertinuisse, vel opus huic Chronico plane involutum ibidem conscriptum esse. cf. Praef. Leibnit. Bouq. XIII. pag. LXX. Hamberger IV. pag. 381. Accuratiorem hujus rei disceptationem, cum et hujus scriptionis fines superet et repetitas curas exposcat, in aliam distulimus occasionem.

8) cf. loc. ad an. 1020. pag. 52.; 1023. pag. 56. 1057. pag. 94.; 1063 pag. 102. 1070. pag. 113. 1083. pag. 128.; 1086. pag. 133. 1096. pag. 152.; 1100. pag. 184; 1105. pag. 198. 1111. pag. 212.

solum Miraei legantur, ita ut omnium, qui in meam quidem notitiam venerunt, auctorum uberrimam textus Gemblacensis descriptionem afferat. Unum tantum obesse videtur, quominus ei penitus obsequamur, hoc, quod etiam Helinando usus est,[1]) atque ex eo inter plura alia etiam ea, quae is interpolationibus Sigiberti Cisterciensibus debet, recepit. — Quae ubi pro more suo Helinandi testis nomine insignivit,[2]) nullum de vero fonte dubium esse potest; attamen etiam in iis locis, in quibus hoc annotare omisit[3]) vel etiam ubi ab Helinando discedens aliquam textus veteris similitudinem prodere videatur[4]) eum talem in manibus habuisse valde dubito cum, si tali uti potuisset, haud dubie multa alio modo dixisset.[5])

C. DESCRIPTORES GENERIS CISTERCIENSIS.

1. *Chronicon Remense a Chr. nat. usque ad an.* 1190.

Seriem horum librorum exordimur a Chronico brevi Remensi,[6]) quod cum per omnia saecula aperta Sigiberti vestigia offerat, locis an. 1118. 1119. 1131. 1144. 1148. continuatoris Ursicamp. notitiam prodere videtur. — Sunt inter eos quidem plures propius ad Remensem urbem pertinentes

---

1) de quo vide infra.

2) scil. ad an. 1078. 1079. 1107.

3) cf. locum an. 1015. cum Helinando et Sig. text. vet. an. 1015. et 1024. cf. locos ad an. 1066. 1069. cum Helinando ad an. 1067. 69.

4) Quorum potissimum duo exstant exempla, alterum an. 1098. de origine ordinis Cisterciensis pag. 172—173. coll. cum Helinando pag. 166. et Sig. text. vet. ad an. 1098. Quae cum hoc ap. Albericum consentiunt, is aliunde acceperit necesse est, alterum ad an. 1112. pag. 220. „Ante supradictum Episcopum Laudunensem Gaudricum interfectum fuit Episcopus Laudunensis Ingelrandus, et ante eum Elinandus, sub quo quoddam beatae Mariae contigit miraculum. coll. cum Helinando pag. 177.. vid. infr. et Sig. text. vet. ad an. 1095. Albericus tamen haud dubie ordinem Laudunensium Epp. aliunde cognovit. cf. ad an. 1070. — Etiam quae de rebus Arturi aliisque fabulosis Britonum historiis affert, ad an. 434. 440. 442. 459. 475. 617. a ratione excerptorum e Galfrido petitorum ap. Cont. Ursicamp. prorsus alienum, atque haud dubie ex auctore illo ipso desumptum est. (cf. Lappenberg. I. pag. XLI.)

5) cf. infra loc. an. 1050. an. 1059. Parte III. C. cf. e. g. loc. 849. Part. III. B. et D. cum loco an. 849. text. vet. ap. Helinand. atque plura alia, quae afferre longum est. — Vel Albericus vel ejus editor Sigiberti locos haud raro mutilavit. cf. ad an. 1008. 1061.

6) ap. Labbeum Bibl. manuscr. I. pag. 355.

neque tam strictus verborum utriusque Chronici consensus, ut connexum quendam supponere coactus sis, neque interpolati textus Sigibertani manifesta reperiuntur indicia. — Ne tamen quid nimium contendere videar, Chronico Remensi tertio in ordine primum, quam in primo ultimum locum assignare malui. —

2. *Helinandi Monachi Frigidi-montis Chronicon.*

Eum post Sigibertum Chronicon Mortui-maris descripsisse jam supra monuimus.[1]) cum porro Sigiberti Chronicon tam presse describat, ut fere pro codice illius haberi possit, atque ipso teste nominato, eum ab alienis accurate distinguat, maxime dolendum est, quod ultimi tantum Chronici illius ab origine mundi usque ad an. 1204. pergentis quaterniones[2]) scil. a libro XLV. (ab an. 639.) usque ad XLIX. exstent, quum quidem praecedentia ab Helinando ipso quondam alicui ex familiaribus commodata in autographo ipso desint, atque jam tempore auctori proximo, Alberici[3]) scil. et Vincentii[4]) plerumque perdita esse videantur. — Exstant apud eum plurimi textus veteris loci, quos a Continuatore Ursicampino insertos esse nullum dubium est, unde et monachum Mortui-maris etiam hoc modo illo usum esse extra omne dubium ponitur.[5]) — Num vero Helinand. ap. eum omnes locos illos, eodem quo in textu veteri exstant, modo legerit, dubium esse videtur. Desunt enim nonnulli, alii abbreviati inveniuntur, denique admodum mirandum esset, si Helinandus, qui miraculi illius S. Mariae Laudunensis ad an. 1094. a Continuatore enarrati mentionem facit,[6]) se, quo tempore Hel. episcopatum Laudunensem tenuerit, nescire fateri potuisset, praesertim loco text. vet. ad an. 1095. lecto[7]). Doceant certiora, quibus cod. Paris. 4863. perlustrare licuit.

Postremum est monendum, Helinandi dictum supra recusum quo se plura Sigiberti exemplaria, in iisque aliqua sine ulla

1) cf. pag. 369.

2) scil. a 79. usque ad 84. cf. praefat. Tissierii ad edit. Bibl. Cisterc. VII. pag. 73.

3) Is enim ad an. 633. pag. 51. Liber tertius Bedae incipit et *liber Elinandi*.

4) Spec. hist. XXIX. cap. 108. ap. quem tamen fragmenta priorum librorum XVII. 9. XXI. 67. etc.

5) Exempla vide infr.

6) cf. lib. XLVIII. pag. 177.

7) cf. Hermanni Monachi de mirac. S. Mariae Laud. III. 27. Ex eo etiam, nisi fallimur, seriem horum Episcoporum Laudunensium desumere potuisset.

continuatione novisse plurimum fidei ex hoc acquirere, quod etiam Anselmi locum inde in Continuatorem Ursicampinum, minime vero in Chronicon Mortui-Maris translatum „Apud Ravennam — mense" citat.[1]) Inde hunc in codice quodam a monachis Gemblacensibus divulgato, perperam in fine Sigiberti adjectum esse clarum est. Quanti esset ea, quae Helinandus e genuino et quae ex interpolato Sig. deprompserit, discernere manifestum est, nos vero hoc ne tentare quidem velle, neminem speramus nobis vitio versurum esse.

3. 4. *Roberti S. Mariani Altissiodorensis et Anonymi Turonensis Chronicon.*

Robertus — cujus jam supra mentionem fecimus[2]) — ipse in prologo Sigiberti Chronico usus esse fatetur; cum tamen ibi illud usque ad an. 1112. ab ipso scriptum esse dicat, collatione instituta non dubium esse potest, eum etiam Continuatorem Ursicampinum usque ad an. 1155. vel descripsisse vol additamentis replevisse.[3]) Editor vero, Nicolaus Camusaeus, ex ipsius dictis bene intelligens, eum ab anno 381. Sigibertum fere plane descripsisse eique Chronicon suum superstruxisse[4]) plures Sigiberti locos ex ejus textu omittere vel decerpere ratum habuit, quod quamvis rerum historicarum cognitioni non obsit, consilio nostri quam maxime repugnat. Supplere has lacunas videtur Chronicon Turonense[6]), cujus auctor, cum ipsum Roberti prooemium sibi arrogaret solum loco rerum Archiepiscoporum Senonensium et praesulum Altissiodorensium, et ecclesiae S. Mariani quas ille pollicitus erat, res Turonenses intrudens etiam multa ex ipso Roberto desumpsit.[7]) Apud utrumque quidem usque ad an.

---

1) cf. lib. XLVII. in fin. pag. 174.

2) vid. pag. 365.

3) cf. loc. sup. pag. 365. not. 3. cit. fol. 78. 1—2 cum Cont. ad an. 1119. . . . .; fol. 78. 2—79. 1. cum Cont. ad an. 1119. 1120. ad an. 1129. fol. 79. 2. ad an. 1140. fol. 80. 1.

4) Nam ipse fol. 55. . . . Ab hinc Sigibertus Gemblacensis monachus incoepit Chronographiam suam. Cui nos sicut et in praecedentibus quaedam ex diversis locis excerpta adnexuimus, quae his locis possent satis necessarie et competenter aptari et praedicti viri satisfacerent nimiae brevitati.

5) cf. praefat.

6) cf. Coll. ampl. V. col. 917 sqq. usque ad an. 1227. col. 1072.

7) cf. col. 933—934. cum Rob. fol. 64. 2.; col. 947. ad an. Just. V. cum Rob. fol. 67. 1.; col. 985—986. cum Rob. fol. 71. 2. col. 996. cum Rob. fol. 74. 1.

1112. pauca eorum quae additamentis Cont. Urs. adscribenda sunt, pauciora tamen, quae iis etiam textum purum in manibus fuisse suadere possint. [1]) — Utrum vero Turonensis omnes illos Sigiberti locos e Roberto cognoverit, an ipsum Sigibertum a Continuatore usque ad an. 1155. deductum adierit, iterum licet jam verens, ne lectorum patientiam hac formula semper repetita obtundam — textu demum Roberti integro inspecto dijudicare audeam. — Nam in locis an 1135. 1143. 1149. 1152. 1153. plura — ut videtur — e Sigiberti continuatore desumpta [2]) amplificata notitiisque aliunde acceptis commixta (quod quidem a Roberti more non tam longe recedit) inveniuntur, quae in Roberti editione desunt, atque num ab editore omissa sint, nescio.

Guilelmum de Nangis, [3]) quem arbitrum prius advocandum censui hac de re inauditum relinquere malui, cum — quantum e textibus Roberti et Chronistae Turonensis editis conjicere licet — is auctor ex utroque Chronicon suum congesserit. [4]) —

Unum id addam, me post an. 1155. quatuor vel quinque locis nonnullorum verborum Roberti de Monte consensum et cum Roberto et cum Turonensi deprehendisse, [5]) hoc tamen neutiquam commotum esse, ut integram ejus continua-

---

1) Utriusque generis locos si aliquam ab causam mentionis digni sunt, infra afferemus. —

2) cf. pag. 367 — 368. not.

3) Pars Chronici ejus ab anno 1113., quasi Appendix ad Sigib. ap. d'Acherium Spicileg. edita est. ap. de la Barre. III, ab init. — Usque ad locum anni 1155. — subversa: fere totum Continuatorem Ursicampinum descripsit.

4) cf. e. g. ad an. 1161. Guilelmus — praevaluit cum Chron. Rob. fol. 82. 2. et Chron. Tur. col. 1018., cf. ad an. 1173. Jossius — ditioni cum Chron. Tur. ad an. 1172.; e contra cf. ad an. 1178. Cum autem legitur — perseveravit, cum Rob. ad an. 1178. ad an. 1179. ubi ex diversis — Abbatum cum Rob. ad an. 1179. — Apud Guilelmum etiam nonnulla vestigia Chronici Mortui-Maris cf. ad an. 1130. 1137. 1158. 1169. atque cum in Roberti textu edito, tum in Guilelmo quaedam cum Chronico Blandiniensi et S. Bavonis Gandensi consona. cf. Rob. et Guil. ad an. 1138. Clarebat — Christi ad an. 1139. 1145.

5) cf. e. g. ap. Rob. ad an. 1165. Ludovico Regi — Philippus fol. 84. 2. 1177. Vilelmo — translato 1180. fol. 85. Joannes Carnotensis — descripsit cum loc. ap. Struv. ad an. 1166 1177. 1182. col. 927. ap. Turonense inprim. ad an. 1169. Catania — perierunt. 1170. In transmarinis partibus — perierunt. Hos locos plerumque Guilelmus Nangis repetiit. — Distichon de Thomae martyrio ap. Rob. fol. 84. Tur. col. 1020. cum in Roberto de Monte, tum in aliis hujus aetatis scriptoribus invenitur. —

tionem in eorum notitiam venisse statuam, cum Robertus, qui fontes suos describendi morem fovit, haud dubie inhomonymo suo adhibendo non tam parcus fuisset. Ad summum id concedi possit, eum Roberti de Monte quaedam fragmenta, Cont. Ursicamp. adjecta legisse. —

5. *Vincentii Bellovacensis Speculum historiale.*

Vincentium Sigiberto usum esse, jam diu inter viros doctos constat. — Est porro inter omnes ejus descriptores longe uberrimus, atque quum etiam continuatorem Ursicampinum, titulo „Chronographi" insignitum, usque ad an. 1155. per omnia describat, inde vero nullum cum alio Sigiberti continuatore connexum praebeat, (nisi quod ipse Roberto Altissiodorensi vel simili fonte usus esse videtur) haud dubie inter codices textus veteris, licet Divionensi aetate inferior sit, vetustiores tamen et meliores habendus est. Plura, quae Sigibert isunt, is demum ex Helinando sua fecit, quae tamen a quovis accuratius textus conferente atque ipsius auctoris testimoniis haud raro adjuto facili opera ab iis, quae proprio Marte descripsit, discernentur.

6. *Codex Gestorum Trevirorum Eberhardo-Clusanus.*

Agmen cogat codex Eberhardo-Clusanus Gestorum Trevirorum, saec. XVI. demum scriptus, nunc Trevir. Nr. 118. [1]) Neminem enim fugere potest additamentum ad Cap. LVIII. de martyrio Cononis a Muellero et Wyttenbach. l. c. pag. 156 — 157. editum, e Sigiberto ad an. 1067. esse descriptum, falso die, III. Cal. Julii, inserto [2]) — Porro quae ab editoribus ad Cap. LXXVI. l. c. pag. 210 — 213. ex hoc codice adjecta sunt, ea partim e Sigiberto ipso ad an. 1106. [3]) partim e Continuatore Ursicampino ad an. 1113. 1115. 1118. 1127. [4]) etc. desumpta esse patet.

---

1) cf. Gesta Trevirorum ed. Wyttenbach et Mueller. Praef. Sect. II. Nr. 2. Nr. XXVI. pag. XXXIX. Archiv. VII. 522.

2) cf. supr. pag. 112. 113.

3) scil. pag. 213. Nonnulla quidem dicta ibi iis, quae Henricus IV. in epistola ad Philippum regem Franciae enarrat (ed. Miraei ad an. 1106.) similia videri possint, neque tamen ex hoc auctorem eam in codice Sig. legisse, pro certo concludi potest.

4) cf. pag. 211 — 213. Lectionibus potissimum an. 1118. cognoscitur, locos, qui ex Anselmo Gemblacensi iisdem fere verbis in Cont. Ursicampinum translati sunt, ex hoc in Cod. effluxisse. Attamen codex editione principe correctior, ut ex hac auctorem descripsisse non credam. Errant porro editores haec ex Aegidio Aureae — Vallis hausta esse putantes, quum hic neque haec omnia afferat, neque cum Cont. Ursicamp. sed cum Anselmo ipso cohaereat. — Loci iidem etiam in Cod. Johannnis Lindeni, compilationem saec. XVII. (cf. Praef. pag. XL. Nr. XXVII. Archiv. VII. 523.) transierunt.

Chronicon S. Bavonis Gandense.

Prodiit nostris diebus Chronicon S. Bavonis Gandense, diu desideratum atque non nisi ex paucis fragmentis hucusque cognitum,[1]) a scrutatoribus vero rerum Belgicarum saepius attactum, citatum et laudatum, a V. D. de Smet, e Codice autographo quondam abbatiae Sancti Bavonis, nunc in Biblioth. Burgundica Bruxellis editum.[2]) — Cum a pluribus prius saeculo XII. adjudicaretur,[3]) nunc sub finem saec. XV. scriptum esse patet,[4]) quamvis usque ad an. 1152. tantum pergat. — Annales sancti Bavonis Gandenses breviores a Pertzio[5]) editi usque ad an. 1151. plane in Chronicon sunt recepti, nonnullis tamen interdum eorum vel in excerptum redactis,[6]) vel amplificatis,[7]) atque plerumque diebus obitus singulorum abbatum Gandensium haud dubie e necrologio adjectis.[8]) Plura sane ex aliis Chronicis Flandricis immixta, rerum autem universalium ordo plane secundum Sigibertum digestus, atque, quod comparatis annalibus ab anno 1112—1152. clarius intelligitur, ex recensione nostri scriptoris Blandiniensi desumtus, in quo continuatoris Sigiberti vestigia tam presse secutus est auctor Chronici, ut fere pro illius codice haberi possit, atque quae V. D. Brial narrationes illas in breve cogendi studio omissa sunt, inde nullo negotio suppleri queant. — Multa vero ibi inveniuntur quae Brial in sua Appendicis Blandiniensis editione ne primis quidem verbis citavit, quae igitur num inde petita sint, non satis constat.[9]) Interest tamen pro nostro consilio quam ma-

1) cf. Warnkönig. l. c. pag. 46—47.

2) l. c. pag. 455—588.

3) scil. ipse adhuc Warnkönig l. c.

4) cf. de Smet introduct. pro XXXIII—IV. cf. ad an. 557. ad an. 747. l. c. pag. 473. . . . ut scribit abbas Spanhemensis (Trithemius) in libro de illustribus Germaniae.

5) Monum. II. pag. 185—191. iterum edit. ap. de Smet pag. 439—451.

6) cf. 613. 618. 629. 631. 660.

7) cf. 47. a Chr. 633. 851. 853. 913.

8) cf. 660. 673. 690. 704. 711. 728. 752. 762. 771. 809. 816. 844. 852. 867. 882. 895. 965. 982. 998. (solum omiss. ad an. 1017. ap. Ereemboldum) 1034. 1066. 1099. 1131.

9) Inter quae sunt plura ex Anselmo hausta, alia minoris momenti, alia quaedam, quae Brial si modo in App. Blandiniensi legit, haud dubie edere debuit, scil. ad an. 1139.: Johannes de Temporibus moritur, qui vixerat trecentis sexaginta uno annis a tempore Karoli Magni cujus armiger fuerat. — Interdum lectiones pravae in Chronico, e Blandiniensi corrigendae scil. illud: Bartholomaeus *ar-*

xime cognoscere, aeque in annalibus usque ad an. 1112. atque in illlis ab an. 1112. omnia signa, quae in recensione Blandiniensi deprehendimus certius etiam observari posse. Nam non solum iidem annalium Aquicinctinorum loci in annis 1149. 1150. 1151. qui in Chronico Blandiniensi exstant, in hoc quoque repetuntur, sed etiam alia eorum vestigia persequi licet, sicut locis an. 1092. 1095. 1131. (vid. sup. pag. 376. 379.).

Cum porro ut textus Blandiniensis, sic Chronicon in universum ad genus Anselmi Gemblacensis pertineat, [1]) tamen in continuatione quoque usque ad an. 1152. praeter ea quae ap. Blandiniensem notavimus, plura leguntur, quae ad textum veterem proxime accedunt: notitia venti magni an. 1135. vel illud

an. 1145. Willelmus puer quidam in Anglia in die Paschae crucifigitur a Judaeis.

an. 1152. Eugenius papa, pace cum Romanis facta, urbem ingreditur.

neque desunt loci ante an. 1112. quos ex insertis Continuatoris Ursicampini excerptos esse constat. cf. ad an. 1079. 1080. infr.

Frequentia porro sunt consensus cum Cod. Orteliano in hoc Chronico indicia. cf. enim praeter illos ad an. 1118. 1137. 1141. 1146. etc. [2]) locos ad an. 1114. de concilio Bellovaci celebrato, 1115. de Tanchelino haeretico, ad an. 1132. de Hugone Gratianopolitano ad an. 1133. de ecclesia S. Mariae Tervanensi dedicata, ad an. 1148. de condito monasterio Camberonensi. cf. porro locum 1076. (Lietbertus — successit) denique locos ad an. 1086. 1105. 1109. quos Codd. Ortel. atque Aquic. communes esse supra pag. 373. 376. diximus. —

Num Continuatio Blandiniensis cum continuatoris Affligemensis additamentis cohaereat, e fragmentis editionis non satis certo perspici potuit. [3]) Locum porro ultimum illius. (Conradus Imperator moritur etc. ex Auct. Affliig. 52.11 1153.) sequuntur in Chronico S. Bavonis nonnulla, fortasse illuc a Brial indicata, quorum haec:

---

chiepiscopus Lugdunensis pro: episcopus Laudunensis ad an. 1150. vid. sup. pag. 384.

1) cf. sup. pag. 384. not. ideo etiam ad an. 1116. illud: Henricus Imperator in Italiam secedit propter . . . haereditatem, *quae sibi jure competebat* obtinendam. cf. pag. 363. cf. porro ad an. 909. pag. 505. ad an. 1042. 1096. etc.

2) vid. sup. pag. 385.

3) cf. sup. pag. 384.

In ecclesia beati Nicolai Braxellae beata Maria multa mirabilia operatur. Ecclesia sancti Bertini conburitur cum omnibus pertinentiis suis, dum matutinorum solemnia agerentur, cum magna parte oppidi . . . .

ex Auctario Afflig. ad an. 1153. recepta sunt. repeti tamen hic quaestio illa potest, non nisi integro Annalium Aquicinctinorum textu inspecto decernenda, utrum ex ipso Affligemensi an per Aquic. haec in Blandiniensem et in Chronicon S. Bavonis sint translata. — Sunt quidem in annalibus usque ad an. 1112. plura, quae vel indolem codicis Lips. prodere possunt,[1]) vel cum illius ad Sig. additamentis ad verbum consentiunt, vel inde excerpta esse putanda sunt,[2]) veluti illud an. 1083. gravissimum: Affligheniense coenobium sumpsit exordium;" attamen in ordine rerum Flandrensium et Gandensium aliarumque quas ab auctore Cod. Lips. allatas esse ostendimus, auctor Chronici haud raro quibusdam notitiis, quae ut nunc leguntur non a monacho saec. XV. demum adjectae esse sed potius auctori vetustiori deberi videntur, abundat,[3]) ita ut, etiamsi forte eum Cod. Lips. usum esse negari non possit, tamen conjecturae illi qua ejus et Chronici scriptori vetus Chronicon comitum Flandriae ad manus fuisse contendimus magna vis acquiratur.[4]) —

1) cf. e. g. locum anni 645. Eodem anno fundatur Fontanella monasterium: similiter et Fiscanum a sancto Wandregisilo anno altero. cum notit. Miraei ad an. 692.

2) cf. locos ad an. 684. 720. 975. 1003. (cum Lips. ad an. 1002.) 1030. 1033. 1063. 1087. cum Lips. 1086.

3) cf. locos ad an. 608. (quem Chronici auctor ex Annalibus S. Bavonis hausit) 610. 40. 65. 74. 77. 98. 772. 870. 944. 1020. (ubi notitiae: secunda incursio Henrici regis in Gandavum: quae in Annalibus S. Bavonis Pertzianis invenitur, in Cod. Lips. additur: Nonis Augusti: in Chronico S. Bavonis (hac temporis definitione omissa) „ubi Cono et Eppo occisi sunt." 1067. 1070. 86.

4) Non minus in Chronicis Elnonensi S. Amandi et Tornacensi S. Martini fragmenta hujus Chronici inveniri possunt. cf. locos Chron. Elnon. 610. cum Chron. S. Bavonis; 616 cum Annalibus et Chron. S. Bavonis; utrumque ad an. 862. an. 878 (Tornacensis ad an. 878. Elnonensi rectior est) 932. (961.) 964.;Torn. 964. cum Chronico S. Bavonis 962. 964; 988 cum Chron. S. Bavonis 988; Elnon. 1003. Obiit Susanna regina cum Chron S. Bavon. 1002.; 1035 ap. utrumque cum Chron. S. Bavonis; Elnon. 1067. 1070. diebus obitus Balduini V. et VI. additis cum loc. sup. cit.; 1093. 1111. — cf. etiam locum Chron. Elnon. ad an. 1121. In villa — coxas: cum Chron. S. Bav. ad an. 1123.

D. DESCRIPTORES GENERIS ROBERTI DE MONTE.

1. *Radulfi de Diceto Decani Lundoniensis Abbreviationes Chronicorum.*

Jam ipse Radulfus[1]) inter illustres historiarum scriptores Sigibertum ab anno 381 — 1100., Robertum Abbatem Michaelis de Monte in Normannia chronica sua usque ad an. 1147. perduxisse testatur, neque possumus, quin eum illa in parte quae res tantum inde a Gregorii M. aetate gestas complectitur Sigibertum[2]) a Roberto interpolatum et continuatum legisse persuasum habeamus, quamvis duobus locis (ad an. 1046. et 1099. vid. infr.) in talia incedamus, quae interpolationes potius Continuatoris Ursicampini redolere videantur. Qua in re cum Radulfus primo Roberti tantum codicem non ultra an. 1147. progredientem cognovisse videatur, memorabile hoc est, quod in alio opere, intitulato: Imagines Historiarum: ad an. 1199. (aetatem scil. scriptoris) producto etiam Roberti Annales descripsit,[3]) ex quo intelligitur, eum postea alteram quoque eorum partem accepisse.

2. *Matthaei Paris monachi Albanensis Historia major Anglorum post conquisitionem Angliae a Duce Normannorum Willielmo.*

Matthaeo inter scriptores rerum Angliae saeculi decimi tertii praecipuum locum deberi quis est, qui nesciat; is vero in prioribus ita a Sigiberto per Robertum continuato pendet, ut Roberti prooemio iniquo modo abutatur.[4])

Nam etsi eum etiam Radulfo[5]) usum esse negari nequit tamen plures apud eum Sigiberti et Roberti loci inveniuntur qui minime ei ab illo suppeditari potuisse viden-

---

1) cf. Hist Anglicanae Script. X. Londini. 1652. col. 431-432.

2) cf. Lappenberg. l. c. II. 385.

3) cf. loc. cit. col. 525. ad an. 1148. Henricus — Karliol. ad an. 1150. Everso monasteriolo — filio suo. Dum Gaufridus — sancti Juliani cum Rob. ad an. 1149. 1150. cf. ad an. 1151. col. 527. Pullulante — revocabat cum Rob. ad an. 1151. ad an. 1155. col. 530. Natus est — baptizavit. ad an. 1157. Terricus — Jerosolimam, cum Rob. ad an. 1155. 1157.

4) cf. idem in editione Willelmi Wats. Londini. 1640. fol. pag. 1.

5) cf. e. g. ad an. 1109. init. l. c. pag. 63. cum an. 1109. col. 501. ap. Radulf. cf. ad an. 1165. pag. 104. ad. an. 1166. pag. 105. Sub eisdem diebus quidam pravi-regno cum Radulf. ad an. 1165. 1166. Imaginum col. 539.

tur.[1]) Roberti Chronicon usque ad an. 1157. prolatum esse dicit[2]) neque verisimile est, eum posteriores Annalium illorum partes legisse. — Ex utroque igitur hoc exemplo, quam diversa fuerint intervalla, quibus Robertus annales suos emiserit, confirmari videtur. —

3. *Matthaei monachi Vestmonasteriensis Flores historiarum ab O. C.* usque ad an. 1307.

His addam vastam Matthaei monachi Vestmonasteriensis compilationem,[3]) quae quamvis posterioris jam sit originis atque non solum Radulfi et Matthaei Paris Annalibus obsecuta,[4]) sed etiam inepta multorum aliorum fontium permixtione turbata,[5]) haud raro tamen Chronici Sigibertani a Roberti editi vestigia continet. Nam et prooemii illius Roberti eadem pars, quae et in Matthaeum Albanensem transiit, ab hoc Matthaeo Vestm. adamata, eo tamen modo descripta, ut ipsum Robertum ab auctore inspectum esse vix dubitare possis, porro inter an. 589. et an. 1066. plura illi quam maxime congrua, quae non aliunde discere potuisse videtur, Sigiberto ipso interdum citato,[6]) recepit atque post an. 1066. nonnulla quibus Matthaeus et Radulfus carent, attulit,[7]) quin etiam interdum in locis Sigibertanis Sigiberti ipsius et Matthaei lectiones connexuisse videtur.[8]) —

---

1) cf. e. g. ad an. 1067. 1073. 1076. etc. ad an. 1156. In pago Pasiacensi — esset cum Radulf. Imag. ad an. 1156. In pago — inventa est: et Rob. ad an. 1156.

2) cf. pag. 96.

3) Francofurti. 1601. fol. pag. 1—458.

4) cf. ad an. 1068. pag. 226. 1095. pag. 234. cum Radulfo ad an. 1068. 1097.; cf. ad an. 1068. lib. II. init. pag. 225. cum Matthaeo ad an. 1067. pag. 5. ad an. 1162. pag. 248. cum Matthaeo Par. ad an. 1162. pag. 98.; cf. infr. ad an. 1084. 1092.

5) cf. de hoc opere nonnulla ap. Lappenberg. l. c. I. pag. LXV—LXVI. Galfridus Monumetensis recte ibidem inter fontes citatus est; excerpta ex eo a Matthaeo desumpta illis Continuatoris Ursicampini non solum longe uberiora, sed etiam ab ejus ratione et chronotaxi plane aliena se praebent. cf. ad an. 390. cum Galfr. V. 12. an. 391. cum V. 14. 392. V. 15. 16. etc. ad an. 689.

6) cf. (ad añ. 450. l. c. pag. 82.) 773. pag. 143.

7) cf. locum an. 1087. Sed et domesticae — efficiuntur cumSig. ad an. 1086.

8) cf. locum an. 1080. ap. Matth. Par. pag. 11. ap. Matth. Vesmonast. pag. 228. cum Sig. loc. an. 1087. pag. 13. et pag. 231.

Illis, quibus peculiarem dedimus operam, jam aliorum quorundam scriptorum notitiam adjicere liceat, qui vel pro aetate sua ad textum Sigiberti emendandum nonnihil momenti habent, et diligentiori adhuc illustratione critica egent. — Nomino inter hos primo loco *Andream* e Monacho Aquicinctino Priorem *Marchianensem*,[1]) quem si integram ejus editionem a Raphaele Beauchamp. Duaci 1633. editam nancisci potuissem, ipse libenter accuratius perlustrassem. — Cum vero nihil praeter excerpta Coll. script. rer. Francogall.[2]) in quibus ipsi loci Sigibertani vel omissi vel decurtati sunt, mihi oblatum esset, in eorum judicio, qui eum Sig. a Gemblacensibus continuatum descripsisse pro explorato habent, acquiescendum erat, quod quidem nonnullis fragmentis ab eis allatis confirmari videtur.[3]) Exstant quoque apud eum plura cum Annalibus Aquicinctinis consona[4]) quae cum Editores script. rer. Francogall. Andream jam circa an. 1194. opus suum clausisse, atque id Petro I. Atrebatensi Episcopo († 1203) dedicasse referant, digna sunt, quae ap. integrum anctorem denuo requirantur. — Idem nobis accidit in *Balduino*, quem *Canonicum Praemonstratensem Ninoviensem* Chronicon usque ad an. 1293. perduxisse atque in hoc opere Sigibertum Anselmum Gemblac. eorumque Continuatores usque ad au. 1163. duces habuisse, Editores script. rer. Francogall. docuerunt.[5]) Hujus tamen textum integrum a Carolo Lud. Hugone inter Monument. sacr. antiqq. Tom. II. editum legère mihi non contigit. — Inter fragmenta, quae illi Excerptis e variis Chronicis intruserunt[6]), loci vel e Sigiberto ipso[7]) vel e Continuatione Affligemensi[8]) desumpti leguntur. — Porro multis

1) de quo cf. Bouq. XIII. Praef. pag. XLI. Warnkoenig l. c. pag. 54.

2) cf. Bouq. X. 289. e libro II. et III. Bouq. XI. 364. XIII. pag. 419. denique ab anno 1180. usque ad an. 1248. ad quem ab alio continuatum esse tradunt. XVIII. pag. 555. sq. —

3) cf. Bouq. XIII. pag. 420—421.

4) Ipsi Editores l. c. pag. 421. Godeschalcus Episcopus Atrebatensis infirmitate corporis gravatus, Episcopatum dimisit etc. (Vide Auctar. Aquicinct. ad an. 1164.) ap. Miraeum pag. 220. cf. pag. 423. supr. cum Annal. Aquic. ad an. 1178. ap. Mir. pag. 230. cf. utrumque ad an. 1187. ap. Bouq. XVIII. 539. 556. (1021. ibid. 552. 558.)

5) cf. Bouq. XIII. Praef. pag. LXXVIII. Warnkoenig. pag. 55.

6) cf. ad an. 1128. Bouq. XIII. 732. 1137. pag. 734. 1142. pag. 735—36.

7) cf. ad. an. 1018. Bouq. XI. pag. 417.

8) cf. ad an. 1158. XIII. pag. 738. ab init. — ceperunt. cum Auct. Affligem. ad an. 1157. l. c. pag. 214.

persuasum esse videtur, Sigibertum inter fontes *Hermanni Corneri* fuisse, quamvis vel post diligentissimas[1]) V. D. Lappenberg curas de singulorum hujus scriptoris in citandis fontibus non solum levissimi, sed etiam fallacissimi locorum origine certum aliquid statuere difficillimum sit. — Citat quidem Sigibertum plurimis locis quibus nihil est cum rebus ab illo expositis commune, sicut ad an. 806. 810. 811. 814. 818. 822. 823. 825. 830. 835. 840. 846. 851. 855. 862. 865. 870. 888. 896. 97. 98. 923. 932. 935. 939. 940. 966. 974. 985. 1001. 3. 5. 10. 25. 41. 52. 53. 54. 56. 1060. 65. 71. 1073. 90. 1108. 1111. 1113. — Cum porro ipse Vincentium inter praecipuos fontes suos enumeret,[2]) non possumus, quin multos illos locos, quos e Sigiberto citat, si iidem jam ap. Vinc. exstant, ex hoc potius desumtos esse statuamus, atque pauca tantum, quae a Vincentio intacta sunt, ei ipsi adscribenda censeamus, nisi plena fontium ejus cum editorum tum ineditorum perlustratio eos aliunde fluxisse probet. Tunc etiam discerni poterit, utrum dicto illo ad an. 1114: Sigibertus... obiit „cujus scriptis frequenter in opere praesenti usi sumus"[3]) scriptor tantum se fragmenta Sigibertana ex aliis recepisse testari an ipsum librum sibi cognitum fuisse affirmare voluerit. — Addo denique *Magnum Chronicon Belgicum*[4]) quod, etiamsi — ut in tam vasta compilatione fieri solet — nonnulla fragmenta Sigibertana continet, quae apud alios descriptores hoc modo non invenimus, atque propter hoc nonnullis locis a nobis citari quidem possit, tamen per aetatem suam magni momenti ad textum Sigiberti emendandum vix esse potest, atque propter variam fontium collectionem et res partim notatu dignissimas partim ab eo solo tactas singularem adhuc requirit inquisitionem. —

III. TEXTUUM VETERIS ET MIRAEI CASTIGANDORUM PERICULUM FACTUM.

Cum jam, continuatoribus digestis et descriptorum aliqua recensione facta, id agatur, ut opes nostras ad emendandum Si-

---

1) cf. ejus disquisitionem Archiv. VI. 584—624.
2) Prooem. ap. Eccard. II. 431.
3) l. c. pag. 657.
4) ap. Pistor. Scr. III.

giberti textum adhibeamus primum nostrum est, indicare quot sint ordines locorum in quibus Miraei et editionis principis textus discrepent. Sunt igitur, qui sequuntur.

1. Loci in textu Miraei majusculis litteris impressi, itaque in Cod. Gembl. vetustissima manu scripti, qui in ed. princ. desunt.

2. Loci in textu Miraei minusculis litteris impressi, itaque e Miraei judicio ab alia manu recentiori Cod. Gembl. additi (omissis quidem omnibus, qui ab ipso Miraeo Codd. Lips. Ortel. et Aquic. adscribuntur) qui in ed. princ. desunt.

3. Loci editionis princ. qui apud Miraeum desunt.

4. Loci editionis princ. qui apud Miraeum litteris minusculis exstant. —

Si — quod nonnulli affirmare videntur — Codex Gemblacensis integrum atque unicum est Sigiberti autographon ab alio nemine unquam scriptum, omnes loci primi ordinis sunt Sigiberti, omnes tertii ordinis alieni. — Cum vero haec codicis auctoritas nondum sit argumentis sufficientibus confirmata certius ea meliusque non potest dijudicari, quam si singula haec et discernantur et examinentur. – In quo cum non sit, qui non intelligat, descriptores Sigiberti nulla adhuc continuatione aucti plurimum afferre adjumenti, ea vero horum opera, quae nobis conferre licuit, vel breviora sint vel non satis excerptis Sigibertanis repleta, opem petamus necesse est a testimoniis textus Roberti de Monte ipsius ab an. 1100. et descriptorum Chronici Sigibertani ab illo continuati, praesertim cum hic auctor quae genuino Sigiberti operi addiderit, ipse in universum indicaverit, et his quidem, quae editor satis mediocri cura distinxit, selectis locos nostrorum ordinum, qui prorsus iidem apud eum inveniuntur non sine veri quadam specie ipsi Sigiberto adscribere possis. — Quare cum Anonymum Cisterciensem e continuatoribus Gemblacensibus plura recepisse viderimus, quaeritur utrum in redigendo ipsum textum a Gemblacensibus instructum, an genuinum secutus sit. Si eum ante an. 1113. textum Gemblacensem plane vel ignorasse vel neglexisse demonstrari possit, non erit, cur quarti ordinis locos non ipsi Sigiberto adjudicare possis. – Cum vero haec quaestio cum priore tam arcte cohaereat, ut illa non soluta vix proponi possit, de his quoque e descriptoribus textus puri vel a Roberto continuati judicium fiat necesse est. — Nihilominus etiam testimonia textuum Gemblacensis et Cisterciensis generis, quorum et dicta et defectus maximi haud raro sunt momenti, semper afferentur, atque alia argumenta critica, quae quidem nobis praesto sunt, non negligentur. —

A. Loci in textu Miraei majusculis litteris impressi, qui in editione principe desunt. —

1. Horum plurimi sunt haud dubie Sigiberti, et quidem *nonnulli a Continuatore Ursicampino de industria omissi vel immutati.*

scil. loci rerum Britannicarum in prooemio: Britanni — excutere potuerunt; ad an. 446. Germanus — contra Anglos confligunt; ad an. 632. Eduinus Rex — concutitur: quorum loco is fabulas e Galfrido Monumetensi inseruit. cf. infr. locus an. 556. . . . et Suessionis sepelitur: quem multis amplificasse videtur. cf. infra.

deinde catalogus Pontificum ad an. 946. 959. 967. 973. 981. 989. 998. 1001. 1009. 1017. 1025. de quibus cf. supra ap. libellum de gestis Abb. Gembl. pag. 271—274. cf. Tractat. de investitura. l. c. pag. 232. ubi Clemens (II.) 146. vocatur. Reneri Vitam S. Wolbodonis l c. pag. 183. qui ad an. 1021. Benedictum 144. Papam praesedisse refert. — Alberici Chron. ad an. 948. 954. 978. 988. 997. 1002. 1007. Chron. S. Bav. ad an. 946. 959. 967. — Utrum Orderici Vitalis locus lib. V. pag. 367. Florentium Wigorniensem magis an Sigibertum redoleat, dubius haereo, neque liquet e Radulfi de Diceto ad an. 978. „Stephanus Papa" Robertum de Monte Sigiberti catalogum retinuisse, quum et ille Florentio usus sit. —

(His adnecto locum Miraei ad an. 1047. ante nomen: Damasus: *Poppo*, *qui et*: ad an. 1048. post nomen: Leo: *Nonus hujus nominis Papa* et ad an. 1055. coll. cum textu vet. ad an. 1054. cf. Alberic. ad an. 1047. 1048. Chron. S. Bav. iisdem annis.

Denique his subjungi possint numeri omnium Paparum in Cont. immutati atque numerus annorum mundi de quo supra ap. libr. Decennalem).

2. Porro sequuntur plura, quae et pro ratione sua, vel pro fontibus, ex quibus hausta esse constat, vel pro testimoniis descriptorum Sigiberto ipsi sine dubio adscribam, quamvis argumentorum vim, quae pro eis jam afferri possint, non semper parem esse concedam. —

477. Hildericus — devastat: e Gestis reg. Francor. 803. Nicephorus — vincitur ex Hist. misc. XXIV. 5; — 837. Gregorius — restaurat. ex (Anastasii) Vit. Pontif. l. c. pag. 211. sq. ap. Struv. plane omissum, quamvis et ap. Alberic. *et ap. Helinand.* inveniatur; 859. Probus — illustravit ex Annal. Fuld. ad an. 859. cf. Alberic. ad an. 858.; 891. Ab hoc tempore — orditur: cum e more Sigiberti, tum ex testimoniis *Radulfi de Diceto*, Alberici, Chronici Turonensis, Helinandi ei ipsi vindicatur.

907. post: injuste exordinavit: *et injustius reordinavit e Liudprando I.* 8. cf. Alberic. *Helinand.* Vinc. Bell. XXIV. 58. Chron. Turon. col. 980.; 920 post: inflexit. addens — inflexit: *e Liudprando II. et Widukindo I.* cf. Alb. 920. *Helin. pag.* 121.; 921. *post Vvatizlaum Vvenceslaus filius ejus:* qua lectione recepta locus nisi plane, certe aliqua ex parte corrigitur, et conjectura Dobneri (cf. Waitz: Heinrich I. pag. 146) quod ammodo confirmatur. Eam ipsius Sigiberti esse, hoc potissimum, ut credam, adducor quod continuatores ejus non tali eruditione qualem hujusmodi correctio postularet praeditos fuisse existimo. Apud Helin. et Vinc. XXIV. 63. locus sec. text. vet. ap. Albericum sec. Miraeum invenitur; vide Magn. Chron. Belg. ap. Dobner l. c. 931. Hubaldus — obiit. cf. lib. de script. eccles. Cap. 107. Chron. Lob. l. c. col. 1415. Elnonense S. Amandi ap. Mart. l. c. col. 1395. Alb. ad an. 931. ap. Chron. S. Bav. auct. et immutat.; — 961. Sanctus Udalricus — Germania cf. Alber. ad an. 961. Chron. Lob. ad an. 960. cf. locos Sig. ad an. 893. 976. —

1081. Moguntia — conflagravit. e Mariano Scoto ad an. 1081. cf. Alberic. Chron. S. Bav.; — 1084. his qui pro — et cetera id genus. locum gravissimum, ap. Struv. plane omissum quem cf. sup. pag. 133. Inique eum adhibuit *Matthaeus Paris*, dicens: ac juste *omnes* Hildebrandum fuisse depositum acclamant,: quem secutus est Matthaeus Vestmonasteriensis. cf. *Helinand.* Alber.; — 1092. Vestfali — perimuntur. cf. Chron. S. Bav. Alber. 1112. Mense Majo siligines — et mortalitate cf. *Robertum de Monte* quamvis jam ad an. 1113. l. c. pag. 748. atque etiam a regula locis an. 1100 — 1112. sup. pag. 391. a nobis praescripta excipiendus, eo magis Sigiberto vindicari potest, quo certius non solum ap. Albericum sed etiam ad an. 1112. ap. *Helinandum Vinc. Bell. XXVI.* 11. Chronicon S. Bavonis ad an. 1113. invenitur. (cf. eum praeterea in interpolationibus Willelmi Procuratoris ad Chron. Egmondan. l. c. !. 1. pag. 65. de quibus in univ. vide ibid. pag. XXIX — XXXI). unde — quod etiam nonnullis aliis locis modo enumeratis contendere licet — magis editoris primi, quam continuatoris Usicampini negligentia excidisse videtur. —

---

3. His adnectimus notitias rerum Gemblacensium ad an. 948. 954. 958. additamenta ad locos utriusque textus ad an. 921. 962. 987. 1012. 1014. 1110. a nobis sup. pag. 275 — 277. in rubrica 2. congesta, atque jam satis disputata. Descriptorum testimonia non sufficiunt (cf. pag. 278. not. 1.). Apud Matthaeum Vestmonast. ad an. 962. „sanctus Wibertus Gemblacensis coenobii fundator, migravit ad Christum" ex quo nihil

concludi potest. — Ap. Helinand. pag. 121. 12'. 132. loci ad an. 921. 962. 987. ap. Vinc. XXIV. 63. 86. loci ad an. 921. 962. sec. text. vet. leguntur. — In Historia Monasterii S. Laurentii Leod. l. c. col. 1080. locus an 1110. sec. text. Gemblac. invenitur; ap. Albericum ad an. 921. 962. 1014. ad modum text. vet. ad an. 948. 954. ad an. 1110. sec. text. Miraei:' Locus an. 921 nonnullis additamentis repletus in Chron. brevi Leod. ap. Mart. Thes. III. e Ms. Aureae-Vallis, idemque ap. Aegidium Aureae-Vallis Cap. XLI. pag. 171. Locus anni 957. in Chron. Lobiensi ap. Mart. l. c. col. 1415. ex alio fonte haustus esse videtur, unde in Chron. Leod. ap. Labbe I. 335. transiit.

Quibus subjungo quasdam rerum *Leodiensium, Coloniensium et Mettensium* notitias. quibus quidem, quominus Sigiberto adjudicentur, praeter defectum in text. vet. et descriptoribus ejusd. et text. Roberti de Monte, quantum quidem a nobis inspecti sunt, nihil obesse videtur. Causa nobis erat, eos ab aliorum ordine secludendi, quia ad ecclesias et Sigiberto ipsi et Gemblacensibus proximas pertinerent, quam ob rem vero aeque a continuatoribus aliis omissi ac a Gemblacensibus additi esse possunt. — cf. ad an. 960. post: aedificantur: Inter quos — Martini Episcopi: ex Anselmo Leod. Cap. XXI. cf. Alber. Chron. S. Bav. ad an. 960; 1073. Herimannus — Episcopus. Alber. Chron. S. Bav. ad an. 1073.; 1075. Deoduinus — succedit. Alber. ad an. 1075. amplif. Chron. S. Bav. 1075; 1089. Coloniae — Archiepiscopus. Chron. S. Jac. Leod. Alb. Chron. S. Bav.; 1090. Herimannus — invenitur. Alber. 1090. pag. 138. 1091. Bonae memoriae — succedit Alb. Chron. S. Bav. 1091.; 1099. Coloniae — Archiepiscopus. Chron. S. Jac. Leod Chron. S. Bav. —

4. Denique me converto ad acta annorum 1105., 1106., 1111. maximum illud inter editiones principem et editionem Miraei discrimen, atque hucusque inexplicatum.

a. ad an. 1105. Excerptum epistolae directae Heinrico Imp. a Guarnero Principe Anconitano — quod quidem continet narrationem de Maginolfo Archipresbytero, Antipapa contra Paschalem Papam electo sub nomine Sylvestri IV. Eum ad Uvarnerum Principem Anconitanum in Tiburtinam urbem adductum atque IV. Non. Novembres (1105) electum atque in sedem Apostolicum promotum esse, ibi legimus. — Paschalis papa, quamvis consilium ipsius ab eo, quod ex epistola quam text. Sigib. Miraeanus affert elucet, maxime sit diversum eandem tamen rem enarrare videtur in epistola data Lateranis VI. Cal. Oct. (cujus, nisi — ut nos suspicamur — dies

falsus est, annus necessario est 1106. [1]) Diem IV. Non. Novbr. Chronicon Fossae Novae [2]) confirmare videtur, quod ad an. 1105. Marchionem venisse Romam . . . et elegisse *Adinulfum* in *Lapam* (Papam) Silvestrum ad Sanctam Mariam Rotundam *infra Octavam Sancti Martini* enarrat. — Quod in fine loci illius text. Mir. additur:

> Paschalis Papa interim transiens ad Gallias, [3]) exercet synodales causas, et non apparente nota simoniae, a Romanis sibi injuste injecta, honoratur Apostolica dignitate. At Maginolfus invasionis reus. non multo post reprobatur a Romanis, et fama nominis ejus evanuit:

id non solum dubito num ex epistola Guarneri fluxerit, sed etiam in hoc haereo num Sigibertum ipsum strenuum Paschalis Papae adversarium deceat. — Ceterum excerptum illud epi-

---

1) in Cod. Udalr. Babenb. Nr. 239. ap. Eccard. II. col. 258.: Paschalis Episcopus servus servorum Dei, Episcopis Abbatibus, Principibus militibus et omnibus fidelibus per universas Gallias salutem et Apostolicam benedictionem: Fraternitatem vestram latere nolumus, quae *his temporibus* (?) apud nos acciderunt. Venit quidem Wernerius Regni Teutonici famulus in Romanae urbis vicina evocantibus eum quibusdam perfidae mentis hominibus. . . . Talibus sociis *presbyter* quidam Romanae urbis advena se conjunxit, de quo vel ubi vel hactenus ordinatus sit ignoramus. Hanc personam egregiam nigromanticis, ut dicitur, praestigiis plenam. cum fideles nostri occasione trengae Dei ab armis omnino desisterent in Lateranensem Ecclesiam induxerunt, et congregatis Wibertinae fecis reliquiis ei Episcopi nomen pernitiosissime illeverunt. Nos vero tunc temporis propter Apostolicae Basilicae dedicationem quam die proximo in conventu celeberrimo per Dei gratiam peregeramus, *adhuc in beati Petri porticu morabamur.* — *Cum vero intra urbem die altero rediissemus,* monstrum illud turpiter ex urbe profugiens, quo transierit, ignoramus.

2) cf. Ughelli Italia sacra l. c. ap. Muratori: Annali d'Italia. vers. germ. VI. 537. Cum ex hoc loco tum ex epistola Paschalis electionem illam Maginulfi mense Novembri an. 1105. fuisse confirmatur, quia anno 1106. Paschalis jam die octavo mensis Octobris Mutinam pervenit, die vigesimo secundo ejusd. mensis Guastallae concilium habuit. — Patere videtur, narrationem Ekkehardi Uraug. ad an. 1106. Vernherum collectis undecunque per Italiam copiis, corruptis quoque multa pecunia Romanis nonnullis, dum dominus Apostolicus Beneventanis immoraretur finibus, quendam pseudoabbatem de Fafara cathedrae S. Petri imposuisse, et ipsum Papam Caesaris sub vocabulo Sylvestri appellari voluisse, falsam, atque verisimiliter e confusione electionis illius Maginolfi anno 1105. et seditionis cujusdam, Abbate Farfensi socio Romae factae (cum Paschalis jam e Galliis redux factus in Apuliam iter instituisset de qua cf. Pandulphi Pisani Vitam Paschalis ap. Muratori Tom. III. P. 1. pag. 356. Baronium XII. 64. Muratorii Annales (l. c. pag. 544. ad an. 1108.) exortam esse.

3) scil. circa finem an. 1106. vide not. 2. Natale Domini ejusd. anni Cluniaci celebravit, habuit anno 1107 Trecis Concilium vid. sup.

stolae neque in Roberti annalibus, neque in descriptoribus Sig. a nobis perlustratis, nisi ap. Alberic. ad an. 1105. invenitur.

β. Famosissima est epistola illa, qua Henricus de injuria sibi ipsius filii perfidia illata apud Philippum regem Francorum acerrimis verbis conqueritur. — Sigibertum — quod etiam locis textus Roberti et veteris confirmatur — epistolam illam legisse constare, jam diximus[1]) textus vero ipse qui ap. Miraeum legitur, solum ap. descriptores textus Gemblacensis invenitur.[2]) — Consentit quidem textus in universum cum aliis editionibus epistolae, nisi quod in illis finis totius epistolae[3], quo Henricus Philippi et consilium et auxilium implorat et qui ap. Miraeum desideratur exstat.[4]) —

---

1) cf. pag. 131. cum nota 4.

2) cf. quaedam vestigia epistolae in Hist S. Laurent. Leod. col. 1079 — 1080. alia ap. Aegidium Tom. II. pag. 46. plenam descriptionem ap. Albericum ad an. 1106.

3) Contulimus praeter Albericum editiones ap. Cod. Udalr. Babenb. Nro. 216. ap. Eccard. II. col. 222. ubi perperam inscripta est ad Ludovicum Regem ap. Urstis. I. pag. 396. Baronii Annales eccles. XII. pag. 44 — 45.
Lectiones Miraei is, qui epistolam critice edere velit, haud dubie interdum praeferet. — Eo potissimum differt textus Miraei ab illo Cod. Udalr. quod ibidem pro dicto Mir. pag. 173 — 174. coronam, *crucem*, lanceam, *gladium* misi Moguntiam: ap. Eccard. pag. 224. lin. 32. . . . coronam, *sceptrum chlamydem*, lanceam et *gladium* misi Mog. ap. Urstis. vero pag. 397. lin. 39. coronam, *sceptrum*, *crucem* lanceam *gladium* misi Moguntiam: legitur, cum qua lectionis diversitate mire cohaeret, quod imperator ipse in epistola ad filium in Cod. Udalr. Nr. 214. col. 221. ait: In captione vero . . . etiam lanceam et chlamydem et omnia regalia insignia . . . extorsisti dum ap. Urstis. pag. 398. in ejusd. epistolae editione: in captivitate vero . . . ut lanceam et *crucem* et omnia regalia insignia . . . extorsisti. — Lectio Urstisii commendatur consensu cum epistola Henrici ad Hugonem Abbatem Cluniacensem ap. d'Acher. III. 442. ubi „crucem et lanceam cum aliis insignibus . . . tradiderunt," et cum Ekkehardo Urangiensi ad an. 1106. pag. 188. „regalia vel imperalia insignia, *crucem* scilicet et lanceam, *sceptrum*, *globum* atque coronam filii potestati tradidit." — Num gladium, ut ipse Philippo scribit, tradiderit, Annalium Hildesheimensium, ad an. 1106. eum *gladium* et diadema, quae sola adhuc secum tulerit insignia moriturum filio misisse referentium, testimonio dubium redditur. — Locus, qui in aliis epistolae textibus exstat post: purgarem (Mir. pag. 174. lin. 19) sive: expurgare (m): „et in quo culpabilem me (esse) recognoscerent, ex consilio omnium sanioris sententiae poenitentiam et satisfactionem, quo ordine juberent quaerere (m)" solum in Miraei editione omissus esse videtur, quum etiam ap. Albericum l. c. pag. 203 — 204. exstet.

4) Nam pro loco Miraei: postea Leodium veni, in quibus locis viros

Non est, cur in singula tristissima Henrici imperatoris dicta inquiram atque, num ira stimulante atrocissimum filii scelus superlationibus adhuc auxisse censendus sit, subtiliter ponderem;[1]) in hoc me potius contineo, ut cum Guilelmo Malmesburiensi, qui res aetatis suae sagaci observavit animo,[2]) fatear „Henricum IV. fato quodam ab omnibus ita impetitum esse, ut rem religionis tractare sibi videretur, quisquis in illum arma produceret." —

γ. Magis mira condicio textuum est in actis Henrici V. Romanis anni 1111.; nam in his non solum plura desunt in editione veteri et Annalibus Roberti de Monte, quae ap. Miraeum exstant, sed manifestum consensus textus veteris et Roberti documentum eo continetur, quod in nonnullis plane consentiunt quae ap. Miraeum omissa, quibusque illic alia substituta sunt.[3]) Videamus de singulis. — Afferunt omnes textus ad an. 1111. locum: Henricus — proterebat: quo rex Romam ad componendam de jure investiturae litem petiisse traditur, atque id, in quo cardo hujus rei vertebatur, paucis distinctisque verbis additur. His, quae haud dubie Sigiberti sunt, notitiam encyclicae illius Henrici V. epistolae, qua is, quae Romae (mense Febr. anni 1111.) perpetrarit, coram populis Christianis excusare studuisse videtur,[4]) jam inesse supra significavi.[5])

Pergit vero post: proterebat: textus Miraei:

---

fideles inveni: in aliis text. „postea Leodium veni, in quibus locis viros fideles et in fide regni semper constantes inveni. Horum caeterorumque regni fidelium — extirpare.

1) cf. epistolam Henrici Imperatoris ad Hugonem Abbatem Cluniacensem. e contra Ekkehard. Uraug. ad an. 1106. et alia, quae Stenzel I. pag. 590. sqq. critice digessit.

2) lib. III. fol. 64. 2.

3) cf. supra pag. 392. cf. brevem narrationem adhibitam ap. Radulfum de Diceto, Matthaeum Paris, unde ap. Matthaeum Vestmonast.; ap. Helinandum, Vinc. Bell. XXVI. 10.; longam Miraei ap. Albericum ad an. 1111. l. c. pag. 212—218. Magn. Chron. Belg. pag. 137—139.

4) Sic in Gestis Alberonis archiepiscopi Trev. a Balderico ejus domestico conscriptis (de quib. Archiv VII. 519.) ap. Mueller. et Wyttenb. Tom. I. Cap. 79. pag. 219. „ex epistola a rege Heinrico, *Roma redeunte*, per universum regnum transmissa."

5) cf. pag. 131. cum not. 5. cf. locum Sig. Rex uti volens — Apostolicis: cum encycl. ap. Pertz. Monum. IV. 1. pag. 70. lin. 21. „Regno nostro a Karolo trecentis et eo amplius annis et sub 63 apostolicis investituras episcopatuum eorundem auctoritate et privilegiorum firmitate tenenti absque omni audientia volebat auferre."

Quid vel quomodo inter papam et Regem convenerit, cum multa a multis dicantur hoc tantum a nobis dicetur quod *in epistola ab ipso Rege scripta* legimus:

Atque re vera omnia fere quae sequuntur usque ad verbum: *negotio*: pag. 177. lin. 37. ex actis huic encyclicae insertis sunt desumpta, atque in quandam rerum ordinem contextumque etsi historicum non sine errore, tamen non sine studio et acumine digesta. Quae encyclica cum post plures veterum scriptorum editiones [1]) jam a Pertzio nostro multis criticis subsidiis et ipso Sigiberto uso, [2]) in accommodatum ordinem redacta sit, [3]) secundum hujus textum singulas partes narrationis Miraeanae distinguere suisque locis assignare atque quae illi propria sint, indicare sufficiens duximus. —

Cf. cum loco Miraei pag. 176. lin. 24 — 32. *Instabat — Quinquagesimae* encyclicam ap. Pertzium pag. 70. lin. 21 — 30.; *omnia regalia* — lin. 37. *castra* e promissione Paschalis Papae praevia ap. Pertz. pag. 67. lin. 13 — 17. *Hanc conventionem in charta descriptam Regi dedit: hoc addens quod* —

---

1) scil. ap. Dodechinum l. c. ad an. 1110. et in Cod. Udalr. Babenb. (qui exemplum „Parmensis ecclesiae capitaneis, clero et pop." directum nactus esse videtur) l. c. Nr. 261. 262. 263. col. 269 — 271. turbato ordine, rectius in Gestis Alberonis Archiep. Trev. l. c. pag. 219 — 224.

2) Acta ab Henrico encyclicae suae inserta Pertz plerumque locis historiae e Cod. Vaticano 1984. editae inseruit. Historiam illam quam a clerico Romano teste oculato posteritati traditam esse constat (cf. pag. 73. in fin.) longe ante Baronium (XII. pag. 73.) jam Nicolaus Cardinalis de Aragonia in Vita Paschalis II. integram edidit ap. Murator. Script. III. 1. pag. 360 — 363. atque iisdem actis usus est Petrus Diaconus in Chron. Casin. IV. 35 — 40. ap. Murator. IV. pag. 513 — 19. inter quae media gravissima ap. eum additamenta inveniuntur, scil. „*Henricum Papae stratoris officium exhibuisse.* pag. 516. — Hi igitur uberi fontium catalogo ap. Pertz. addi possunt; his jam Stenzel usus est, ad cujus narrationem (I. 632 — 645) lectores relegatos velim.

3) De uno tantum dubito, num Heinrici regis promissionis formula, ab illius legatis Romae die quarto vel quinto mens. Febr. cum Papae legatis pacta (cf. pag. 66. lin. 21.) ex ipsis illis actis Vaticanis desumpta (cf. ap. Stenzel I. pag. 633 not. 26. II. pag. 316) encyclicae etiam Henrici re vera inserta esse putanda sit, cum tam ap. Dodech. et Udalr. quam ap. Gest. Trev. desit, neque in Sigib. text. Miraei ejus certum exstet vestigium, porro legatorum regiorum jusjurandum in actis Vaticanis huic promissionis formulae adjectum (vid. pag. 67. lin. 2.) in omnibus encyclicae textibus illud Petri Leonis legati papalis sequatur. Hinc mihi suspicio nascitur, Henricum callidum violenti facinoris, quod ipse perpetraverat patronum ac defensorem populis suis promissum id „*se non fore in facto*, ut dominus Papa . . . capiatur mala captione" . . . cui tam infideliter steterat reticere in animo habuisse.

pag. 177. lin. 1. *adjuvaret* ex ead. prom. l. c. lin. 17—20. *Pro his omnibus implendis Papa Regi obsides dedit*: excerptum ex eadem prom. et juramento Petri Leonis. l. c. lin. 21—32.; pag. 177. lin. 2. *Internuntii — refutaturum* ex encycl. textu pag. 70. lin. 32—35.; *Hac spe promissionum Regi Romam tendenti Paschalis Papa primo per suos, postea ipse cum primoribus Romanorum extra urbem occurrit, nullamque causam resistendi ostenderunt.*" cujus narrationis vestigia in encyclica — qualis quidem nobis superest — non inveniuntur. Quae auctor enarrat, actorum Romanorum ab aequali quodam scriptorum testimonio partim confirmantur, partim refutantur. Paschalis enim legatos quidem ei praemisit,[1]) ipse vero eum in superioribus S. Petri gradibus exspectabat; [2]) pag. 177. lin. 7. *Vix civitatis — promulgavit* ex encycl. text. l. c. pag. 70. lin. 36—41. pag. 177. lin. 14. *Ego Heinricus — volo* scil. Henr. decret. de bonis ecclesiar. l. c. pag. 68. lin. 42—44., lin. 18. *Hoc decreto — erat.* ex encycl. pag. 70. lin. 42—44; lin. 19. *Ipse etiam Rex — erat*: e procerum regni juramento. cf. l. c. pag. 67. lin. 2—7. Auctor noster ad modum encyclicae ipsius, qualis ap. Udalricum, *Dodechinum* et in Gestis Trev. editur, propius accedens „*quarta vel quinta feria*" eo loco legit, quo in Actis Romanis solum: *quinta feria*;[3]) lin. 23. *Cum ergo Rex — proferre* ex encycl. pag. 70. lin. 45—49.; lin. 28. *ne sacerdotes — negotio* e privilegio Paschalis l. c. pag. 68—69. adscita tamen ab auctore loci Miraeani (vid. lin. 35.) formula promissionis praeviae Paschalis „*et privilegio sub anathemate confirmabit*, ne posteri sui inquietare praesumant," quam papa in privilegio callide ita mitigavit: „*Set nec posteris liceat* qui post nos in apostolica sede successerint, te aut regnum super hoc inquietare negotio." Ultimum privilegii dictum: Porro — reddituri: ut Udalrico[4]) sic nostri auctori ignotum fuisse videtur. —

1) cf. Pertz. pag. 68. lin. 12. Altero die obviam ei domnus papa *misit* in montem Gaudii, qui et mons Malus dicitur . . . quae lectio Chronici Casinensis (IV. 38. pag. 514. infr.) accuratiori relatione et Baronii testmonio contra illam Card. Arag. pag. 361. . . . Altero die obviam *venit* ei domnus Papa. Misit in montem Gaudii . . . defenditur.

2) cf. Pertz. et alios actorum Vatic. editores l. c.

3) cf. Pertz. pag. 67. lin. 3. Chron. Cas. pag. 513. dext. Card. Arag. et Baron. l. c.

4) vid. Pertz. pag. 69. not. b. cf. tamen ap. Dodechinum et Gesta Trev.

In enarrandis rebus mense Aprili anni 1111. inter Imperatorem et Papam gestis haec inter textum Roberti de Monte et veterem et textum Miraei ratio intercedit, ut ap. illos his verbis initialibus:

In reconciliatione autem, quae facta est inter imperatorem et papam (nam ipsum papam cum episcopis et cardinalibus ceperat) *die paschae*, Henrico in imperatorem coronato post lectum evangelium tradidit ei papa ante altare apostolorum Petri et Pauli in oculis omnium principum privilegium de investitura episcopatuum vel abbatiarum tam per annulum quam per virgam:

excerptum e privilegio illo (scilicet — pertinuerit)[1]) addatur, eique narratio missae Romae a Papa Paschali celebratae subnectatur, contra ap. Miraeum ipsis illis verbis: In reconciliatione autem — ceperat: allatis narratio sic continuetur: *hoc fuit juramentum Regis*: atque tam eodem excerpto[2]) quam juramento Papae edito[3]) atque omissa solum notitia: *die Paschae:* idem illud: Henrico — virgam: quod in utroque textu: legatur, eique integro privilegio, quod Paschalis Papa Imperatori tradidit,[4]) subjuncto in loco textus utriusque de missa (Confirmatio — Indictione IV.) narratio claudatur.

Jam in iis, quae utrique textui communia sunt, ve-

---

1) cf. Pertz. pag. 72. lin. ult. — pag. 73. lin. 2.

2) cf. idem integr. ap. Flor. Wigorn. ad an. 1111. Guilelm. Malmesburiens. V. fol. 94. Chron. Cas. Cap. 40. Card. Arag. Baronium l. c. Pertz pag. 72. (ap. quem cf. cum text. Mir. lin. 10. 13—14) cum nominibus jurantium. Stenzel. pag. 642—643. Not. 41.

3) cf. idem ap. Flor. Wig. Guilelm. Malmesbur. Cod. Udalr. Babenb. Baron. cum nomininus jurantium, sine bis ap. Card. Arag et excerpt. ap. Chron. Cas. Cap. 40., quae cum in Actis Vaticanis deessent, Pertz ex Udalrico et Cod. Cottoniano supplevit. pag. 72. — Variat numerus et ordo episcoporum et cardinalium subscriptorum Pertz. affert XVI., dum ap. Sig. text. Mir. tantum XV. fuisse memorantur. — Ipsa conventio Papae III. Idus April. III. feria post octavas Paschae extorta, cui haec utriusque partis juramenta eodem die accesserunt, deest ap. Miraeum et ap. Guil. Malm. exstat vero ap. Flor. Wig. (excerpt. ap. Chron. Cas. Cap. 40.) ap. Udalr. Nr. 264. Baron. pag. 79. Pertz. pag. 71.

4) cf. idem ap. Flor. Guil. Udalr. Nr. 265. ap. Pertz pag. 72—73. plurium codd. ope correctum; inter acta tamen Romana interdum non receptum esse videtur, quia neque ap. Card. Arag. neque ap. Chron. Cas. invenitur. — Exstant „e vetustis membranis" edita (nisi fallimur, e codice Gandensi inscripto „Lamberti floridus" in quo eandem actorum seriem invenies, Archiv VII. 542.) acta mensis Aprilis 1111. Nota 2. et 3. digesta, cum nominibus deinde hoc diploma Paschalis, quasi datum XVI. Cal. Martii in Massonii Observ. ad Ivonis Epist. (in edit. Juretii. 1610. 8. pag. 752—60) quod inde in Baronium XII. 80. Schannat et Harzheim. III. 288. translatum est. cf. Stenzel. II. 318.

stigia cujusdam narrationis publice emissae, sive sit encyclica altera Henrici V., quam Pertzius conjicere videtur [1]) vere extitisse, sive libellus a partibus imperatoriis conscriptus, exstare constat: Nam Florentio Wigorniensi, qui et sacramenta utriusque partis et privilegium integrum continet, initium hoc est: *Hoc autem modo reconciliatio inter regem et papam facta est, et hoc est juramentum regis:* atque quae de ipsa privilegii traditione in omnibus Sig. textibus leguntur, cum ad Guilelmum Malmesburiensem, qui suam relationem e Davidis, publici totius expeditionis scriptoris libris [2]) ad verbum descripsisse ipse fatetur, [3]) tum ad Udalrici Babenbergensis acta tam prope accedunt [4]), ut ea e simili fonte fluxisse verisimile sit. — Atque ut loco Florentii modo citato etiam verba quaedam initialia, quae tantum ap. Miraeum leguntur, invenimus atque is eundem cum textu Sig. Miraeano ordinem in hoc sequitur, quod juramentum Regis concessioni et juramento Papae praeponit, sic apud eum etiam dictum illud falsissimum quidem [5]) „conventione et juramentis concordiam

---

1) vide pag. 73.

2) Ekkeh. Uraug. ad an. 1110. eum nominat Scotigenam e Scholastico Vvirciburgensi Capellanum Regis. Guilelmus l. c. fol. 93—94. Bancornensem Episcopum — ad quam dignitatem fortasse postea est evectus. Ekkehardum ejus ope usum esse, ut proprio ejus testimonio ita ex hoc verisimile est, quod famosam illam comparationem imperatoris papam capientis et Jacobi patriarchae, dicentis ad Angelum· „Non dimittam te, nisi benedixeris mihi" affert, quam Guilelmus diserte in Davidis narratione notat. Fabulam, quae inde exorta esse videtur, lege ap. Gesta Alber. l. c. pag. 224.

3) fol. 94. „Omnem hanc ambitionem privilegiorum et consecrationis verbo de scriptis praefati David transtuli." Pertz eum Codice Cottoniano Faustin. B. VI. Saec. XII. usum esse docet.

4) Quae ap. Cod. Udalr. Nr. 264. Hac conventione — confirmavit: leguntur, in plerisque verbis cum Guilelmo conveniunt, eidem igitur vel simili fonti deberi probantur. Nonnulla vero, quibus ipse Udalrici textus ab illo Guilelmi differt, cum Sigiberto propius cohaerent. sicut illud col. 273. lin. 10. „*Post haec a Domino Papa ad altare eorundem Apostolorum* (scil. *Petri et Pauli*) cum letaniis perductus et unctus est: ante communionem *sub testimonio astantis Ecclesiae tam Clericorum quam Laicorum* Dominus Apostolicus Domino Henrico privilegium propria manu dedit. cum loco omnium text. ap. Mir. pag. 178. lin. 13—15. Cum his etiam concordat Ekkeh. Uraug. pag. 195. vid. not. 2.

5) Erat enim illo anno dominica paschalis die II. Aprilis, concordia cum papa facta est III. Id. April. feria III. post octavas Paschae, coronatus est Rex Idibus April. feria V. — Notavit jam Stenzel vitium Sig. ejus tamen verba sic accipit, quasi Henricus die Paschae coronatus sit, quae interpretatione de pari errore Florentii dicam —

inter Regem et papam factam esse *in Paschali festivitate*[1])" exstat, quod conjicere licet ab utroque et Sigiberti textus brevis auctore et Florentio vel in eodem fonte ipsis his verbis lectum vel male auditum esse.

Quaestio vero de pace, quam Sigibertus in omnibus textibus celebrata a papa missa et tradito imperatori corpore et sanguine Christi his verbis, „dne imperator hoc corpus dni natum ex Maria virgine passum in cruce pro nobis: sicut sancta et apostolica tenet ecclesia, damus tibi in confirmationem verae pacis inter me et te" ipsis Idibus Aprilis confirmatam esse tradit perdifficilis est. —

Quamvis enim Acta Libri floridi Lamberti (de quib. pag. 447. not. 4.) et Annales Hildeshemenses ad an. 1111. eandem fere formulam a papa in missa (post coronam Imperatori impositam) Id. April. habita promulgatam tradant, consensu actorum ap. Udalricum et Guilelmum haec verba a papa jam II. idus Aprilis, cum pace facta missam Dominicae Quasimodogeniti — quae paucos dies ante (V. Id. Apr.) celebrata erat — in castris[2]) operaretur, publice prolata esse patet,[3]) atque Sigiberti aliorumque error ex hoc tantum ortus esse videtur, quod Papa etiam Idibus Aprilis in ipsa Imperatoris coronatione in Ecclesia S. Petri missam celebravit,[4]) atque hostiae parte Imperatori tradita dixit: „Sicut pars ista vivifici Corporis divisa est, ita divisus sit a regno Christi, et Dei quicumque pactum istud dirumpere temptaverit." Recitat haec verba Petrus Diaconus et ipse actis Vaticanis aequali-

---

cum die missae recte addito, et cum omni verborum structura pugnare videtur; itaque post: paschae: comma posui.

1) cf. pag. 654. 655.

2) haud dubie Tiberi jam prope pontem Salarium trajecto, apud octavum ab urbe milliarium positis. cf. Acta Vaticana. loc. cit.

3) cf. Udalr. et Guil. loc. cit. — Apud Guilelmum liceat illud: IV. Idus Aprilis Dominica Quasimodogeniti Missam celebravit: corrigere: II. Id. Apr. missam Dominicam (e) Quasimodogeniti celebr: secundum auctoritatem Udalrici et exemplum Stenzelii. II. 218. — Formula ap. utrumque in nonnullis Sigiberto amplior, ap. Udalricum additamento quodam (ut dominus — pacis col. 272. infr.) ditata. Formula Annalium Hildeshem. Mon. V. pag. 113. in verbis modo ad Sig. (scil. *passum*) modo ad illos (scil. *pro salute generis humani*) propius accedit. Formula in Cod. Lamberti in omnibus cum Sig. consentit, nisi quod verbum: concordiae: additum est, quod et in Annal. Hildeshem. legitur.

4) cf. Acta Vaticana ap. Card. Arag. et Pertz. pag. 73. (qui ibi verba Papae e Sigiberto supplevit) Guil. et Udalr. l. c. Flor. Wig.

5) IV. 40. l. c. pag. 519. dext. Inserit eandem narrationem inter: *obseratis:* et: *Post coronationem:* quae eodem modo in Actis Vatic. ap. Card. Arag. Baron. et Pertz inveniuntur.

29

bus usus,[5]) quem haec cum iis, quae die antecedenti evenissent confudisse eo minus suspicandi ratio subest, cum nihil obstet, quominus cum V. D. Stenzel bis similibus Papam formulis usum esse statuamus.

Quaritur denique, utrum textus brevis Roberti et continuatoris Cisterciensis an accurata illa textus Miraei narratio ipsi Sigiberto sit adscribenda. Sed, si quid video, cum Robertum integro Sigiberti textu gavisum esse satis mihi demonstrasse videar, haec disceptatio nulla fere est, quod Robertum cum text. vet. plane consentire videmus. Atque si quis modos, quibus singulae utriusque narrationis partes inter se connexae sint, diligenter examinaverit non poterit, quin breviorem vetustiorem, atque postea demum fragmentis actorum gravissimorum vel praemissis vel ejectis accuratiorem expositionem interjectam esse concedat. Eosdem fontes, et encyclicam Henrici primam, et acta mensis Aprilis utriusque redactionis auctori ad manus fuisse demonstravimus. Unde cum Gemblacensis illa excerpsisset, nonne verisimile est alium quendam Gemblacensem ea ut accuratius exhiberet, curam gessisse. Utrum is vitiosum add tamentum *die Paschae* casu an consulto omiserit ignoramus. E Sigiberti, quippe qui longas narrationes in brevia excerpta coarctare neque in omnibus Chronici locis quos ab eo scriptos esse non dubium est unquam in vastorum documentorum repetitionem, quorum sane immensam copiam legerat, excurrere solet, more hanc brevitatem esse nemo facile negabit. — Quod si id in acta an. 1105. 1106, 1111. ap. Miraeum inserta valet, eis, qui codicem Gemblacensem Sigiberti autographon esse existimant, de an. 1111. hoc monitos velim, Paquot, virum olim harum rerum peritissimum in illo codice post locum: *proterebat:* alium scripturae characterem incipere docere,[1]) atque dubium inde fieri, num locus Sigiberto ipso dictante vel ex ejus consilio a monachis recte intellecto scriptus sit.[2])

---

1) cf. Epistolam Paquot ad Kluit datam in ejusd. Hist. diplom. Holl. et Zeel. II. 1. pag. 99.

2) Quia non editoris vice hoc loco fungimur, ne singularum observationum moles lectorem fatigare, lectionum diversitates nisi aliquam in re ipsa explicanda vim habeant non indicavimus, atque utra variis ex causis nobis praeferenda videretur, pluribus locis reticuimus, quamvis id ipsum non dubium esse possit. Plerumque Miraei lectiones meliores, sic ad an. 535. *perempto* ap. Mir. post: Eldepado.: pro: *mortuo:* coll. cum Hist. misc. XVI. 18. quod etiam ap. Vinc. XXI. 67.; ad an. 662: *habitare* ap. Mir. pro: *permanere* coll. cum Hist. misc. XXII. 8. quamvis apud Radulfum de Diceto legatur; ad an. 719: *Dagoberto* pro *Clodovaeo*; ad an. 1065. nomen Ducis Lotharingiae *Godefridus:* pro *Gerardus* et regis Angliae *Herardus* (scil. Eadwardi confessoris) pro *Godefridus:* sunt tamen etiam exempla, quibus lectiones textus

Postremum refero locum ad an. 773. Adriano Papa — obsidet. de quo cf. infr. ad *C.*

B. Loci, qui in textu Miraei literis minusculis impressi sunt, in editione principe vero desunt. —

Sunt hi pro natura sua ex omnibus, de quibus hac nostra dissertationis parte exposuimus, minimi momenti, quippe quum in aliis Sigiberti continuationum generibus non inveniantur, atque plerumque stylum auctorum monasterio Gemblacensi addictorum et rebus episcopatuum locorumque qui ipsis vicini erant intentorum prodant. — Plurimi haud dubie non a Sigiberto ipso scripti, quamvis non negem hic vel illic et proprium ipsius dictum inveniri. —

1. Primo loco refero eos, quos locis editionis principis, qui ap. Miraeum desunt, similes esse constat. Quorum num aliqui Sigiberti sint, codicum collatione certius dijudicabitur; nam neque eo, quod aliquot e dictis illis editionis principis, quorum locum supplere videntur, certissimis argumentis e Sigiberto ejiciuntur, nostro hi vindicari possunt neque eo, quod plura illorum Sigiberti esse probabile videtur, penitus ab eo excluduntur. Sunt igitur:

---

veteris descriptorum Roberti de Monte testimonio majorem nanciscuntur auctoritatem; sic in loco an. 1076. quem pag. 112. Not. attigimus, ubi lectio Miraei: usque ad aequinoctium vernale: loco quidem Chron. Leodiensis, text. vet. vero: usque ad mediumAprilis: non solum Alberici dicto sed etiam testimonio Radulfi de Diceto et Matthaei Vestmonast. confirmatur. —

Sic etiam plerumque paucorum verborum, quae cum vel in textu veteri desint, ap. Miraeum, vel cum ap. Miraeum omittantur, in text. vet. leguntur, nullam habuimus rationem. Ea plerumque esse Sigiberti, et ab aliis sive codicum scribis sive editoribus omissa esse existimo: sic quod ap. Mir. exstat ad an. 615 post: Scotorum: *Augustino rebelles* coll. cum Beda II. 2.; 694. post Arnval: *in Gallia* et post clarent: *in Anglia* (quod etiam ap. Alber.; ap. Vinc. Bell. XXIII. 132. ut in text. vet.) praecipue an. 765. illud: Chrodegangus Mettensium *Archi*episcopus, quod coll. cum Vita Theoderici Mett. Cap. X. (vid. sup. pag. 231.) Sigib. magis decet quam: *Episcopus.* 828. post: breviora: *et rotundiora* quod Annalium Mettens. dicto et Matth. Vestmonast. ad an. 828. Helinando pag. 109. et Chron. Tur. col. 464. Sigib. vindicatur; 1112 post: Waldetrudis: *cum aliis duabus ecclesiis minoribus:* Legitur an. 1099. post: interiora: *Syriae* haud dubie in textu Gemblacensi: quia et ap. Albericum invenitur: fons tamen, epistola illa de prima cruciferorum expeditione (cf. sup. pag. 139.) legit: *Hispaniae*, quod et recurrit ap. Vinc. Bell. XXV. 102. Apud Radulfum de Diceto solum: interiora: legitur. Miraeus etiam nonnulla omisisse videtur, sic ad an. 810. *Tarentasia:* cf. Einhardi Vitam Caroli M. Cap. 33. Marian. Scot. ad an. 811. *Radulf. de Diceto. Albericum*, ad an. 824. post: *Areopagitae: ab ipso conscriptos,* cum in codice Havelbergensi Ekkeh. Uraugiensis legatur: *ab eo conscriptos,* ap. Alberic. *ab eo descriptos.*

465. Annus praesens — gloriam obtineat. pro loco textus veteris ad an. 472. quem Sigiberto aptiorem esse duco. cf. cum utroque Greg. Turon. Miracula S. Martini I. 6. Histor. eccl. II. 14. — Apud Albericum ad an. 466: Translatio sancti Martini; 529. Eleutherius — suscepit. cf. cum loco anni text. vet. 535. infr. 564. Hic Lotharius — accepit. cf. Greg. Tur. IV. 21. cf. cum loco textus vet. ad an. 556. pag. 464. Chron. Elnonense S. Amandi ad an. 554. 562. —

Quibus etiam subjungere liceat locum ad an. 761. Caput Joannis Baptistae — vocatur, e Cod. Gembl. *recenti manu vitiato* et Lips. coll. cum loco text. vet. Caput — transfertur, quem Miraeus e Codd. Ortel. et Aquic. affert. vide sup. pag. 358 —359. 373. 376. Locum Miraei confirmant Albericus et Chronicon S. Bavonis. Certat pro textu veteri cum brevitas loci, tum testimonium Matth. Vestmonast. —

2. Sunt porro nonnulla, quae ad historiam politicam ecclesiasticam et litterariam attinent: scil. ad an. 687. Innocentius — dari. cf 401. ap. utrumque text. Ad an. 876. Rollo dux Northmannorum — genti Anglorum 888. . . . quamvis — dilatata (cf. Albericum ad an. 876. 886.) 932. Eduinus — obiit. Ea Robertus de Monte haud dubie in Sigiberto suo non invenit. — Addo locos: 990. Fulcvinus — moritur. 1077. Lamberti — desinit. 1064. Domnus Hermannus — integerrimus, quorum hos ad an. 990. 1077. majori jure Sigiberto quis adscribat, quam illum an. 1064. de Hermanno Contracto, quem cf. ap. Alberic. 1064. pag. 104.; porro ad an. 1064. Vvilhelmus — proficiscitur cf. cum Lambert. Aschafnaburg. l. c. pag. 332; 1077. Sueno — Haraldus. In Geisae — Ladislaus. Romae — regis; 1087. Hoc anno Cnuth — interficitur. cf. Chron. S. Bav. ad an. 1087. Chron. Elnonense ad an. 1086; — 1099. Abhinc — linea, quod a more Sigiberti minime recedit, etsi a descriptoribus, qui non eundem Chronici digerendi morem secuti sunt, non repetitum esse videtur. — Contra locum an. 1104. post: Accaron capiunt: sed quam — negligentiam (ap. Alberic. pag. 193.) jam natura sua post Sigiberti obitum interpolatum esse constat. —

3. Subnecto his, quae ad Gemblacum, et ecclesias ei vicinas attinent:

scil. locos *Gemblacenses* sup. rubrica 3. pag. 274 — 276. digestos, ad an. 958. 987. 991. 1012. 1048. 1072. 1092. 1099. de quibus vid. etiam ibidem. — Locus an. 1099. ap. Alberic. pag. 179. occurrit. —

porro *Leodiensia* ad an. 651. post: habitum: cui successit — Theodardus, quod an Sigiberti scriptoris vitae S. Theodardi sit dubitari potest. cf. Alberic. Chron. Lobiense Chron

S. Bavonis; 694. Gens Tessandrorum — Christi convertitur. cf. Sigiberti Vitas S. Lantberti Alber. Chron. S. Bavonis; 710. post: transfert: Ex tunc Legia — ampliata Alb. 710.; 711. post Leodiensi: in villa — Ammanium. Alber. 711. pag. 71; 714. Sanctus Hucbertus — Leodio. Alber. 713; 735. post: Hubertus (episcopus in text. vet.): Succedit Florbertus. ap. Alberic. ad an. 735. amplificatum; — 890. Franco Episcopus — appendiciis suis. in nonnullis ad verbum consentiens cum Anselmo Leod. Cap. XVII. l. c. col. 857. — cf. Fulcvin. et sup. pag. 263. not. 1. — locus repetitus ap. Alberic. ad an. 890; — 997. Iste Ansfridus — Leodiensi ap. Alberic. ad an. 996; 1010. In coenobio Florinensi — constituti cum notitia an. 1015. Baldricus Episcopus — episcopatui coll. cum Anselmo Cap. XXVIII. — 1036. Obiit Raginardus — Nithardus. cf. Anselm. Cap. XXXV.; 1039. Hoc anno castrum — Episcopo. cf. sup. pag. 423. not. 2. locum historiae monast. S. Laur. Leod. ms. a Chapeav. allatum; 1042. Obiit Nithardus, Episcopus Leodicensis. cf. Anselm. Cap. XXXV.

tum *Cameracensia* ad an. 863: Theodericus — moritur. e Chron. Balderici I. 47; — 881. Northmanni — vastant e Balderico I. 59; 887. Post Rotradum — ordinatur e Balderic. I. 60. cf. Chron. S. Bavonis ad an. 887; 934. Stephanus — moritur. e Chron. Bald. I. 68. 953. Ungari — advigilante. e Bald. I. 74; 1048. Gerardus Episcopus Cameracensis moritur cf. Bald. III. 57. —

denique *Miscellanea* quaedam et *Miracula*, sic Tornacensia ad an. 484. Theodorus — Eleutherius; 937. Vvalbertus — Transmarus. cf. Flodoardi Chron. ad an 937. — repetit. ap. Chron. S. Bavonis ad an. 937.; — ad an. 739. S. Willibrordus — moritur. 784. S. Gregorius — moritur; — 913. Hoc anno coepit — coenobium. Chron. S. Bav. ad an. 912. 915. Hoc anno translatum — in Francia 690. . . . Episcopus Senonensis cf. Chron. S. Bav. ad an. 690; 695. Sanctus Audomarus — obierunt. (cf. cum pag. 360. infr.). 928. Elevatio — Morinensis. cf. Chron. S. Bav. ad an. 928; 775. Sanctus Rumoldus — occiditur; 849. post: excolitur: recondita in coenobio — dicitur e Frod. Hist. Rem. II. 8. ap. Alberic. ad an. 849; — 908. Hoc anno passus — nepos cf. Chron. S. Bav. Gand. ad an. 909. — Chron. breve Leod. ex Ms. Aureae-Vallis et Additam. marginal. ad Aegidium Aureae-Vallis; —

912. Stella — apparuit; 951. Sol defecit — Septembrem; 1014. Hoc anno facta — Octobris. cf. Chron. Lob. Chron. S. Bavonis ad an. 1014; 1041. Hoc anno — Novembris: cf. Chron. S. Bav. 1042. pro *Novembris*: *Junii*:

4. Denique his subjungendi sunt eorum ordinum loci, quos supra vel Cod. Lips. vel Cod. Ortel. per conjecturam adscripsimus. scil. *Cod. Lips.* (pag. 360.) an. 633. Sanctus — occiditur; 644. Sanctitate — Blangiacensis; 658. Obiit — Baudemundus. cf. Chron. S. Bavonis; 695. (Ansbertus — obierunt) cf. Chron. S. Bav. ad an. 696; 701. Sanctus Maurontus — moritur. cf. Chron. S. Bav.; 762. Agilfridus — moritur (haud dubie e veteri fonte haustus, quia et in Annalibus et in Chron. S. Bavonis (apud hoc die obitus addito) legitur, notitiae vero Sigib. ad an. 774. ex Anselmo Leod. haustae contradicens. cf. e contra Chron. Elnonense S. Amandi ad an. 787.); 918. Balduinus — sepelitur. cf. ap. Chron. S. Bavonis amplific. 931. Arnulfus — Vedasti cf. ap. *Alberic.* Chron. S. Bavonis; 960. Hoc anno — inceptum; 1007. Gandavi — Holthem. cf. Chron. S. Bav.; 1013. Depositio — Gandavum, denique ad an. 1087. Monasterium — consecrationis cf. pag. 360. Albericum ad an. 1088. — *Cod. Ortel.* pag. 375. 1098. Robertus — coepit. cf. Chron. S. Bav. Elnonens. S. Amandi ad an. 1098. (?) —

Postremo erit fortasse qui a nobis exposcat, ut de locis ad an. 1033. 1063. 1084. 1087. 1093. 1101. a nobis Cod. Lips. abnegatis vel de quibusdam anni 1076. (vid. pag. 373.) quos num Cod. Ortel. debeantur, dubium est, latius disputemus, quod vero, cum eorum origini e descriptoribus certam lucem vix affundere possimus, ipsi vero per se minimi sint momenti, neglesimus. —

C. Loci editionis principis, qui apud Miraeum desunt. —

1. Ex his primum eos colligamus, qui quin Sigiberti *non* sint dubium non esse potest. —

α. Inter hos, quorum numerus est magnus et varietas multa primum haud dubie ordinem obtinent *fabulae e Galfrido Monumetensi insertae*, quippe quum ex auctore ipso Sigiberto juniore sint extractae, atque jam primus editor eas illi intrusas esse cognitum habuisse videatur. —

Cognovit certe Ursicampinus libri, quo tam singulari modo uteretur, aetatem, originem atque auctoritatem, quum ad an. 470 „historicam narrationem, quae *nuper* de Britannico in Latinum translata sit" citet.[1]) Atque tantum abest ut eam ab historia Britonum et Anglorum in aliis fontibus tradita quam maxime discrepare, atque valde incertam esse igno-

---

1) Porro: antiquam Britannorum historiam eam nominat in prooemio: aliam historiam" an. 390. „libellum de regibus Britonum an. 491. cf. ad. an. 542. 549. 561. 616. Historiam Arturi citat an. 482.

raret, ut id ipse plurimis locis confessus sit,[1]) atque hoc praecipuum ejus studium fuisse videatur, ut notitias ex aliis a Sigiberto allatas, cum his fabulis conciliaret,[2]) vel ubi conciliationi nullus prorsus locus daretur, Britonum regni ordinem Saxonum illi, quem Beda docuerat, opponeret.[3]) — Sic ubi Maximum a Sigiberto nominatum legit, plura de eo inseruit[4]) ad an. 414. quaedam de Gratiano, Constantino et Constante, quos Sigibertus inter duces imperio Honorii rebelles (illum quidem in Britannia, hos in Galliis)[5]) duxit, effatus, cum e Galfrido Constantinum regem Britonum ex Armorica accersitum decem annos regnasse concludisset, ejus obitum ad an 424. refert;[6]) annum quo Arturus letaliter vulneratus ad insulam Avalonis secessisset atque Britanniae diadema cognato suo Constantino tradidisset, esse 542, annum obitus Cadvalladri esse 689 e Galfrido ipso didicit;[7]) his aliisque temporum terminis mediocri cura conservatis vel Bedae auctoritate vel quadam nominum similitudine ductus alia aliis locis excerpta adnexuit;[8]) eum tamen in excerpendo ipso Galfrido interdum ordinem singularum narrationum immutasse[9]) et ut in rerum aetate definienda,[10]) ita in regni singulorum regum annis computan-

---

1) cf. ad an. 470. „Nec dubia pro veris affirmamus" ad an. 542. „Porro haec omnia, ut supradiximus, nullam fidei authoritatem videntur habere, si cum caeteris historiis conferantur."

2) Unde ad an. 549. Sindual regem Britonum memoratum inveniens (cf. sup. pag. 72.) „sed de hoc rege historia Britonum nihil refert, nisi forte eadem persona diverso nomine nuncupatur et ibi taceat quod hic habetur."

3) cf. ad an. 616. 635.

4) scil. quem Galfridus, a vero nomine adhuc magis discedens, *Maximianum* vocat. Usi sumus editione in: Rerum Britannicarum scriptores vetustiores et praecipui Heidelbergae 1587. fol. —

5) de quo cf. Orosium VII. 42. Bed. I. 11. Hist. misc. XIII. 30.

6) cf. Galfr. VI. 4. 5. Supplendum ad an. 424. post: Britonum: in ed. princ.: *defuncto.*

7) cf. XI. 2. XII. 18.

8) cf. 446. 616. 635.

9) cf. IX. 11. cum Cont. ad an. 482.

10) Continuator ad an. 424. muri contra Pictos et Scotos erecti mentionem facit, in verborum structura Galfr. VI. 1. secutus, qui — haud dubie Gildae cap. 12. suo more interpretatus — eum non longe post Gratiani caedem (a nostro in an. 390. collocatam) exstructum esse docere videtur, cum Beda I. 12. ipsum Gildam secutus legionem quae ut murum erigerent, Britones hortata est, Roma jam ab Alarico capta in Britanniam missam esse enarret. Num Continuator hujus ordinem praetulerit, nescio. — cf. Lappenberg. I. 57.

tandis[1]) ab eo aberasse constat, unde ei quod Arturi nomen Riothimi regis Britonum nomini e Jordane allato[2]) apposuit nihil tribuendum esse censeo. Porro qui Britonum fabulas, quae, quamvis per latinum Galfridi os depravatae sint, a poetarum principe immortali gloria sunt decoratae, cognoscere cupiat, caveat, ne Sigiberti continuatorem consulat, eas non nisi in tenues notitias conversas omnique colore poetico exutas referentem. Laudandus fortasse in hoc est, quod Bedam ipsum fontem Sigiberti evolvit et ad hujus auctoritatem plura dicta revocavit.[3]) — His praemissis, singulos locos Continuatoris cumfonte collatos damus:

Prooemium ed. Struv. I. 690.: Narrat antiqua — aggressus est e Galfrido I. 3. 4. 5. 10. 11. l. c. pag. 2—6.; Transierunt — pervenit e Galfr. I. 11. in fin. 12. 13. (pro *duodecim* regibus Galliae l. c. pag. 8. *decem* tantum affert Cont.) 14. 15.; Erat ante — mortuus est e l. 16. II. 1. 5. 6.; Et ita — facti sunt e IV. 1.; Porro tempore — potuit e Galfr. IV. 19. 20. V. 5. cf. Sigiberti ipsius prooemium e Bedae Hist. eccl. I. 4. 6. nam nomen M. Antonini Veri apud Galfridum non invenitur; Sed postquam — coeperunt e Galfr. V. 12. 14. 16.; Accessit — occupaverunt e VI. 10—16. advocato iterum Sigiberti prooemio, e Beda I. 14. 15. ibi per Gildam Cap. 23—26. edocto; nam apud Nennium Cap. 28. ed. Gale. pag. 105. et Galfridum l. c. Saxones non invitati, sed in exilium pulsi Angliae oris primum appulisse perhibentur. Galfridum secutus est Continuator ad an. 431. Bedam et Sigibertum ad an. 446. cf. Lappenberg. l. c. pag. 65.; donec surgeret — magnificum e VIII. 13—16. 17—20. Post hos — tenuerunt. e XI. 3 — 13. XII. 15. cf. Vinc. Bell. XVI. 5. 6. — *In fine prooemii:* post: triginta tribus: super quos regnabat Maximus tyrannus: cf. Galfr. lib. V.

383. Maximus iste — exercere e Galfr. V. 9. 10. 11. et 12. ap. Vinc. XVI. 93.; 386. post: transiit: partem Galliae — appellatur e G. V. 12. 16. Maximus — statuit. V. 14. in fine. utrumque ap. Vinc. XVI. 96. (cf. Robertum Altissiod. fol. 57. ad an. 389.?); 389. Pictorum — Hyberniam e V. 16.; 390. Alia historia — interfectum e V. 16. in fine

1) Sic Galfridus XI. 4. Constantinum, successorem Arturi, tertio regni anno interfectum esse a Conano. i. e. 545. Conanum secundo anno defunctum esse i. e. 546. sive 547. post eum quatuor annos regnasse ait Wortiporium i. e. usque ad an. 551. Contra Cont. Conani ad an. 549. Malgonis (ap. eum in Algonis) successoris Wortiporii ad an. 561. mentionem facit.

2) cf. Jordanem Cap. 45. Lappenberg. I. 106. cum nota.

3) vide praeter loc. pag. 455. not. 10. sup. locos an. 423. 635. infra.

Vinc. XVII. 52.; 390. Gratianus municeps — illum e VI. 1.; 413. Inito — Utherpendragon e VI. 4. 5. Vinc. XVI. 7.; 414. Notandum vero — nitebantur. cf. VI. 1. 5. 6. (cf. Bed. I. 11. et sup.). 423. Aestimo — ab Honorio missum e Beda I. 11. lege tamen in Cont. *Constantium* pro: *Constantinum*, uti etiam ap. Vinc. XIX. 11; 424. Constantino – evacuata (locus videtur corruptus, et pro: usurpare, sed Constans, qui legitime non poterat regnare, quolibet modo . . . fortasse legendum: usurpare, qui legitime non poterat regnare, nisi Constans quolibet modo . . .) e Galfr. VI. 6. 1. 2; 431. Perempto Constante — videret e VI. 8. 9. Interea Saxones — adepti sunt e VI. 10. 11.; 434. In Britannia – corrigiae e VI. 11. ap. Vinc. XX. 3; 436. Rex Britonum — filiis suis. e VI. 12. 436. Hengistus autem — fecerunt e VI. 13. Tempore hoc Germanus — patriam, quae omnia descripta sunt ex ipso Sigiberti loco ad an. 446. (cf. Bedam I. 17. 20. vid. sup. pag. 439.) excepta linea illa post: solidarent: atque ut — restaurarent: quae ipsis verbis e Galfr. VI. 13. est intrusa; 437. Filius Wortegirni — Wortegirnus. e VI. 13. 14. 15.; 439. Rex Wortegirnus — obtinuerunt. e. VI. 15. 16; 445. Rex Wortegirnus — incipiant. e. VI. 17. 18. 19. VII. 3. VIII. 1. VII. 3. (nomen Samsonis manasse videtur e IX. 8.) VII. 4. — Addit Merlini vaticiniis hoc loco excerptis auctor: „Solet enim spiritus Dei, per quos voluerit, mysteria sua loqui, sicut per Sibyllam sicut per Balaam, caeterosque hujusmodi," quod, nisi fallor, Robertus Altissiodorensis fol. 61. his verbis: Merlinus . . . qui Sibyllae more de Regibus Britonum multa precinuit: repetiit. cf. Vinc. XX. 30.; 446. Hoc loco ponunt — restitutus e VI. 10—15. quo auctor ad omissum textus genuini Sigibertani locum respicit. cf. supra ad prooem. et Vinc. XVI. 7.; 447. Ambrosius Aurelius — construit. e. VIII. 2. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. ap. Vinc. XX. 34.; 457. Super insulam — terminabatur e VIII. 14. Eo tempore — Annam. e VIII. 14. 15. 17. 18. 19. 20. ap. Vinc. XX. 49; 466. Utherpendragon — vivere e G. VIII. 21. 22. 23. ap. Vinc. XX. 55; 470. Quis autem fuerit Riothimus — fabulosa videantur. cf. sup. Qui multa probitate — prostratis e IX. 1. 3. 4. ap. Vinc. XX. 56; 472. Rex Arturus — restituit e IX. 6. 8. 473. Arturus — fecerunt. e G. IX. 10.; 482. Arturus — redisse. e IX. 11.; 491. Hoc loco — dicitur e XI. 2. cf. Vinc. XVI. 7.; 542. Usque ad hoc — Arturo. Refert enim — aestimatur. e IX. 2. 13—20. X. I. 2. 3. 6. 13. XI. 1. 2. (cf. VII. 3.) omnia ap. V. B. XXI. 74. fol. 277. Porro haec omnia — conferantur.; 549. Sed de hoc — hic habetur. cf. sup. Post Constantinum — Wortiporius e G. XI. 5. 6.; 561. Super

Britones — annis e XI. 7. 8. 10. 11.; 611. Post *Cathericum* (Galfr. *Careticus)* — facta est e XI. 8. 10. 11. XII. 1; 616. Refert autem — compulsus fuerit e XII. 1. 2. 4. 6; 632. *Adunallo* (Galfr. rectius Cadvallo) in terra e XII. 8. 9. ,,Tunc etiam fides Christi in Anglia concussa est. vid. Sig. ad an. 632. e Beda II. 20. cui addit auctor: adeo ut multi Christianitatem suam desererent, et idolatriam repeterent;" 635. Hic dicit Beda in historia Anglorum, quod (vid. utrumque text. et Bedam III. 1—4). Sed aliter se habet historia Anglorum: Refert enim — aedificata e G. XII. 10. 13. ap. V. B. XXIII. 68; 675. Cadwollone — migraverunt. e G. XII. 14. 15; 689. Cadvaladrus — potuerunt e G. XII. 17—19.

Ejusdem continuatoris haud dubie locus an. 604:

,,Per Augustinum Archiepiscopum translata est dignitas archiepiscopatus quae prius Londoniis erat ad Cantuariensem ecclesiam:"

(ap. Vinc. XXII. 17) quem, cum Beda nimirum Sigiberto non suppeditare posset, is secundum Merlini vaticinia[1]) conscripsit. cf. Matth. Vestmonast. ad an. 604. pag. 108.

β. His adnecto quaedam de re jam pluribus locis attacta immutatis scil. numeris paparum ab initio,[2]) et immutato catalogo eorum ad annum 939. quo scil. Stephanum (VIII.) a Sigiberto omissum supplevit ad an. 956. 963. (Benedictus — praesidet. Leo — praesidet) 965. 972. 973. 974. 975. 984. 984. (Joannes 139. 140.) 986. 996. 998. (Joannes — Post quem: cetera cf. cum Miraeo ad an. 995.) 1003. 1009. 1012. 1033. quibus locis ordinem Paparum satis rectum in Chronico restituit, etsi in singulis annis, quibus Paparum initia adscribit, e bullis aliisque testibus plura corrigi possunt; quin etiam nostra aetate de Dono, quem an. 973. attulit,[3]) et de Joanne illo altero an. 984. (XV.? Roberti filio, quem post iteratam Bonifacii VII. invasionem quatuor menses sedisse plures tradunt)[4]) medio inter Joannem ad an. 984. (XIV.) et Joannem ad an. 986. (XV. Leonis filium, quem multi vocant XVI.) enumerato num re vera extiterint, dubitatur. — Solum Johannis Philagathi Archiepiscopi Placentini et sedis Apostolicae contra Gregorium invasoris menses pontificatus decem fuisse me-

---

1) cf. Galfr. VII. 3. l. c. pag. 49. ,,Dignitas Londoniae adorabit Doroberniam" . . . cf. Cont. ad an. 445.

2) vid. sup. pag. 49. pag. 275.

3) cf. Jahrbücher des deutschen Reichs unter dem Sächsischen Hause. II. 1. Giesebrecht Otto II. pag. 142.

4) cf. Jahrbücher etc. II. 2. Wilmans Otto III. pag. 207—212. et loc. ibid. cit.

morat. [1]) (an. 998.). Repeti videtur hic Catalogus apud Helinandum l. c. pag. 136. ad an. 998. quamvis in prioribus quibusdam numeris paparum magis textum Miraei redoleat, fortasse ap. Robertum Altissiodorensem. l. c. fol. 71. 72. 74. — additis quidem annis pontificatus et omisso altero Joanne ad an. 984, in Chronico Turonensi. l. c. col. 985. 987. 990. 994. 996. — ap. Vincentium. XXIV. 82. ad an. 956. 86. ad an. 963. 89. ad an. 972. (ubi tamen perperam legitur 138 pro 135) 107. ad an. 998. XXV. 9. ad an. 1012.

Cum in his Continuator Sigibertum emendasse videatur, in notitia anni 1045. eum pessime deturpavit. — Locus enim Sigiberti:

Benedictus simoniace papatu Romano invaso, cum esset rudis litterarum alterum ad vices ecclesiastici officii exequendas secum Papam (*Silvestrum* 151.) consecrari fecit. Quod cum multis non placeret, tertius superducitur (*Gregorius* 152). qui solus vices duorum impleret.

quippe quum singulari modo turbas, quae tunc ecclesiam Romanam dilacerabant, enarret, potissimum eo ab accurata rei narratione deflectit, quod Benedictum „rudem litterarum, alterum ad vices ecclesiastici officii exequendas secum Papam consecrari fecisse" tradit, cum ex optimo harum rerum teste, Bonizone, aliisque fontibus constet, Benedictum primum Gerardi de Saxo filiam in matrimonium ducturum dignitatem suam Johanni cessisse, tum vero, quum huic Johanni nomine Gregorii VI. a Romanis electo, Gerardi pars Episcopum quendam Sabinorum sub Sylvestri III. nomine papam opposuisset, ipsum vero optatae puellae spe decepisset, reversum mox iterum pontificatum Gregorio cessisse. — Unde etiam manifestum, quantopere Continuator nomina quae Sigibertus forte omisit suppleturus erraverit; nam Gregorium (scil. VI.) quippe qui pontificatum a Benedicto acceperit, ab alia parte superductum, Sylvestrum illum Episcopum ab adversa parte erectum a Benedicto substitutum esse retulit. [2]) — Locus sine his nominibus repetitur in *Tractatu de investituris* (vide sup. pag. 410. Not. 5.) ap. Albericum ad an. 1044. in Chron. S. Bavonis ad an. 1045. eodem modo in *Chronico Turonensi* col. 1002. itemque cum *Matthaeus Vestmonasteriensis* ad an. 1033. legisse videtur, quamvis historiam ipsam

---

1) de quo cf. Wilmans. pag. 96. not. 1. pag. 99—100.

2) cf. e Bonizone ap. Stenzel. I. pag. 105—107. cf. porro Herm. Contr. Bennonis Vitam Hildebrandi ap. Goldast. pag. 13. Glabr, Rodulf. lib. V. Neander: Geschichte der christlichen Religion und Kirche. Tom. IV. pag. 198. — Singulas fontium diversitates hoc loco tangere non possumus. —

ipso Continuatore Ursicampino turbatiorem uterque referret. — Nomina exstant apud Helinandum pag. 142. Vinc. Bell. XXV. 21. atque — quod magis mirum videri possit, — *apud Radulfum de Diceto* ad an. 1045. l. c. pag. 475.

Restat notitia editionis principis ad an. 1059. „Benedictus Romanae ecclesiae 158. praesidet" scil. Pseudopapae Benedicti X. quae eodem modo ap. Vinc. XXV. 35. repetitur. cf. etiam Chron. Turon. col. 1004. Chron. S. Bav. ad an. 1060. Helinandus tamen (dubium utrum errore an codice Sig. puro ductus) „Sigibertum hunc Benedictum transire" ait atque Albericus ad an. 1059. „Iste non habetur in Sigeberto." —

Denique quod ad numerorum diversitatem in hac Chronici parte attinet, textus Miraei Leoni (VII.) ad an. 936. numerum tribus majorem, quam text. vet. adscribit (scil. 130. dum hic 127.). Qui Stephano (VIII.) ad an. 939. addito, uno appropinquat, loco vero duodecim illorum a Benedicto (133) usque ad Benedictum (144) in textu Miraei enumeratorum,[1]) decem et octo papas affert, unde Joannem (ad an. 1024. XIX.) 149. ducit, et text. Miraei quatuor numeris praecurrit. Benedicto IX., Sylvestro III., Gregorio VI. (150. 151. 152.) numeratis Suidigerus-Clemens ad an. 1046. jam 153 est, septem numeris differens ab illo Miraei, atque Benedicto (X. tanquam 158.) recepto discrimen inde a Nicolao (ap. Mir. 151. ap. ed. princ. 159.) ad octo augetur. Hildebrandus (ap. Mir. 153.) inde est 161. Victor (1086.) 162. Urbanus (1088). 163. Paschalis (1100). 164.[2]) —

γ. Nunc ad ea, quae de industria in critica Sigiberti ipsius plane omisi, progrediens primum ad hos locos devenio, qui auctorem continuationis monachum Cisterciensem luculenter probent, atque inter insertiones pro amplitudine sua excelleant. *scil. ad an.* 1098. *et* 1107. *de exordio ordinis Cisterciensis.*

ad an. 1098. In episcopatu Lingonensi — rebus necessariis crevit. cf. Helinand. pag. 166. Vinc. XXV. 94. 95. qui miro modo narrationes ad an. 1098. immutato ordine refert, Helinando vero in describendo Sig. multo uberior est; ad an. 1107. Albericus Abbas — sic se facturos confirmant. cf. Helin. pag. 171—172. unde Vinc. XXVI. 1. — In aliarum

1) cf. sup. pag. 271.

2) Utrum Robertus de Monte catalogum Sigiberti falsum legerit, an quo eum modo emendarit, ex decriptorum ejus testimoniis sibi contradicentibus atque aliorum fontium concursu turbatis dijudicari non licet. — Cum Continuatore Ursicamp. eo consentit, quod Calixtum papam ad an. 1119. 166. a Petro nominat.

continuationum descriptoribus desunt hi loci. — Sunt quidem haud dubie excerpti ex opusculo illo quod Labbeus sub titulo „Originum Cisterciensis ordinis incertis auctoribus scriptarum" XVII. (XVIII.) capitibus distinctum edidit,[1]) deinde a Tissier,[2]) ultimo capite, epistola ab Innocentio II. (an. 1134.) data omisso, tanquam „Exordium Cisterciensis coenobii, auctore Sancto Stephano illius archimonasterii fundatore et abbate" (qui quidem obiit an. 1134.) divulgatum est. — Illud publice primis Ordinis temporibus emissum esse, ut posteri exordium et incrementa societatis illius docerentur, prima statim verba loquuntur[3]), Stephani auspiciis esse scriptum modesta qua ejus mentio fit ratio confirmare videtur.[4]) — Continuator Ursicampinus plura simplici illi narrationi adjecit, quae, quantopere res ordinis ei cordi fuerint, demonstrant.[5]) In una tamen re et quidem gravissima lapsus. Nam Stephanum laudans, quod ipse primus *chartam charitatis* (de-

---

1) 1657. Bibl. manuscr. I. pag. 640 — 47. Cognovit idem jam sub titulo „Exordii parvi" Manrique in Annal. Cisterciensibus (Lugdun. 1642. I. pag. 119.) ex editione Ignatii Fiteriensis, plura capita et chartam charitatis amplius inde afferre videtur. pag. 48. 108 — 112. 113.

2) Biblioth. Cisterciens. 1660. pag. 1 — 9. post inventa: (Cap. XVII. ap. Labbe) adhuc ibi invenitur: Forma Professionis Monachorum, qui Molismo Cistercium venerunt. cf. excerpt. ap. Bouq. XIV. pag. 109. Habitu narrationis discrepat Ordericus Vitalis lib. VII. pag. 711 — 714. quem sequitur Robertus de Monte tractat. de abbatiis l. c. pag. 381 — 382.

3) „Nos Cistercienses primi hujus Ecclesiae Fundatores successoribus nostris stylo praesenti notificamus quam canonice, quanta auctoritate, a quibus etiam personis, quibusque temporibus coenobium et tenor vite illorum exordium sumpserit" — haud dubie tamen post an. 1112. cf. Cap. XVII. in fin.

Liber ille postea amplificatus atque continuatus titulo Exordii Magni Ordinis Cisterciensis sex Distinctionibus divisi editus est ap. Tissier. l. c. pag. 13 — 246. et quidem mutilus post Cap. XIV. dist. I. atque eodem jam usus est Manrique l. c. Auctor ejus (de cujus aetate vide prolegom. editoris) etiam Sigiberti continuatoris locis ad an. 1098. et 1107. usus esse videtur. cf. Dist. I. Cap. X. pag. 24 — 25. Cap. XIII. pag. 26 — 27. Cap. XV. pag. 28. Denique idem cum hoc exordio esse videtur Historiae Ms. Cisterciensis lib. I. e Ms. Embricensi descriptus, quem in Actis S Roberti (April. III. an. 1675. pag. 664 — 667.) affert editor, quamvis eum ab Exordio illo magno distinguere studeat.

4) Huic successit Stephanus . . . quique amator regulae et loci erat. cf. Manrique l. c.

5) cf. ad an. 1098. In episcopatu Lingonensi — stabilitatem cum Exordio. Cap. I. III. IV. At vero post non multum temporis — substitueretur e Cap. V. — IX. Hoc sane inter utrumque — susciperent. cf. VII. XIV. ad an. 1107. Albericus abbas — conspiceret. Cap. XVI. et XVII. (ubi Continuator ex *octo* annis: *viginti* annos emendat).

cretum illud, quo doceretur „quo pacto, quove modo, qua charitate monachi Cistercienses per Abbatias in diversis mundi partibus corporibus divisi, animis indissolubiliter conglutinarentur)" [1]) emiserit, [2]) tanquam excerptum ex illa aliud quoddam statutum de regulis vitae monachorum jam ap. Alberico Abbate editum ex Origg. repetit, [3]) chartam vero illam, quae etiam in Originum editionibus nostris non invenitur, omisit. —

Ordinis Cisterciensis originibus nihil aptius addere possem, nisi locum ad an. 1084. de exordio ordinis Carthusiensis: *Bruno — exemplum praebuit* [4]) quem post an. 1132. scriptum esse eo probatur, quod Hugonem Gratianopolitanum, illo anno mortuum [5]) „beatae memoriae" intitulat. Neque fugere potest conferentes, primam loci illius partem de Brunone, Carthusiae fundatore e libello inscripto „de institutionibus ordinis Carthusiensis" e Codice S. Remigii Remensis a Labbeo edito atque post quinquagesimum tertium ab exordio ordinis. i. e. post annum 1137. a Christ. nat. [6]) composito ipsis verbis descriptum esse. [7])

δ. Hanc ut viam semel ingressi longius persequamur, vertamur ad locos illos, quibus in textu veteri *de Lanfranco et Anselmo* agitur *ad an.* 1051. post: disputatum est: inter

---

1) cf. Praefat. antiqui, sed incerti auctoris ad Chartam charitatis a S. Stephano ejus fratribus et aliis Abbatibus consentientibus editam ap. Tissier. l. c. pag. 9. cf. Acta Sanct. April. II. ad diem 17. pag. 501.

2) cf. ad an. 1107. Non enim arbitrata est — breviter perstringemus.

3) ad an. 1107. Abbas Cistercii — sic se facturos, ex Origg. Cap. XV. cf. Acta SS. Jan. II. pag. 757. in Vitae Alber. auctore Henriquez. cap. IV. textus continuationis modo Tissierio, modo Labbeo propior est: sic illud: molendina, aut villas vel rusticos" post: furnos: ap. Struv. pag. 860. lin. 6. deest ap. Labbeum; illud: in castellis: lin. 35. deest ap. Tissierium.; lin. 31. post: utilia: desunt verba: et cum alicubi curtes: quibus omissis locus vix legi potest.

4) Repetit. ap. Vinc. XXV. 82. Dubito, num locum Historiae S. Laurentii Leodiens. „anno Dom. 1084. coepit ordo Carthusiensis sub Brunone, qui erat canonicus Rhemensis, oriundus de Colonia" inde desumtum esse putandum sit, cum alii hujus Historiae loci textum magis Gemblacensem prodant. —

5) cf. locos pag. 374. citat. In libello de institutionibus Ord. Carthus. Cap. V. de Guigone de Sancto Romano inter alia „Vitamque B. Hugonis Gratianopolitani Episcopi jubente Innocentio Papa, nobili stylo descripsit."

6) cf. Cap. V. ap. Labbeum Bibl. manuscr. I. 640.

7) cf. loc. cit. pag. 638. Cap. I. Magister Bruno — fundavit cum: Bruno — fundat ad an. 1084. text. vet.

quos — disputavit. 1062. Hoc tempore — fundavit suo. 1080. Claret — nominatus. 1097. Lanfranco — investirent. 1109. post: Cantuariae: qui nonnulla — commemorat, — quos — ut de loco anni 1109, quo Anselmi vita haud dubie a Sigiberto ipso nondum cognita citatur, taceam — jam eo textus puri Sigiberti non esse probatur, quod Robertus de Monte vel iisdem locis sicut ad an. 1051. vel similibus eadem fere de Lanfranco et Anselmo inseruit,[1]) nusquam tamen horum dictorum mentionem facit neque unquam verborum structura et orationis habitu consensum prodidit. — Repetitur locus ad an. 1051. usque ad verbum: *librum* ap. Helinand. pag. 147. unde etiam quamvis *Sigiberto* ipso praescripto in Vinc. XXV. 30. transiisse videtur. loci ad an. 1062. ap. Vinc. XXV. 36. 1080. ibid 65. 1097. ibid. 93. (cf. Chron. S. Bav. ad an. 1097.) neque traditur in omnibus singulare quiddam, quod non apud alios aequalium libros etiam inveniatur. — De loco tantum ad an. 1051. quaedam addimus. Nam particulam primam quam solum propter ea quae illam sequuntur, huic ordini adscripsimus.

inter quos dns abbas de cruce sancti Leufredi contra eum (scil. Berengarium Turonensem de corpore et sanguine Christi elegantem edidit librum *ι*

ut in editione Miraei, sic in textu Gemblacensi defuisse Albericus, loco e suo Sigiberti codice[2]) usque ad: disputatum est: descripto, Elinandum addere[3]) „inter quos — librum" tradens, confirmare videtur; attamen, num in aliis textibus Sigiberti puri haec non lecta sit, quaeritur, cum Chronista Beccensis, textus Roberti cum in omnibus, tum in hoc loco descriptor, eam ipsam receperit.[4]) — Apud Helinandum inter: dns: et: abbas: intrusus est: *Guido* quod sive Robertus de Monte sive Chronici Beccensis auctor recte:[5]) in: *Wimundus Monachus* de cruce sancti Leufredi: commutavit. —

ι. Transeo ad locos, qui vel *ad dioecesin Noviomensem*, inter cujus fines vivebat monachus Ursicampinus, vel ad ec-

---

1) cf. loc. pag. 389. not. 3. citat.

2) cf. ad an. 1050. pag. 85. Evincitur id eo, quod Albericus recepit illud: *et pro eo*: (cf. ap. Mir. pag. 154. lin. 4.) quod et apud Helinandum, et in Chronico Beccensi deest.

3) Si Albericus ait „Elinandum haec addere" ex dictis Guilelmi (Malmesburiensis) errat, quum Helinand., quem sequitur Vincentius demum post: librum: Guilelmi locum (cf. lib. III. fol. 63.) afferat.

4) cf. Append. ad Opp. Lanfranci pag. 2.

5) cf. locum Guilelmi Malmesbur. sup. cit. Fabricii Bibl. med. et infin. latinit. ad: *Guitmundus*, et Gall. Christ. XI. col. 633.

clesias illi finitimas pertinent. — Non est, qui non illis librum Sigiberti, plerumque historiae universali destinatum, magis deturpatum quam auctum esse censeat. —

Quorum primum affero notitiam ad an. 535. (Germanus — 1148.) de translata sede episcopali Veromanduis Noviomum,[1]) et conjunctis episcopatibus Tornacensi et Noviomensi, in qua nescio, utrum audaciam insertoris, an editorum indolentiam, qui in loco, quo Simonem episcopum anno 1148. obiisse legerunt, nihil de auctore annotarunt magis admirer.[2]) — Afferunt Galliae Christianae auctores[3]) de S. Medardo locum indicis episcoporum Noviomensium, quem medio circiter nono saeculo conscriptum esse tradunt, talem: „*Hic propter Vermandi subversionem Noviomum sedem] transtulit episcopalem,*" qui, siquidem aetas ejus recte indicatur, haud dubie ad verbum a Continuatore est adhibitus. — Huc etiam pertinere videtur locus an. 556. quo post: Obiit sanctus Medardus Noviomensis[4]) inseritur: *Tornacensis* et omisso, „et Suessionis sepelitur" additur: in cujus — adimplevit: — scil. de miraculo quodam quod in ejus transitu evenit, et de basilica Suessionis super ejus tumulum Clotharii regis jussu exstructa, Sigiberti adimpleta. cf. cum hoc loco ap. Greg. Tur. IV. 19. IV. 52. eumque repetitum ap. Vinc. XXI. 77. cum in Matthaei Vestmonasteriensis dicto ad an. 556.[5]) locus textus Miraei repeti videatur, neque in iis Alberici[6]) et Chronici Elnonensis[7]) ad an. 554. quamvis ap. utrumque Rex Lotharius memoretur, certum text. vet. vestigium inveniatur. —

Huic porro ordini adscribo notitias rerum *Ambianensium* ad an. 382. Civitatem quam — vocari. cf. ap. Vinc. XVI. 89. atque *ad eund. an.* Eo tempore — episcopum ap. Vinc. XVI. 89. cf. Galliae Christianae auctores Tom. X. pag. 1147. col. 1151.

---

1) cf. sup. pag. 368. cum not. 5. et 6.

2) cf. Vinc. XXI. 62. usque ad locum: regendam suscepit. etc. cf. Chron. S. Bav. ad an. 528.

3) IX. col. 979.

4) Verbum: episcopus: re vera ab Continuatore Ursicampino omissum esse, quamvis in textu veteri desit, non existimare possum, quia ap. Vinc. loc. cit. „noviomen*sium* et tornacen*sium eps*:" legitur.

5) cf. „sanctus Medardus Noviomensis episcopus virtutibus insignis migravit ad Dominum et Suessionis est sepultus." cf. Chron. S. Bav. ad an. 545. Chron. Tur.

6) . . . quem Rex Lotharius Suessionis sepelivit.

7) . . . Suessionis defertur tumulandus, agente rege Lothario.

Deinde moneo locos: ad an. 1080. Hoc etiam tempore — consecratus. repetit. ap. Vinc. XXV. 65. 1081. Regis Dagoberti — medicina. ap. Vinc. XXV. 66. cf. Chronicon S. Bavonis ad an. 1080. 1087. Sanctus Arnulphus — accepit. ap. Vinc. XXV. 84. paucis tantum amplificatis et immutatis vel excerptos vel ad verbum descriptos esse e libris I. et II. *Vitae S. Arnulfi Episcopi Suessionensis* [1]) qui quidem libri anno 1114. ab Hariulfo Abbate Aldenburgensi completi sunt. [2]) Hos Lisiardus Episcopus Suessionensis (ab anno 1108.) tanquam suo nomine editos Radulfo Remensium Archiepiscopo transmisit. [3]) eisque ab auctore in concilio Bellovacensi (an. 1120.) oblatis, [4]) tertium librum, miracula S. Arnulfi complexum, atque ipsum Radulfo Archiepiscopo inscriptum, post an. 1120. addidit. — Locos illos non Sigiberti esse posse patet. —

1) cf. cum loco an. 1080. S. Arnulfi Vitam lib. I. Cap. 5. ap. Mabill. Acta Saec. VI. Pars 2. pag. 511. Cap. 8. 9. 15. 16. II. 1. pag. 528. cum loco an. 1081. II. 21. cum loco an. 1087. II. 9. 13. 20. 24. 29 — 32.

2) cf. proprium ejus dictum in fine libri II. pag. 547. Mittit librum suum primum Lamberto Episcopo Noviomensi et Tornacensi (vid. epistol. 1. ap. Mabill. l. c. pag. 505 — 506.) qui quidem demum an. 1113. hanc dignitatem est adeptus. Gall. Christ. IX. col. 1000.

3) Edita enim est Vita haec sub nomine Lisiardi Episcopi apud Surii Vitas Sanct. ad diem 15. Augusti. (scil. in verbis valde mutata, in nonnullis decurtata, pluribusque ditata) perperam vero ut ex epistolis a Mabillonio l. c. pag. 505 — 507. editis coll. cum ipso Lisiardi dicto Libro III. cap. 15. pag. 552. apparet. — Misit Hariulfus opus suum Lisiardo Episcopo, ut testimonio successoris Arnulfi res ab illo gestae confirmarentur, atque nisi fallor epistolam, quam ipse de hac re dandam esse censuit Radulfo Remensi Archiepiscopo, cum Lisiardo communicavit (vide epist. 3. l. c. pag. 507.) qui eam, inscriptione solum mutata, atque nonnullis phrasibus emendatis vel omissis, tanquam suam, proprio operi praescriptam Radulfo misit. (cf. Epistolam Lisiardi ad Radulfum in Surii editione extantem et ap. Mabill. pag 507 — 508). — Monere liceat pro nostro consilio, Mabillonium *in bibliotheca monasterii Ursicampi* vitam hanc, quadraginta unius libri capp. distinctam, cum triplici illa Hariulfi Epistola invenisse (cf. eund. l. c. pag. 502. 503.). Guilelmus Cuperus Vitae in Actis Sanct. Boll. (Mens. Aug. Tom. III. an. 1737. pag. 221 — 259.) editor, plerumque in Mabillonii sententiam pedibus ivit.; tamen et tertii libri plura ab Hariulfo primum scripta et postmodum a Lisiardo recognita aut aucta fuisse non sine argumentis idoneis conjicit. cf. Comment. praev. Nro. 39. et pag. 257. Not. a. et e. Excerpta sunt plura e Vita ap. Bouquet XIV. 52. sq. cf. Gall. Christ. IX. col. 350 — 51.

4) cf. III. 15. Concilium Bellovacense, illic memoratum, cum Mabill. et Galliae Christianae auctoribus (IX. 350 — 351. 356.) in an. 1120. ponimus, quippe quod statim secuta esse videatur translatio corporis S. Arnulfi, celebrata cal. Maji 1121. (cf. III. 18. pag. 554).

Neque minus alieni ab ejus Chronico esse videntur loci de *rebus S. Quintini*, *Belvacensibus* et *S. Quintini Belvacensibus* quos in textu veteri hic illic observare licet. — Eorum amplissimus est an. 964. Hoc tempore — suspicarentur:) quo institutione monasterii S. Quintini in Insula super fluvium Somenae (in dioccesi Noviomensi)[2]) memorata, S. Quintini martyris ipsius mentio fit, atque cum prima ejus corporis revelatio per Eusebiam matronam, tum altera per S. Eligium facta breviter enarrantur. — Initium loci ad verbum consonat cum Vitae S. Quintini quam in bibliotheca Gemeticensi latitare tradiderunt Galliae Christianae auctores[3]) narratione, cum qua etiam ea, quae sequuntur, convenire conjicere licet. Porro, quae de prima revelatione in text. vet. Sigib. inveniuntur, cum „inventione S. Quintini per S. Eusebiam" ap. Hemeraeum[4]) et Surium[5]) edita, nisi in verbis, certe in re ipsa conspirant, neque minus Vitae S. Eligii, auctore Audoeno, lib. II. Cap. 6.[6]) vel Capiti 4. libri cujusdam de miraculis beati Quintini, ab Hemeraeo editi[7]) similia sunt, quae de altera Continuator ille Sigiberto inserere ratum habuit. — Annotandi sunt porro loci ad an. 1015. Comitatus — episcopo. ap. Helin. pag. 137. Vinc. XXV. 11. 1024. Hoc tempore in Gallia — competebat. ap. Helinand. pag. 138.

1) ap. Vinc. XXIV. 87.
2) cf. Galliam Christianam IX. col. 1079.
3) cf. l. col. 1080. cujus quidem locus incipit: Anno Ottonis primi XXV. *Christi* 960. ecclesia S. Quintini — inventum fuerat. Chron. S. Medardi Suessionensis in d'Acherii Spicileg. ed. nov. II. pag. 488. initium monasterii in an. 965. ponit.
4) cf. Claudii Hemeraei Augusta Viromanduorum vindicata et illustrata. Parisiis 1643. 4. — In Appendice edita sunt Acta passionis beati Quintini, e codice pervetusto Regalis Ecclesiae, quae est ejusdem Martyris Augustae Virom. eisque ex eodem codice submissa „Inventio etc." quam jam cum aliis in eodem codice exstantibus a *Raimberto*, Ivoni aequali propria manu exscriptam esse Hemeraeus tradit (cf. pag. 125.) cf. pag. 5—7. cf. Greg. Tur. de glor. Martyr. I. 73.
5) Acta Sanct. Mens. Octobris die 31. Actis Hemeraei fere consona nisi quod Surius pro more suo in verborum structura discrepat, atque versibus illis, quos Raimbertus actis ap. Hemeraeum addidisse fertur, caret. Apparet praeterea ex additam. ad Cap. XVII. (Invent.) Surium e vetustiori recensione hausisse. Citat Hadrianus Valesius Notit. Gall. pag. 596. ad vocem Veromanduorum passionem et revelationem S. Quintini in verbis tantum, ut videtur, differentem in codice *Musciacensi*. — Caremus tamen adhuc sollertia Bollandistarum, quae haec omnia colligat atque pro aetate sua distinguat, neque dijudicare possumus, utrum e Vita illa Gemeticensi Continuator Sigiberti, an illius auctor ex hoc hauserit.
6) cf. ap. d'Acherium ed. nov. II. pag. 92—93.
7) ex eodem cod. not. 4. designato l. c. pag. 10.

Vinc. XXV. 13. qui haud dubie ex Helinando transierunt in Albericum. — Confirmatur id quod potissimum his locis traditur, diplomate Roberti regis Francogalliae anno 1015. dato, quo comitatus Belvacensis ab Oddone comite (Campaniensi) episcopo Rogero traditus ipsi confirmatur.[1]) — Ad an. 1024. *hoc tempore* Rogerus decessisse perhibetur, cujus obitus e certioribus testibus in VIII. Cal. Julii anni 1022. incidit.[2]) — His iterum subnectendae notitiae 1067: His temporibus Belvacensi — Bellovacae urbis ap. Helinand. pag. 152. inde ap. Alberic. ad an. 1066. ap. Vinc. XXV. 42. cf. etiam Cod. Reg. 4992. ap. Bouq. XI. 636. et supra pag. 402. cum not. 6.[3]) 1069. Guido episcopus — IV. Nonas Octobris. cf. Helinand. pag. 152. ap. Alberic. ad an. 1069. 1078. Ab hoc tempore coepit reflorere — postea Carnotensium Episcopo. cf. Helin. pag. 154. inde ap. Alberic. V. B. XXV. 51. fol. 328. in quibus auctor potissimum *prope Bellovacum ecclesiam S. Quintini* aedificatam, dedicatam, atque in ea canonicum ordinem institutum esse tradit. Tantum abest ut haec fontibus aliis aequalibus contradicant, ut ipsam Vitam S. Romanae virginis et Martyris[4]) quae Guidone adhuc episcopatui Belvacensi praesidente (ante an. 1085.) conscripta esse mihi quidem videtur[5]) ejus fontem, e quo locus an. 1067. ad verbum extractus est,[6]) assequi liceat. — Superstat porro diploma Philippi regis an. 1079. emissum, quo basilicam S. Quintini Bellov. modo conditam confirmat atque sub tutelam suam recipit.[7]) —

1) cf. Gall. Christ. IX. col. 692 — 693. dipl. ipsum X. col. 243. No. IV.
2) cf. Gall. Christ. IX. col. 706.
3) Legitur apud omnes pro: ecclesiae sancti Quintini *Virdunensis: Veromandensis,* quod cum fontis auctoritate, tum totius narrationis connexu confirmatur. —
4) Cujus scilicet corpus Guido uno antequam ecclesia S. Quintini Bellovacensis dedicata esset die (scil. 3. die Octob. 1069.) eo transtulit. cf. Vitam Cap. 5. ap. d'Acherii Spicileg. ed. nov. II. pag. 136. Acta SS. Oct. II. pag. 130. excerpt. ap. Bouq. XIV. pag. 29.
5) Auctorem tempora inter an. 1060. et 1067. (Cap. IV.) „Nostra" vocat atque in fine: „Nos . . . martyrem cum ea imploremus, ut ipse pro fundatore et glorificatore Ecclesiae suae, et ipsa pro institutore et amplificatore solemnitatis suae Domno Guidone Episcopo . . . . intercedere dignentur apud eum . . . cf. Acta SS. l. c.
6) cf. Cap. IV. Cum hac Vita „liber ille coenobii (S. Quintini) Bellovacensis Ms." ex quo plura fragmenta edidit Hemeraeus l. c. pag. 123 — 124. in omnibus fere convenit. Desunt tamen nonnulla eorum (nescio num ab editore media in narratione omissa) quae ap. ipsum Continuatorem Sigib. repetuntur. scil. lin. 6 — 5. infer. pag. 136. laev. civitas — Antistite. lin. 1 — 2. super pag. 136. dext. porro „annus 1074." perperam intrusus est: cf. Acta SS. l. c.
7) cf. Gall. Christ. IX. 818. X. 246. Nro. VIII. cf. etiam Nr. IX. et Guiberti Novig. de Vita sua lib. I. cap. 13.

Cui locorum ordini duplicem quasi appendicem subnectere liceat: alteram additamentorum ad an. 649. post: Pontivensis: *et Geremarus Flaviacensis et Angadrisma quoque sacra virgo secus Belvacum*, quippe quum utriusque memoriae et cultui in dioecesi Bellovacensi magna esset auctoritas,[1]) quibus accedat tertium in textu vet. hujus anni additamentum ad: Philibertus: *de Herio insula*,[2]) quamvis id minime ad illam dioecesin pertineat. (Occurrunt additamenta haec ap. Helinand. lib. XLV. pag. 76. Vinc. XXIII. 84. ap. Chronicon tamen Turonense — quod quidem singulari annotatione dignum est — locus ad puri textus modum sine illis legitur:)[3]) alteram: narrationis illius obitus Anselmi de Ribodimonte (cujus etiam nomen cum in textu veteri ad an. 1096. inter insignes cruciferorum duces enumeretur, in cod. Gemblacensi deest): ad an. 1099. Christianis — pararet — quae mihi quidem solum eam ab causam inserta esse videtur, ut mira Anselmi (castellani S. Quintini)[4]) erga S. Quintinum devotio celebretur. In hoc tamen me etiam falli posse concedo, quia eam non solum ap. Helinandum. pag. 167. (usque ad verbum: Deus adjuva me) et integram apud Vinc. XXV. 102. sed cum nomine Anselmi ad an. 1096. etiam partem ejus primam *in Radulfi de Diceto Abbreviat. Chronic.*[5]) repetitam video atque inde, nisi honores ab Anselmo in S. Quintinum collatos, certe obitum ejus ap. Sigibertum lectum esse conjici potest. — Concinunt omnes fere primae cruciferorum expeditionis scriptores in infelici Anselmi obitu enarrando,[6]) quin etiam Guibertus Novigentinus eum laudat,[7]) quod „diem beati Quintini passionis annuum coactis *undecumque clericis*, quo poterat honore, *celebrari faciebat*, ac celebrantibus exenia digna praebebat." — quo dicto, si quidem illud jam in notitiam auctoris loci ad an. 1099. venit, hunc Continuatorem magis quam Si-

---

1) cf. Gall. Christ. IX. 787. 812.

2) de qua cf. Hadrianum Vales. Notit. Gall. pag. 295.

3) scil. . . . „Eligius Noviomensis, et Audoenus Rothomagensis in Gallia clarent. Quorum Eligius corpus beati Quintini martyris, domino revelante reperit et honorifice sepelivit. Ansegisus quoque filius Arnulfi, cui Begga soror Grimoaldi nupserat, et Philibertus et Richarius Pontivensis abbates insignes sanctitate habentur."

4) cf. Hemeraeum l. c. col. 132.

5) cf. l. c. col. 492. 498.

6) cf. Gesta Francorum ap. Bongars. pag. 25 — 26. Raimund. de Agiles ibid. pag. 164. Albert. Aq. V. 31. pag. 268. de obsidione castelli Archae cf. Wilken. pag. 253 — 256. Hemeraeum l. c. pag. 133.

7) VI. 23. ibid. pag. 531.

gibertum — qui Guiberti operis nullum prodit vestigium in annalibus ab an. 1096. usque ad an. 1100. — putandum esse demonstratur. — Huic autem iterum asserendus est locus an. 1079. Hoc anno — concessit: quippe quo Anselmus ille de Ribodimonte Sichero et Gualtero insulam, quae dicitur Aquiscinctus, donasse atque hoc modo coenobio S. Salvatoris ibi condendo locum dedisse tradatur. — Exstat notitia quaedam de constructione monasterii illius, edita primum in notis Richardi Gibboni ad vitam Gosvini abbatis Aquicinctini,[1]) cujus auctor se „quae ab aliis de constructione illa jam dicta sint, iterum narrare minime tentare, quae vero ab illis omissa sint . . . . . . brevi elogio, fide plena *sicut in Chronicis inveniantur, scribere velle*" testatus, narrationem addit, cujus et prima verba et alia quaedam cum his apud Sigibertum eadem sunt. — Est tamen illa loco apud Sigibertum longe amplior, ita ut nullum quidem apud hunc exstet verbum, quod non in illa recurrit, plura apud illam, quae Continuator Sigiberti non affert. — Quaestio tamen exoriri potest, utrum narrationis illius an loci ad an. 1079. auctor vetustior sit an uterque eodem fonte usus sit, quae ab iis, quibus ipsum Gibboni opus inspicere et de documenti illius aetate certiora quaedam cognoscere licet, melius dijudicabitur. — Integri loci descriptorem non inveni; ap. Helinand. pag. 158. usque ad verbum: Gualteri: exstat, atque usque ad idem in Andreae Marcianensis libro,[2]) ap. quem quidem additur „annuente et concedente Gerardo Cameracensi Episcopo." Solum usque ad *Aquiscinctus:* recurrit in Chron. Turonensi loc. cit. col. 1009. et in Chron. S. Bavonis. pag. 564. Etiam in Chronico Elnonensi ad an. 1078. legitur „Coenobium S. Salvatoris quod dicitur Aquicinctus aedificatur." Num igitur similis quaedam brevis notitia, in qua nulla Anselmi de Ribodimonte mentio facta est, in puro Sigiberto vel in Cod. Aquicinctino inveniatur, alii addant. —

Denique accedimus ad *notitias rerum Laudunensium*, scil. ad an. 1094. Pontificante in urbe — hoc saeculo, miraculum illud, quo Dei et S. Mariae clementia erga mulierem, homicidii ream, ut turpem adulterii suspicionem a se averteret, probata esse fertur, adnexa notitia an. 1095. Elinandus — Elinando, de episcopis Laudunensibus. — cf. de Helinando sup. pag. 427. locos ap. Vinc. XXV. 90. locum an.

1) Duaci 1620. Vita Gosvini Abbatis ab anno 1131 — 1166. (cf. Auctarium Sig. Aquicinctin. multis supra disputatum) a successore ejus, Alexandro scripta esse videtur. cf. notitiam reimpress. ap. Bouq. XIV. pag. 40. Vitae Fragm. ibid. pag. 442 — 448.

2) cf. Bouq. XIII 419.

1094. ap. Chron. S. Bavonis. — Eandem rem enarrat Hermannus Monachus,[1]) in modo tamen, quo homicidium illud patefactum sit, valde a Continuatore nostro discrepans. — Porro continuator brevi illi seditionis Laudunensis an. 1112. ap. Sigibertum moriturum narrationi[2]) gravissimam quandam rem illa priorem caedem scil. Gerardi de Carisiaco per Waldrici homines perpetratam subjunxit (Sed et antequam — occiderunt cf. ap. Helinand. pag. 174. ex quo Vinc. XXVI. 11.) quae, inspectis duobus optimis testibus, Guiberto[3]) et Hermanno[4],) scripta esse videtur. — Unde huic ordini sub scribo locum an. 1112. Ante hos dies — vixit (Vinc. XXVI. 11.) de difformi puero nato, quippe quum e Guiberti libro de Vita sua III. Cap. 11. exscriptus sit.

ζ. Postremum annoto locum an. 792. Hoc tempore in Flandria — Juditham filiam Caroli Calvi (cf. narrationem ap. Vinc. XXIV. 42.) quam quidem fabulam de vetustis Flandriae comitibus seu forestariis[5]) Sigibertum ipsum minus quam Continuatorem ejus decere arbitror. Primum — quantum scio — simili modo legitur in Genealogia illa Forestariorum et comitum Flandriae antiquissima quae usque ad an. 1120. pertinet atque in codice a Lamberto filio Onulfi canonico sancti Audomari collecto[6]) extans[7]) fortasse ab illo ipso auctore composita vel continuata est.[8]) Neque tam aliena sunt dicta ejus initialia[9]) a loco illo text vet. ut auctorem ejus non vel ea vel simili usum esse statuere possis.

---

1) de miraculis S. Mariae Laudun. III. 27. l. c. pag. 555.

2) de qua vide sup. 132.

3) liber de Vita sua III. 5. l. c. pag. 500—501.

4) l. c. I. 1. pag. 528.

5) de qua cf. Warnkoenig. l. c. I. pag. 105—110. de Smet Corpus Chron. Flandriae. Praef. pag. XIII.

6) nunc Codice bibl. univers. Gandavensis No. 297. sub titulo: Lamberti floridus: de quo sup. pag. 447. not. 4: et loc. ibid. cit.

7) edit. ap. Warnkoenig l. c. I. Probb. Nro. VI. ap. Bouq. XIV. pag. 520. „ex ms. cod. inter collectanea Andreae Chesnii, in Bibl. nat. Paris" et ap. de Smet. pag. 1—6.

8) quia de Carolo comite: anno dom. *nativ.* 1120. *ecclesiam sancti Audomari ingressus*, cum principibus regni sui primam curiam tenuit.

9) scil. Anno ab incarn. domini 792. Karolo Magno regnante in Francia Lidricus Harlebeccensis comes videns Flandriam vacuam et incultam ac nemorosam, occupavit eam. Hic genuit Ingelramnum comitem. Ingelramnus autem genuit Audacrem. Audacer vero genuit Balduinum Ferreum. Balduinus autem Ferreus genuit Balduinum Calvum ex Judith, vidua Adelbaldi regis Anglorum, filia videlicet Karoli Calvi regis Francorum. Locus hic repetitus est in Genea-

2. Exordimur seriem locorum textus veteris, quos, quamvis ap. Miraeum desint, Sigiberto vindicamus in insigni illa narratione de concilio Romano an. 773. jam supra disputata.[1]) — (Adrianus papa — publicari). Cum enim et interiores causae, jam pluribus locis allatae ut eam Sigiberto magis, quam ulli Continuatori adscribas, te commoveant neque solum ap. Helinandum pag. 99—100. et apud Vinc. Bell. XXIII. 168. sed etiam in textibus e Roberto de Monte descriptis, Radulfo de Diceto, ad an. 773. et si hunc nonnullis, quae Sigibertum purum minus deceant, inquinatum spernere velis, ipso in Matthaeo Vestmonasteriensi pag. 143. auctoris testimonio. „Haec ex Sigeberto" praeditam invenias, jam eam Sigiberto imputare possis. Neque dictu est difficile, cur apud Miraeum desit locus; nam eum vel editor pro licentia illa, e Sigiberto quaedam, quae Pontificibus nimis iniqua esse censeret, recidendi [2]) omisit atque pro eo brevem notitiam ad an. 773. substituit, vel — quod equidem multo verisimilius ducam — monachus quidam Gemblacensis pium id esse officium opinatus eum e membrana erasit.[3]) Id ut credam inducor primum eo quod jam Albericum in an. 774. initio pag. 108. locum textus Miraei: Adriano — obsidet: repetere atque an. 775. pag. 111. pluribus e Sigiberto quae in utroque textu ad an. 774. exstant (Inter obsidendam — coeperunt) allatis; „Elinandum quaedam ad supra dicta addidisse" confessum, citato etiam Gratiani decreto, decretum illud concilii edere, quod, si ap. Sigib. legisset, haud dubie alio modo indicasset, tum eo, quod Tissierium in nota ad locum illum Helinandi insignem[4]) in Codice manuscripto Sigiberti,

---

logia Comitum Flandriae e Cod. ms. monasterii Clarimarisci prope Audomaropolim. ineunte saec. XIII. scripta ap. Martene et Durand Thes. anecdot. III. 379.

1) cf. pag. 44—48.

2) de qua cf. sup. pag. 364. not. 1.

3) Dubito an testimonium Dom. de Neny. qui saec. XVIII. vivebat in epistola ms. in scriniis reg. Belgicis nunc asservata, enarrantis „se cum Gemblacensem abbatiam V. D. Schoepflinio comite visitasset et codicem manuscriptum illum ibidem inspexisset concepisse „une note sur la partie du manuscrit, où il est question du différend entre l'Empereur Henry IV. et le fanatique pape Gregoire VII. qu'un moine ignorant avait cherché mais inutilement à effacer", et addentis: „je remis une copie de cette note a M. Schoepflin, pour être enchâssée dans son exemplaire imprimé, comme je l'ai inserée dans le mien." (cf. Reiffenberg Introduct. ad coll. script. Belg. I. pag. XVI—XVII.) ad hunc pertineat locum.

4) Bibl. Cisterc. VII. 100.

qui in biblioheca Signiacensi asservetur, hanc fabulam praetermitti, neque ullum de eo verbum haberi animadvertere video. —

Ei adnecto locos ad an. 520. Regnum Hunnorum finitur. ad an. 533.- Regnum Wandalorum finitur. cf. Albericum ad an. 534. ad an. 548. Ostrogothorum regnum finit. 720. Regnum Wisigothorum finitum est. 774. Regnum Longobardorum finitur. 890. Regnum Burgundionum incipit 912. Ordo Cluniacensis incipit. 977. Abhinc de Constantinopolitano imperio taceatur. (de quo cf. sup. Radulfi de Diceto Abbrev. ad an. 980. Helin. pag. 131. Vinc. XXIV. 3.) quos, etsi non omnes pari auctoritate commendantur, jam eam ob causam Sigiberto adscribo, quia pluribus aliis locis, quos uterque textus affert scil. ad an. 680. 735. 801. 820. morem ejus, initia et fines regnorum vel certe annalium, quibus ipsi uti licuit, annotandi cognovi. Atque Miraeum jam ad an. 1099. tali notitia abundare diximus. 1) —

3. Restant porro plures loci, quorum alii nullo testimonio alii pluribus argumentis Sigiberto adjudicantur, alii pro specie sua medii inter genuinum Sigibertum et continuatorem ejus Ursicampinum haerent. — Quos tamen, quamvis diversam eorum auctoritatem cognoscamus, solum secundum naturalem ordinem percensere liceat, ne conjecturis quibus fortasse jam nimium dedimus freti partitionem earum iteratam tentemus. — Locos an. 447. 472. 529. 542. 596. 605. 731. 1096. ex argumentis, quibus eos fulcire licuit, magis quam fabulam anni 1038. et locos an. 1054. 1107. Normanniam spectantes Sigibertum decere vix est, quod multis verbis addamus. —

447. Nomina — Constantinus: leguntur haec in fonte Sigiberti, Gregorii Turonensis libro de gloria Martyrum Cap. XCV. repetit. ap. Vinc. XX. 31.; 472. His diebus — comparuit. ap. Vinc. XX. 57. cf. sup pag. 22. et pag. 452: Greg. Tur. Mirac. S. Martini I. 6.; 488 Hoc tempore — recolitur ex Anastasii Vitis Pontif. l. c. pag. 122. *ap. Alberic. ad an.* 489. ap. Vinc. XX. 102.

529. Sanctus Benedictus — quam docuit. Paul. Diac. I. 26. errorem, qui citato illi Gregorii M. Dialogi inest, jam supra pag. 70. indicavimus. Monere liceat, Auctorem ibi Gregorii dictum (vid.pag. 70. not. 4.) „sanctus vir nullo modo potuit *aliter docere quam vixit*" hoc modo adhibere, ut dicat Gregorium etiam testari „eum non *aliter vixisse, quam docuit*." Hanc loci verbo-

1) Huic ordini etiam omnia nomina regum et paparum, aliaque quae in editione princ. in rubris scripta exstant, adscribi possunt. —

rum commutationem etiam ipso illo dicto in libello de gestis Abbatum Gembl. adhibito reperiri constat; nam ibi pag. 760. de Erlvino „ubi non aliter *vixit quam alios vivere docuit.* pag. 767. de Mascelino: secundum *quod vivebat*, *etiam alios vivere docebat*," atque phrasin illam hoc modo Sigiberti memoriae infixam esse probabile est. — cf. Vinc. XXI. 54.; 536. post: obiisse: et Maurum discipulum ejus in Galliam venisse. quamvis notitia tantum obitus Benedicti ap. Florentium ad an. 536. et locus sine hoc additamento ap. ipsum Vinc. XXI. 67. et Matth. Vestmonast. ad an. 536. legatur. cf. tamen utrumque text. ad an. 509.; — 542. Constantinopoli — cessavit. ex Hist. misc. XVI. 21. (coll. cum Mariano Scoto. cf. Florent. Wig. ad an. 541. unde etiam Matthaeus Vestmonast. locum accepisse videtur) ap. Vinc. XXI. 73.; 564. Et iste quidam — Metas. e Paulo Diac. II. 10. Aim. III. 1. cf. Chronic. Elnonense S. Amandi (Alb. ad an. 563?); 571. Sanctus Amandus nascitur. cf. Baudemundi Vitam S. Amandi de qua sup. ap. Breve Chron. Tornacense S. Martini et Elnonense S. Amandi Vinc. XXI. 119. Chron. S. Bavonis ad an. 571. — 596. His diebus irruentes — deferentes cf. Greg. M. dial. II. 17. Paul. Diac. IV. 18. (cf. Mariani text. edit. et Florent. ad an. 596.) ap. Vinc. XXII. 10. ap. Matth. Vestm. ad an. 597. (?) —

605. Gregorius dialogographus (ed. princ. et Vinc. XXII. 104. dyalogus) obiit cf. Vitas Gregorii M., Paul Diac. IV. 30. qui Gregorii obitum secundo Phocae anno (quem Sig. anno 604. imperium adeptum esse ait) adscribit. cf. Marianum et Florent. ad an. 605; — 609 post: solemnitatem omnium: „martyrum — in honore omnium:" quod additamentum fontibus Sigiberti (Anastasii) Vitis Pontif. l. c. pag. 135. Beda II. 4. Paul. Diac. IV. 37. Mar. Scot. ad an. 609. nisi confirmatur, at certe non respuitur. ap. Vinc. XXII. 107.; 651. Sunt hoc anno in text. vet. additamenta quaedam memorabilia ad Vitam S. Landelini scil post: florebat: *sanctus:* post: Landelinus: *confessor Christi* post: retractus: *et a beato papa Martino ad praedicandum ordinatus*: post: fundator: coenobio*rum* (i) (Lobiensis) *Alvei* (lege Alnei, Alnae) *Waslaris atque Crispiniensis*, *ubi corpore requiescit cum discipulis suis Adoleno et Domitiano.* haud dubie ex ipsa S. Landelini Vita hausta,[1])

---

1) cf. Vitam S. Landelini ap. Mabill. Acta II. pag. 873. sq. cf. Cap. II. III. V. VII. VIII. quamvis neque in ea Domitianus et Adolenus Crispinii sepulti esse tradantur. Landelinum Crispinii sepultum esse confirmat diploma ap. Baldericum I. 67. cf. eund. II. 29. ex edit. Le Glay. cf. Comm. praev. ad Acta Boll. 15. April.

quippe cum Fulcvinus neque quidquam de itinere Romano tradat, neque condita haec esse monasteria a Landelino afferat, sed potius Alnam et Waslaris ab Ursmaro demum condita esse enarret.[1]) — Refutatur vero is Vitae illius testimonio, quod etiam Baldericus approbasse videtur.[2]) — Utrum ipse Sigibertus hoc scripserit an alius Gemblacensis Chronici exemplari antequam illud inde emissum esset, inseruerit dubium quidem mihi videtur, in Gallia tamen ab Ursicampino demum rem Lobiensem, a Gemblacensibus neglectam insertam esse non possum, quin omni verisimilitudine carere existimem. cf. haec apud Helinandum pag. 77. V. B. XXIII. 104. partem Chron. Turon. col. 954. — Porro in exemplari e quo Chronici Lobiensis auctor annum 652. excerpsit haud dubie deerant quippe qui, si ea legisset, non intacta reliquisset. (cf. eund. ad an. 637.) contra ap. Aegidium in marginali annotatione. l. c. pag. 92. prima loci Sigibertani ad an. 651. parte descripta haec: tunc florebat *S.* Landelinus, *Christi confessor* ab Auberto Cameracensi Episcopo ex praedone ad Christum retractus, fundator *coenobiorum* super Sambram *Alnae* et Lobiensis: quibus quaedam cum text. veteri concinere manifestum est; 685. Sanctus Amatus — exiliatur, cf. an. 672. in utroque textu. locum Balderici I. 22. ibi fortasse conjectura amplificatum (cf. sup. pag. 294.).

729. (ap. Mir. ad an. 730.) post: obiit: *qui mira sanctitate claruit* quod e Bedae H. E. III. 27. explicari potest, quamvis ap. Alberic. et ap. Vinc. XXIII. 149, sine hoc additamento inveniatur. 731. post: avertit: Hic constituit — conscribi fecit ex (Anastasii) Vit. Pontif. pag. 159. laev. ipsis verbis desumptum. Loci vestigia exstant ap. *Radulfum de Diceto* ad an. 740. descript. ap. Vinc. XXIII. 149; — 761. Caput Joannis — transfertur. cf. sup. pag. 373. 376. pag. 452. Helin. *Matth. Vestm.*

843. His temporibus floruit Theodulphus — jussit eum absolvi. — Exstat enim haec Theodulphi fabula, quantum scimus — primum hoc modo in Hugonis Floriacensis Chronica[3]) atque apud Florentium Wigorniensem ad an. 840. pag. 581. iisdem verbis. — Dubito, num Sigibertus ipse Hugonis librum, qui cum Ludovico (VI.) Regi Francorum inscriptus sit, post an.

---

1) cf. Cap. IV. pag. 732.

2) cf. lib. II. Cap. 23. Se etiam Vitam S. Landelini legisse, confiteri videtur lib. I. 17. lib. II. 26.

3) ed. Bern. Rottendorf. Monasterii 1636. 4. pag. 180. cf. de opp. ejus omnibus Archiv. VII. 525.

1108. demum lucem vidit, cognoverit; est tamen, etsi non omnino probabile, tamen a rerum natura non alienum, hanc narrationem jam ap. Marianum Scotum integrum exstitisse, quod si, codicibus ipsis inspectis, confirmatur, non dubium est, quin inde a Sigiberto ipso recepta sit, quum locus ille textus veteris in singulis verbis saepissime cum eo consentiat, quumque excerpti e loco tali desumpti speciem prae se ferat, atque dictum „*de quo refertur*" ad certum respiciat fontem. — Locus Fragmenti Hist. Francicae a Ludovico Pio Imp. usque ad regem Robertum (quod editum est a Chesnio Tom. III.) [1]) etiam inde desumtus, atque tantum in phrasibus immutatus decurtatusque esse videtur. — Locus Hugonis in Albericum, [2]) inde in Magn. Chron. Belgicum, [3]) locus Florentii in Radulfum de Diceto [4]) et Matthaeum Vestmon. [5]) locus Sigib. in Vinc. XXIV. 35. transiit.

970: post: imperavit: *annis* 6. quam notitiam Sigibertus haud dubie e CodiceHistoriae miscellae desumere potuit (vid. sup.) cf. ap. Helin. pag. 133.; 977. post: claret: qui apud Brutios — glorificatur. — cf. supra. quod additamentum quamvis desit apud Helinandum legitur ap. Vinc. XXIV. 89.

1038. In Apulia — obtulit (ap. Vinc. XXV. 17.) cujus fabulae nec fontem nec simile quiddam hucusque invenire potuimus; 1054. Bellum apud mortuum mare. cf. Accessiones Roberti de Monte l. c. pag. 724. ad hunc an. et Guil. Gem. VII. 24. Helinandus legit locum. cf. pag. 149. num etiam Albericus qui ad an. 1055. pag. 92. „Bellum fuisse apud mare mortuum in quibusdam Chronicis annotatur;" ? — 1092. Dominus Ivo — episcopus, quo quidem loco, cum Ivo Praepositus Sancti Quintini Belvacensis nominetur, affinitas quaedam cum locis an. 1067. 1069. Cont. Ursicampino adjudicatis cerniposset, cum vero Ivo fuerit vir magnae apud aequales famae, non est, cur non Sigibertum ejus mentionem fecisse statuere possis, praesertim cum non solum ap. Helinandum, et Vinc. XXV. 88. sed etiam ap. (Albericum?) Matthaeum Par. ad an. 1093. inveniatur, unde Matthaeus Vestmonast. (recepta etiam insana lectione *Suho* pro *Ivo*) eum

1) pag. 336. Pertinet fragmentum ad multiplex illud Hugonis libr. genus.

2) cf. pag. 166. ad an. 820.

3) ap. Pistor. III. pag. 52. quamvis Hugonem ipsum citet. —

4) l. c. col. 449. ad an. 818.

5) l. c. pag. 156. ad an. 842. Chronicon Turonense l. c. col. 963. anno Ludovici VII. (i. e. 821.) plura affert, quae apud Sigib. non leguntur. —

recepit; 1095. Hoc anno sacro igne — nigrescentibus ap. Vinc. XXV. 90; 1096. caede Iudaeorum in utroque textu enarrata: (Aliqui), *Judaeorum zelo tenendae patriae legis ducti se mutuo trucidant alii ad tempus se credere simulantes* (post ad Judaismum revolvuntur) Locus ille, quem alii aequales longis narrationibus confirmant, num ab alio intrusus sit dubito; exstat ap. Helin. pag. 164. *ap. Alberic. pag.* 148. ap. Vinc. XXV. 92.; — 1096. . . . (Hugo) *magnus* (frater) *Philippi* (Regis) ap. Helinand. et Vinc. XXV. 92. sicut in textu veteri, ap. Alberic. sicut in textu Miraei; post: Dux Apuliae: *et Tancredus nepos ejus*, quod ap. Albericum, Helinandum et alios deest, invenitur vero ap. Vinc. l. c. ap. Matth. l. c. „*Boamundus nepos Tancredi.*" 1096. Horum omnium curam — perseveravit: quaedam vulgaria de Aimaro Podiensi et Petro Eremita, quae quidem, cum ap. alios desint, repet. ap. Vinc. XXV. 92. — Num ea legerint Radulfus de Diceto et Matth. Vestm. dubium est. Narratio belli sacri omnibus his quatuor additamentis ad an. 1096. caret atque presse textus Miraei sequitur vestigia. —

1105. Vigilia natalis Domini — in Hierosolymis. ap. Vinc. XXV. 116. 1105. Duo orbes — coelestis ap. Vinc. XXV. 116; 1107. Bellum apud Tenechebray — Normanniam obtinuit (de quo cf. Florent. Wig. ad an. 1106. Robertum de Monte ad an. 1107.) excerpt. ap. Helin. ad an. 1107. pag. 171. unde ap. Albericum pag. 206.

4. Ab omni horum locorum ordine notitia illa editionis principis ad an. 854. (Fama est — numerum non facit) de Joanna papissa secludenda esse videtur. Non solum Miraeus [1]) — cujus testimonium quis in dubium trahere possit, — eam in quatuor quibus utebatur codicibus, non legi ait, sed etiam Editores script. rer. Francogallicarum eam in „codicibus manuscriptis non exstare" tradunt [2]) atque idem de codice olim Corbejensi tunc Leydensi (qui quidem non solum non generis Gemblacensis est sed etiam affinitate quadam cum textu veteri uti videtur.) aliisque, quos alii memorarunt codicibus confirmat Fridericus Spanhemius. [3]) — Accedit quod ap. Vincentium Bellovacensem, integrum textus veteris descriptorem, qui quidem locum proxime antecedentem ad an. 853. (Normanni —

---

1) cf. edit. pag. 107. ad an. 854. Eam in Gemblacensi deesse jam testatus est Molanus (cf. Indicem libror. expurgandorum per Jo. Fr. Mariam Brachisellensem ap. Miraeum Praef.

2) Script. XIII. Praef. pag. XXVII.

3) Opera Tom. II. pag. 593. de Codd. vide infra.

incendunt) et proxime subsequentem (Hincmarus — scripsit) ipsis verbis desumpsit (lib. XXIV. 36 nulla hujus loci mentio invenitur;[1]) quod etiam Marianum Scotum in cujus editionibus Joannae Papissae mentio,[2]) non solum e testimonio Miraei, qui codicem illius Gemblacensem viderat,[3]) sed etiam collato Florentio (ap. quem ad an. 853. „Leo Papa 102." ad an. 858: Benedictus 103. p. P. legitur, nullus igitur locus Joannae cuidam datur)[4]) hac notitia caruisse probari videtur. Quibus omnibus commotus sum, ut in vetustiorum opinionem „a primis *editoribus* demum hunc centonem Sigiberto esse assutum" pedibus irem.[5]) — Denique non est, quod hoc loco tumulum Joannae Papissae in quem jam Leibnitius flores sparsit[6]), effodiam atque de re jam longe acta iterum agam, licet calumniam hanc ineptam ab hominibus nugarum nimium cupidis inventam a nonnullis, qui se criticos jactant atque saluti generis humani adjumenti quid afferre student hodierno adhuc tempore repetitam esse videam. —

D. Loci editionis principis, qui apud Miraeum litteris minusculis extant.

De his potissimum locis id, quod Paquot in epistola ad Kluitium[7]) contendit, plura haec additamenta, quae Miraeus distincto charactere imprimenda curarit, haud dubie Sigiberti (scil. primi codicis scriptoris) manus esse acceptum velim. Porro, cum magnum eorum numerum sigillatim perstringerem, magis quam hoc testimonium id, quod plerosque vel e Sigiberti fontibus haustos atque eodem, quem ille adhibebat modo in excerptum redactos vel cum aliorum illius libellorum locis consentientes, vel in variorum textus generum descriptoribus ad verbum descriptos vidi — me commovit, ut eos, nisi cau-

1) cf. Indicem libr. expurgandorum l. c. ad an. 854.

2) l. c. pag. 639. 854. Huic successit Joanna mulier, annis 2, mensibus 4, diebus 5.

3) cf. sup. Miraeus ad an. 854. — de Genebrardi et Chiffletii codd. vid. infra.

4) Idem argumentum in Sigiberti textum valere non potest quamvis et ibi ad an 854. Benedictus 102. Leonem 101 Papam (ad an. 847.) sequatur, nam falsator de hac re satis cavens, eam „nomini numerum non facere" addidit.

5) cf. Brachisell. in Indice l. c. ubi Henrico potissimum Stephano culpa imputatur. —

6) cf. Leibnitii Dissertationem „Flores sparsi in tumulum Papissae," in (Scheidtii) Bibliotheca Historica Gottingens. pag. 297. sq. aeque doctrina plenam atque acumine insignem elegantia facetiisque nitentem.

7) Hist. critic. II. 1. pag. 98.

sae quaedam, eos vel rejiciendi vel eorum originem in dubium trahendi sufficientes adessent, Sigiberto adjudicarem eorumque cum Sigibertanis in commentatione mea usum facerem. — Liceat igitur singulos in fine e naturali ordine percensitos argumentis quae nobis praesto sunt, fulcire, atque abstineamus, quin de hoc vel illo, in quo argumentorum illorum copia non pari ubertate nobis affluebat dubitemus, vel in ordine quem editoris arbitrio haud raro institutum esse constat leges quasdam nimio persequamur studio.

382. post: sicut erat: Instituit etiam — usque pervenit cf. Anastasii Vit. Pontif. Romanorum l. c. pag. 114. cf. ap. Rob. S. Mariani fol. 56. vestig. ap. Chron. Turonense col. 925.; 383. Basilius Caesareensis — feliciter moritur. cf. Robert. S. Mariani fol. 56. Vinc. XVI. 94. — Matth. Vestmonast. ad an. 383. (?); Albericum ad an. 383. (?); 383. Damasus Papa — expelluntur, ex Anastasio l. c.; 383. Apollinaris — substantiae fuerint. cf. Rufini Hist. eccles. II. 20. S. Augustini libr. de haeresibus Cap. 20. Cassiodori Hist. trip. IV. 3. vid. sup. pag. 23. cf. Rob. S. Mariani l. c. Chron. Turonense. col. 925. *Albericum ad an.* 384 (?) Magn. Chron. Belg. ad an. 384. l. c. pag. 13. — 384. Damasus — Chor episcopi (cf. sup. pag. 41.) quem locum sequitur ap. Mir: *Chore enim Graece, villa vel regio Latine* ap. text. vet.: *id est regionum vel villarum episcopi.* Rerum connexui maxime est accommodatum, si utramque lectionem componas, quod fortasse licet per exemplum Roberti S. Mariani, apud quem l. c. fol. 56: Damasus — Chorespiscopi i. e. regionum vel villarum episcopi χώρη enim graece, villa vel regio latine. — 396. Hoc tempore in castello Emaus — diebus quatuor. ex Hist. misc. XIII. 16. cf. *Chronogr. Sax. ad an.* 388. *Matth. Vestmonast.* ad an. 407. Rob. S. Mar. fol. 58. Vinc. XVII. 64.

411. Romae femina gigantea — stupori erat cf. Vinc. XIX. 3.; 413. His diebus apud Africam — inde fieri possent. cf. Vinc. XIX. 4.; 413. Franci — denominavit e Greg. Tur. II. 9. et Gest. Trevir. in init. (?) (cf. pag. 232. not. 1.) ap. Magn. Chron. Belg. pag. 13. ad an. 28. Theodosii; 425. Hoc tempore Theonistus — pro Christo martyrizantur. cf. Flor. Wig. ad an. 450. l. c. pag. 542.; 430. Augustinus — sibi substitui fecit; 441. post: hostiam: Hic quoties — consecrati sunt. ap. Vinc. XX. 29.; 447. Apud Ephesum — dormiunt in Christo. e Greg. Tur. de glor. Martyr. Cap. 95. vid. sup. ad C. pag. 472. cf. *Alber. ad an.* 449. Vinc. Bell. XX. 31.; 453. Omnibus bellis famosius — clariorem reddiderunt, locus de undecim millium virginum passione de qua vide pag. 351—352. cf. Rob. S. Mar. fol. 62. 1—2. Vinc. XX.

39; 458. post: Simeon qui: *XL. annis inclusus*: cf. Chron. Tur. col. 931. Magn. Chron. Belg. pag. 16. — 471. Remigius fit Remorum episcopus cf. sup. et breve Chronicon Tornacense S. Martini l. c. ad an. 472. Vinc. XX. 56. Chron. S. Bav. ad an. 471; 471. Sarracenis — Venetiam cf. *Albericum ad an.* 471. V. XX. 56.; 492. Achatius — percutitur ex Anastasii Vit. pontif. l. c. pag. 122. cf. Alberic. ad an. 493. (?); 495. Florebant hoc tempore — abbates. cf. *Alberic. ad an.* 495. Chron. Turon. col. 932.

509. Gibrianus Scotus — illustrat. e Flodoardi Hist. eccl. Rem. IV. 9. fol. 345. Vinc. XXI. 3.; — 515. Hoc tempore in Alexandria — quasi canes latrabant ex Hist. misc. XV. 14. V. B. XXI. 3.; 532. Ab hoc anno Dionysius — evangelicae veritati. cf. sup. ad librum Decennalem pag. 324. — ap. *Matth. Vestm.* ad an. 532; 534. Theodericus abbas — in Francia clarent. e Flod. Hist. Rem. I. 24. 25. fol. 79 — 85. 86 — 91. ap. Alber. ad an. 533 (?) *Matth. Vestmon.* ad an. 534. Vinc. XXI. 62.; 535. In Galliis — assumti a Christo. cf. Breve Chron. Elnon. S. Amandi ad an. 534. *Matth. Vestm.* ad an. 535. cf. sup. pag. 464; 535. In Italia Episcopi — Populonii: utrumque cum nota Miraei. „Ista in Cod. Gembl. recenti manu sunt adscripta, et quidem in loco cultris raso" e Greg. Magni Dialogo III. 5. 6. IV. 56. III. 12. cf. Vinc. XXI. 62.; 537. Hoc tempore in una urbium — mortuus et sepultus est. cf. vestigia ap. Alberic. ad an. 538. Chron. S. Amand. *Matth. Vestmon.* ad an. 537. Vinc. XXI. 69.; 550. Arboris — transformantur. e Greg. Tur. IV. 9. ap. Additam. ad Aegidium e Cod. Aureae-Vallis. l. c. pag. 57. *Matth.* ad an. 550. Vinc. XXI. 77.; 552. Hoc tempore in Oriente — eventilasset e Greg. Tur. lib. de gloria Martyrum cap. 10. vid. sup. pag. 24. cf. *Matth.* ad an. 552. Vinc. XXI. 78.; 555. Quasi species lanceae — in Occidentem. ex Hist. misc. XVI. 25. ap. Chronograph. Sax. ad an. 555. (?) *Matth.* ad an. 555. Chronicon breve Remense ap. Labbe I. 358. ad an. 556.; 558. ad: Gregorius: *filius Gordiani senatoris*: e Pauli et Johannis Diac. Vit. Gregorii Magni. l. c. pag. 386. pag. 400. vid. sup. pag. 23. cum hoc additamento ap. *Matth.* ad an. 558. cf. Vinc. XXI. 81.; 558. Terraemotus — factus est. ex Hist. misc. XVI. 25. Chron. Remense ad an. 556. Vinc. XXI. 81.; 561. post: claruit: — Britannos vero — sanavit: quod additamentum Sigiberto deberi cf. sup. ap. Vitam S. Maclovii pag. 305. cum not. 6. ap. *Matth.* ad an. 561. Vinc. XXI. 93.; 562. In Gallia — praecipitatus est. e Greg. Tur. IV. 31. *Matth.* ad an. 562. Chron. Remense 563. Vinc. XXI. 92.; 565. Multa signa — apparuerunt. ap. Matth. Vestmo-

nast. ad an. 565. Chron. Rem. ad an. 566.; 566. Samson Dolensis — sanctitate et doctrina. cf. Vitam S. Maclovii ap. Mabill. I. vid. pag. 304. not. 1. ap. *Matth. Vestm.* ad an. 561. Alber. ad an. 566. Vinc. XXI. 105.; 567. Sanctus Basolus — in Francia clarent. e Greg. Tur. IV. 33. Flod. Hist. eccl. Rem. II. 3. Vinc. XXI. 116.; 569. post Vvisigothorum: quae et Brunichildis dicta est. cf. Greg. Tur. IV. 27. Gesta reg. Franc. Cap. 31; — 573. Hispani et Franci — repleti sunt e Greg. Tur. V. 17. cf. *Matth. Vestmon.* ad an. 573. Chron. Remense ad an. 577. Vinc. XXI. 126. Albericum ad an. 577. (?); 578. Brunichildis uxor ejus — ab ea fieri potuisse. ex Aimoino III. 4. IV. 1. vid. sup. pag. 25. Vinc. XXII. 106; 583. Turonis — effluxit e Greg. Tur. VI. 21. cf. Matth. ad an. 583. Vinc. XXII. 1.; 585. Guntrannus Francorum rex — usibus delegavit. e Paulo Diacono III. 35. ap. *Matth.* Vestmonast. ad an. 586. Vinc. XXII. 2.; 593. Hoc tempore regnabat — et Ultanum. cf. Albericum ad an. 594. Vinc. XXII. 10.; 596. Sol a mane — partem e Fredegarii Chron. cap. 13. Vinc. Bell. XXII. 10. cf. Cod. Laudunensis notitiam apud Archiv. VII 533.; 598. Marculfus Abbas Bojocassinensis (text. vet. lectio Bajocensis ap. Vinc. XXII. 11. baiocacensis) claret in Gallia.

606. Hoc tempore pauper quidam — permanente e Gregorii Tur. libro de gloria Confessorum Cap. 111. ap. *Radulf. de Diceto* l. c. col. 437. Matth. Vestm. ad an. 606. Vinc. XXII. 107.; 607. Sabinianus Papa — obiit. Post quem: e Pauli Diaconi Vita Gregorii M. Cap. 24. ap. Mabill. l. c. pag. 396—397. ap. *Matth. Vestm. ad an.* 607. Vinc. XXII. 107.; 607. Hic obtinuit — primam omnium Ecclesiarum cf. (Anastas. Vit. Pontif. Paul. Diac. Hist. Langobard. IV. 37.). Reginonis Chron. ad an. 538. (Marian. Scot. ad an. 608.). — cf. *Chronograph. Sax. ad an.* 607. l. c. pag. 94. Breve Chronicon Lobiense. l. c. col. 1411. Radulf. de Diceto ad an. 607; 607. Hic in concilio — electio sacerdotis ex (Anast. Vit. Pontif. l. c. pag. 135.) Mariano Scoto ad an. 608. ap. Radulfum recurrit locus mutilatus; V. 107. 613. Virtus et nomen — se meruisse laetati sunt. e Greg. Tur. de gloria Martyr. I. 14. ap. *Matth. Vestmon.* ad an. 613. *Alberic.* ad an. 613. Vinc. XXIII. 1.; 614. Hic etiam — nubat. vid. sup. pag. 40. ap. *Matth.* Vinc. XXIII. 1.; 618. Hic constituit (Mir. decrevit) — solvendi, cf. supr. pag. 41. Vinc. XXIII. 13.; — 618. Persae — capiunt. ex Hist. misc. XVIII. 5. ad an. Heraclii VI. ap. Alberic. ad an. 619; — 620 Virgo Chr sti Fara — episcopus claret. Vinc. XXIII. 15.; 631. Heraclius Imperator — annuatim dedicavit partim ex Hist. misc. XVIII. 53. cf. Al-

beric. ad an. 630- Chron. S. Bav. ad an. 625.; 634. Dagobertus — devincit (vicit ed. vet.) e Fredegarii Chron. cap. 58.; 635. Dagobertus — devincit (vicit ed. vet.) e Fredegarii Chron. 57; 637. qui suam erga Deum — Dagoberti Regis potiss. ex Aimoino IV. 41. cf. Matth. Vestmon. ad an. 637. Helinandi Chron. liber XLV. l. c. pag. 73. Vinc. XXIII. 68; 637. Sanctus vero Dado — praefecit. max. part. ex Aimoino ibid. cf. Helinand. pag. 74. Vinc. XXIII. 68; 643. Virgo — Gallia in Chron. Leodiensi e Ms. Aureae — Vallis ap. Mart. et Dur. Thes. III. col. 1403. et in Aditamentis ad Aegidium pag. 83. Vinc. XXIII. 80.; 645. Hujus — Erchanoaldus: e Ms. Lips. ap. Mir. cf. pag. 358. cf. Fredegar. cont. cap. 91. Gesta reg. Franc. Cap. 43. cf. Helinand. XLV. pag. 74 — 75; 646. Modoaldus — non degenerat, num aliqua ex parte ad exemplum Gestorum Trevirorum ap. d'Acherium pag. 212. laev. scriptum ?. cf. Chron. Lobiense ad an. 647. (Albericum ad an. 647. pag. 52.). — Helin. pag. 75. Vinc. XXIII. 80; 648. et a Clodovaeo rege — fundavit, ipsis verbis e Bedae H. E. III. 19. cf. *Matth. Vestmonast.* ad an. 647. Breve Chron. Lobiense ad an. 649. Chron. Turonense l. c. col. 945. Helinand. Vinc. XXIII. 80; 653. Judocus — in Christo. Helinand. Vinc. XXIII. 104. Chron. S. Bav. ad an. 653; 654. Hoc tempore — martyrizatur. cf. Breve Chron. Lobiense ad an. 655. Helinand. Vinc. cap. 107. Chron S. Bav. ad an. 654; 658. Atrebatis — excaecatus est, qui locus cum e Balderici Chron. I. 19. excerptus atque quibusdam additamentis scil. de Lantberto Episcopo Tungrensi quae quidem dubiae fidei esse videntur, repletus sit singulari modo excellet. — Lectio enim *codd. Gemblacensis* et Lipsiani „transferretur a Vindiciano Episcopo" (quam etiam adamat Chron. Lob. ad an. 656. ipso fonte refutatur, (cf. etiam Fulberti Vitam S. Autberti in Actis SS. Belgii III. pag. 558). licet Sigibertum in chronotaxi errasse libenter concedam; [1]) attamen fons ipse quam maxime concordat cum text. vet. Codd. Ortel. et Aquic. lectione: ab *Autberto* Episcopo: quam sequuntur Helinandus et V. B. XXIII. 108; 661. Sanctus Nivardus — Gallia (Mir. Francia) e Flod. Hist. eccl. Rem. II. 7. 10. cf. Breve Chron. Lob. ad. an. 659. Helinand. pag. 80. Vinc. XXIII. 113. — 670. Hoc tempore — ab eo illatas (cf. Vitam S. Leodegarii Cap. 5. l. c. pag. 683 — 684. Vitam S. Praejecti auctore anonymo aequali. Cap. 10. 12. 13—16. ap. Mabill. II. pag.

1) cf. quae ad tempóra rectius constituenda atque ad explicandos Sigiberti et Codd. Gembl. et Lips. errores allata sunt. Acta Sanct. Septbr. Tom. V. pag. 527.

643 — 645. — (ap. Albericum ad an. 672.) Helin. Vinc. XXIII. 117; 670. In territorio — ab ea illuminatur e Balderico I. 23. 24. ap. Helinand. Vinc. cap. 119. Chron. S. Bav. ad an. 670; 672. Amatus — tribulatur cf. sup. Parte *C.* Nro. 3. ad an. 685. pag. 474. cf. Robert. S. Mariani fol. 66. 2. (qui quidem addit „instigante Ebroino)." Helinand. pag. 82. Vinc. XXIII. 123; 673. Iris apparuit — esset ex Hist. misc. XIX. 14. ad an Constantini IV. ap. Helinand. Vinc. XXIII. 123. 688: qui instituit — debere decernens cf. sup. pag. 41. et Miraei not. marg. ap. Alberic. ad an. 687. 692. Sanctus Wandregisilus — construxit. vid. sup. pag. 373. ap. Alber. ad an. 690. Chron. Tur. col. 947. Helinand. Vinc. cap. 129; 695. Defectio Solis — parerent ex Hist. misc. XIX. 31. ap. *Matth. Vestm.* ad an. 695. Alberic. ad an. 694. Helinand. Vinc. cap. 132.

700. Childeberto monarchiam — frequentari coepit cf. sup. pag. 28 — 29. et ad an. 488 *C.* 3. pag. 472. ap. Albericum ad an. 704. Helinand. pag. 89. Vinc. XXIII. 137; 733. post: Karolus: *Vvaifero et Hunaldo* quod additamentum, si Sigiberto adjudicari potest, haud dubie vitiosum est, cum Eudonis ducis Aquitaniae filios nomina tulisse Hattonis et Hunoldi et Hunoldi filium fuisse Vvaiferum constet. Neque in fontibus Sigiberti (Fredegar. cont. cap. 109. Annal. Mett. ad an. 735.) nomina illa hoc modo leguntur. Recurrunt ap. Helinand. pag. 94.; 745. Persecutione — tegimen habens *cf. Radulfum de Diceto* ad an. 741. Albericum ad an. 746. Helinand. unde Vinc. XXIII. 151. Chron. S. Bavonis ad an. 745; 750. post: annis 18: post annos — Francorum cf. Sigib. ad an. 662. Helinand. pag. 95. Vinc. XXIII. 154; 751. Remigius — claret. cf. Adrevaldi Miracula S. Benedicti in Gallia Cap. 16. ap. Mabill. II. pag. 374.; Pipinus (in ed. princ. Idem) — melioravit. cf. Paulli Diac. libr. de gestis epp. Mett. (?) cf. Alberic. ad an. 752. Helinand. pag. 95. XXIII. 154. Chron. Turonense l. c. col. 948; 752. Anselmus — a se fundatum ap. Alber. ad an. 753. Vinc. XXIII. 156. Chron Turonense. l. c. col. 948. Chron. S. Bav. ad an. 752; 753. humana voce — Arabes ex Hist. misc. XXII. 22. ap. *Annalistam Saxonem ad an.* 751. ap. Helinand. Alberic. ad an. 754. Vinc. XXIII. 156; 762. Turci a Caspiis — tenuerunt ex Hist. misc. XVII. 23. XXII. 33. ap. Helinand. Alberic. ad an. 763. Vinc. cap. 158.; 767. Contra hunc — deponitur. ex (Anastasii) Vit. pontif. l. c. pag. 175. ap. Helinand pag. 98. Alber. ad an. 769. Vinc. cap. 161. Chron. Tur. col. 952.; 768. et Karolus quidem — Suessonica. cf. Reginon. ad an. 768. ap. Helinand. Vinc. cap. 161; 780. Obiit — Fuldensis. ex Annal. Fuld. ad an. 779. (Marian. Scot. text. edit. ad an. 779.

Flor. Wig. cum die obitus ad an. 780); 790. Hic etiam — correxit. cf. libr. de script. eccles. Cap. 83. ap. Alberic. Helinand. Vinc. Cap. 173.

807. Carolus — compilari fecit. cf. libr. de script. eccles. Cap. 81. cf. Albericum ad an. 807. *Radulfum de Diceto.* Vinc. XXIV. 9.; 849. Sancta Helena — excolitur cf. supra B pag. 453 cf. Flod. Hist. eccl. Rem. II. 8. fol. 112—115. cf. Alberic. Helinand. Vinc. XXIV. 36. Chron. Tur. Chron. S. Bav.; 869. Corpus sancti Mauri — discipulus. cf. Odonis Glannafoliensis Histor. translat. S. Mauri ap. Mabill. Acta IV. 2. pag. 165. cf. Alberic. Helin. Vinc. 39. Chron. S. Bav.; 884. Hoc tempore Radulfus — instituit. e Flodoardi Hist. eccl. Rem. IV. 1. fol. 316. IV. 2. fol. 318. IV. 6. f. 337. et Anastasii Vit. Pontif. l. c. pag. 98. et vid. sup. cf. Helin. Vinc. cap. 47 partim ap. Chron. Turon. col. 975; 888. quae pars Franciae — dicta (ed. princ. appellata est) cf. sup. B. pag. 452. Alberic. Helinand. Vinc. cap. 48. Chron. S. Bav. Neque alienum est Roberti dictum in Access. ad an. 876. pag. 717. „usque in hanc diem Normanniam de suo nomine vocaverunt;" 893. Sanctus — nascitur. cf. Alber. Helinand. Vinc. 53; 895. Hoc tempore claruit — Gigniacensem *cf. Radulfi de Diceto Abbrev. ad an.* 896. Chron. Egmondan. ad an. 894. Breve Chron. Lob. ad an. 895. Alber. Helinand. Vinc. cap. 53. Chron. S. Bav.; 895. Claruit — studiosus cf. Sig. libellum de script. eccles. Cap. 123. cf. Alber. Helin. Vinc. l. c.; 898. Odo — Abbate. cf. libell. s. e. Cap. 124. Alber Helinand. Vinc. Cap. 55. Chron. Tur. Chron. S. Bav.;

912. Berno abbas — XII. denariorum. cf. Chron. Elnon. S. Amandi Alber. Helin. Vinc. XXIV. 59; Chron. Roberti S. Mariani fol. 70. 2. Turon. col. 980. Chron. S. Bav. ad an. 900.; — 921. cui frater — adversabatur. cf. Alberic. Helin. Vinc. cap. 63. vid. sup.; 937. Obiit — Ademarus cf. Alb. Helin. Vinc. XXIV. 66. Chron. S. Bav.; 939. Italiam vexat — reclamabat. cf. libr. de s. e. cap. 127. cf. Fulcvin. Cap. 24. *ap. Matth. Vestmonast.* ad an. 949. Chron. Egmondan. ad an. 937. Aegid. Cap. XLV. pag. 176. Alb. Helin. Vinc. cap. 69. Chron. S. Bav.; 945. Hic Hugo — a Karolo rege cf. ad an. 922 ap. Alber. Helin. Vinc. cap. 69. Chron. Turon.; 953. Elisii — sancti Petri e Ruotgeri Vita Brunonis Cap. XXVI. ap. Alber. Helin. Vinc. 82; 958. Obiit — coenobii (ap. Mir. ad an. 959) cf. Breve Chron. Lobiense ad an. 958. Aegid. Cap. XLVI. Helin. Chron. S. Bav.; — 962. Corpus — Gemmelacense cf. sup. pag. 276. et pag. 259. not. 6. — Chron. Lobiense ad an. 963. Alber. Helinand. Vinc. cap. 86. Chron. S. Bav.; 963. Sic Leo — Neophyto: de cujus narrationis fonte atque

structura vid. sup. pag. 81. ap. *Radulfum de Diceto* Abbrev. ad an. 968. Hist. S. Laur. Leod. loc. cit. col. 1037. Helin. Vinc. cap. 86. Chron. Tur. col. 989; 964. Arnulpho sene — vastat. e Chron. Balderici I. 99. ap. Breve Chron. Lobiens. ad an. 962. Alberic. ad an. 966. Helin. Chron. S. Bav. 967; 972. (ap. Mir. et in edit. princ.; ap. Struv. perperam ad an. 971). Hic — fundavit (Mir. aedificavit) ex Anselmi Gestis epp. Leodiens. Cap. XXII. cf. Hist. Laur. Leod. col. 1040. Alberic. Helin. —

1003. Abbo — martyrizatur. e Glab. Rod. III. 3. pag. 26—27. cf. Helin. pag. 136. Chron. S. Bav. 1003.; 1012. ad obsidendum — rediit cf. sup. pag. 98. ap. Alberic. Helin. ad an. 1014. Chron. S. Bav.; 1015. Hoc tempore — martyrizatur. cf. pag. 101. not. quo loco non potuimus, quin hunc anachronissmum a Sigiberto ipso alienum esse duceremus. Videant editores, quomodo et de hoc et de loco an. 977. (vid. sup. pag. 475.) agant. Repetitur ap. Helinand. Alberic. Vinc. XXV. 11; 1038. Henricus — Lambertus ex Ms. Gembl. Aquic. et Lips. ap. Miraeum, *e Cod. Reg. Paris* 4992. ap. Bouq. XI. 636. ap. Alberic. Helin. Chron. S. Bav.; 1067. Obiit — inclusus (ap. Mir. ad an. 1066.) cf. utrumque text. ad an. 1050. et sup., ap. Chron. Tornacense ad an. 1066. Alb. Helin. Vinc. XXV. 42. Chron S. Bav.; 1076. Sicarius (sic pro text. vet. lectione: *Richarius*) — perimit. ap. Helin; Balduinus — devicit, qui locus num e Miraei testimonio in Cod. Ortel. legeretur, jam supra quaesivimus. cf. pag. 373. cf. ap. Andream Marchianensem ap. Bouq. XI. pag. 366. Alb. Helin. 1084. Comes — Idam cf. etiam in Cod. Lips. pag. 359. Alber. Helin.; 1094. Dominus Girardus — ordinatur. vide eum cum locis Cod. Aquic. ad an. 1092. 1095. coll. pag. 376. ap. Helinandum ad an. 1094. sec. text. vet. unde in Alberic. pag. 142 — 143. transiisse videtur. —

1100. Robertus — transmisit. cf. supr. ad Cod. Lips. pag. 360. ad Cod. Aquic. pag. 376. not. Eodem modo, quo in textu veteri legitur *apud Robertum de Monte ad an.* 1100. exstat ap. Helin. unde ap. Alberic., amplificatus in Chron. S. Bav. pag. 570; 1109. Obiit — Cantuariae (de additamento Continuatoris ad hunc loc. vide sup. pag. 463.); Obiit — Pontius, quos locos, omisso verbo: *etiam*: et additamento: *vir sanctus*: ad Hugonem, etiam Miraeus e Cod. Ortel. et Aquic. affert. cf. pag. 373. 376. Apud ipsum Robertum de Monte, qui Anselmi in anno obitus uberiorem fecit mentionem: „Obiit Domnus Hugo Cluniacensis Abbas, cui successit Pontius" cf. Matth. Vestm. ad an. 1109. Helinand. (Alberic.?) Vinc. XXVI. 3. Chron. S. Bav. denique an. 1109. Hoc anno

— nigrescentibus (ap. Mir. e codd. Ortel. et Aquic. vide sup. pag. 373. 376.) locus Sig. iisdem verbis scriptus solum in text. vet. exstat ad an. 1095. hunc tamen ad an. 1109. cf. ap. Robertum de Monte Alberic. Helin. Vinc. Chron. S. Bav. —

Postremo de dicto variis Sigiberti textibus in fine addito quaedam dicamus. —

Invenitur enim

apud Robertum de Monte ad an. 1113.	in editione Miraei ad an. 1112.
in Chronico Mortui-Maris	in Codice Bernensi ap. Sinnerum l. c. II. 609.
in Brevi Appendice Labbeano	(in Alberico ad an. 1112. pag. 221).
Obiit (Domnus)[1]) Sigibertus venerabilis monachus Gemblacensis coenobii vir in omni scientia literarum incomparabilis ingenii descriptor in hoc libro praecedentium temporum III. Nonas Octobris[2]) et suis gravissimum absentiae suae reliquit moerorem.[3])	Domnus Sigibertus venerabilis monachus Gemblacensis coenobii, vir in omni scientia litterarum incomparabilis ingenii descriptor praecedentium in hoc libro temporum III. Nonas Octobris obiit, qui etiam librum Illustrium virorum, et multa utilia doctrinae (suae) et librorum monumenta nobis (suis Alb.) reliquit:

Formula haec, quae apud Robertum et in Chronicis illis generis Ursicampini legitur, paululum tantum immutata etiam ap. Vincentium Bellovacensem[4]) recurrit, unde patere videtur, eam etiam in exemplari a Continuatore Ursicampino adhibito jam extitisse ideoque omnibus exemplaribus quae

---

1) ap. Robertum de Monte deest illud: *Domnus:* et: Obiit: ap. Chronicon Mortui-Maris et Labbean. post: Octobris: legitur.

2) in Chron. Labbeano: IV. Nonas Octob. quae vero lectio omnium aliorum consensu et testimonio continuatoris libelli de gestis Abb. refutatur. —

3) ap. Chron. Mort. Mar. gravissimum moerorem absentiae suae (Labb. suae absentiae) reliquit.

4) XXVI. 11. atque simili modo ap. Herman. Corner. ad an. 1114: Domnus Sigibertus venerabilis monachus Gemblacensis coenobii vir in omni scientia literarum ingeniosus, temporum descriptor (et Chronographus. *Herm.*) obiit: suisque (suis autem confratribus moriendo. *Herm.*) gravissimum moerorem absentiae suae reliquit. — Singulas lectiones ad Chronica illa brevia magis quam ad Robertum accedere manifestum est.

nulla continuatione aucta statim post Sigiberti obitum a monachis Gemblacensibus emissa sunt, subscriptam esse verisimile est. Anselmus vero, vel alius quidam Gemblacensis ultimam ejus partem immutasse videtur. — Nihilominus tamen et aliam formulam inde excerptam in codicibus Sigiberti locum obtinuisse, atque fortasse ipsius Continuatoris Ursicampini calamo additam esse, docet editionis principis dictum:

Sigebertus Gemblacensis descriptor praecedentium in hoc libro temporum obit, cui nos ista, quae sequuntur, fideli narratione subjecimus.[1])

IV. NOTITIA CODICUM.

Codices Sigiberti manuscriptos gravissimos omnium harum disceptationum judices, licet non ipsos petere nobis liceat, ex ordine tamen quodam percensere juvabit. Sequimur catalogos bibliothecarum, quibus culpae dari volumus si quid in distinguendo singulorum codicum genere fallimur. Congerimus notitias diversis saeculis locisque editas, neque ignoramus interdum fieri posse ut eundem librum, primum hoc, deinde alio loco conservatum bis recenseamus. —

A. Codices Sigiberti nulla continuatione aucti.

Qui cum pro nostrorum studiorum consilio sint gravissimi, primum teneant locum. Cavimus tamen ne codicum notitias in quibus bibliothecariorum negligentia continuationes saepe non percensitae sunt, afferendo vanas apud criticos spes excitaremus, atque unum tantum huic ordini adscribimus. —

Codex Collegii Corp. Christi in academia Cantabrigensi No. 51. notatur ap. Pertz VII. 84. e Jacobi Nasmith Catalogo librorum ms. quae collegio Corporis Christi et B. M. V. in acad. Cantabr. legavit R. in Ch. Pater Matthaeus Parker archiep. Cantuariae (quem ipse non vidi) saec. XII.

---

1) In Chron. Mortui Maris et Labbeano haec: Defuncto Sigeberto, nos a modo nostrorum annorum tempora computabimus. Ap. Guilelmum de Nangis ad an. 1113: Sigibertus Gemblacensis *temporum* et regnorum *descriptor* praecipuus moriens finem chronicae suae fecit. Abhinc subsecutus est frater Guilelmus de Nangis Monachus sancti Dionysii in Francia: ap. Chron S. Bavonis ad an. 1113: Sigebertus Gemblacensis monachus Chronographus obiit, qui usque ad hunc annum Chronicam digessit. —

scriptus „Eusebii, Hieronymi, Prosperi, Sigeberti chronicon usque ad an. 1113." complectens. —

B. Codices Sigiberti Gemblacensibus aliisque ejusdem generis continuati. —

1. Primum hujus ordinis refero *Codicem Gemblacensem*, jam multis locis allatum. — Primum Antonius Possevinus in Apparatu sacro e testimonio Joannis Molani „adhuc in monasterio Gemblacensi exstare antiquissimum exemplar manuscriptum", affert „quod scil. ipsius autographum *putetur*" eundem ex eodem Molani testimonio Joannes Maria Brachisellensis distincte autographon praedicat.[1]) Miraei tamen sententia de hac re non satis sibi constare videtur; nam quamvis in fronte erat „Chronicon Sigeberti . . . . ad *autographum* comparatum" atque Bartholomaeus Petrus (an. 1606) in approbatione editori concessa[2]) idem confirmet, ipse in epistola dedicatoria Eusebii et Hieronymi Chronicis praemissa „Sigiberti Chronicon *ut credatur* autographon in manus si i incidisse" atque in praefatione ad Sigibertum: Gemblacensis codex, ut domesticus, sic et antiquissimus fuit, *ipsius nimirum auctoris manu si non scriptus*, *descriptus saltem ex ejus quantum ex litteris pene fugientibus conjicere licet*, *autographo*" confessus de hac ejus auctoritate non satis edoctus esse videtur. — Atque Nelis,[3]) rerum Belgicarum scrutator egregius, in Gemblacensi monasterio cum paucis aliis codicibus insignem illum „*et qui ejusdem fere pretii cum autographo credatur*, *Sigeberti Gemblacensis*" asservari dicit. — Contra codex monachis ipsis in summo autographi collegae celebratissimi honore habebatur; pro tali enim Martenio et Durandio in itinere litterario commendabatur[4]); tale Schoepflinius vir doctissimus atque grata semper memoria colendus tanta veneratione adspexit ut ad genua procideret.[5]) — At cum hoc quidem consentit judicium Joannis Natalis Paquot qui in Epistola ad Kluitium[6]) jam supra memorata auctoritatem exemplaris Gemblacensis Chronicae Sigebertinae niti tradi-

---

1) vide haec reimpress. in Praef. Miraei.

2) cf. ante edit. Eusebii et Hieronymi.

3 De Historia Belgica ejusque scriptoribus Commentatio ap. Reiffenbergii Introduct. ad coll. script. Belg. et Chronic. Philippi Mouskes. pag. CCLXXXVI.

4) l. c. I. 2. 202.

5) cf. historiolam illam enarratam ap. Reiffenberg pag. XVI—XVII.

6) l. c. II. 1. pag. 97 — 99.

tione ipsius Monasterii, in quo hoc exemplar ab immemorabili tempore habitum sit pro authentica ipsius Sigiberti scriptura;" characterem habere omnino signa XII. saeculi: novum characterem incipere an. 972. post haec verba: Notgerus ordinatur eps. Leodicensium: tertium characterem ad an. 1084. incipere ac desinere an. 1111. verbis sup. citat. (vid. pag. 450.); inde alios aliosque succedere characteres usque ad verba anni 1148. „multa milia Dacorum Sclavorum occidere gladiis:[1]) Conjicit Paquot, Sigibertum Chronicon usque ad an. 972. ipsum scripsisse, tum fortasse senili infirmitate prohibitum amanuensibus scribendum commisisse, atque quum in libro de script. eccles. se usque ad an. 1111. Chronicon ordinasse dicat, an non ab an. 1111. (verbis scil. Quid vel quomodo): Anselmi jam opus incipiat; quaerit ceterum characterum diversitates autographi indicia esse suadet. Codex hic insignis ante nonnullos annos a Doctore *Baude* Gemblacensi possidebatur,[2]) atque spes est fore ut acumen scrutatorum hujus nostrae aetatis non fugiat, quae ejus sit auctoritas.

Quod ad nostram de eo opinionem attinet — ut ad hanc omnibus singulis locis jam examinatis iterum recurramus — ex eis tantum quae Miraeus edidit, judicium ferre licet. In cujus textu quin plura desint, quae re vera Sigiberti esse videntur, plures lectiones sint mancae vel falsae vix possumus dubitare. Ea omnia a monachis aliis erasa esse,[3]) vix statui potest, quum in plerisque nulla causa inveniri possit, quae eos ad hoc flagitium impulerit. — Si igitur codice ipso critice perlustrato, afferantur quaedam argumenta, quibus Sigibertum ipsum his membranis calamum infixisse absque omni dubio prodeat, nulla restare potest conjectura praeter hanc: alium adhuc extitisse textum Chronici ab ipso auctore redactum etsi non ante an. 1112. editum, actis porro ad an. 1105. 1106. 1111. carentem atque in locis Gemblacensibus aliisque quae exposuimus a Miraeo discedentem, Eusebio Hieronymo et Prospero subnexum. Eo et Continuatorem Ursicampinum et Robertum de Monte usos esse, ideoque, cum aeque Gemblacensis atque vetus textus interpolationibus sint turbati, e Roberti autographo integro, modo inveniri adhuc queat, rectissimum posse judiciium peti

1) eodem igitur modo, quo in Cod. Bernensi cf. sup. pag. 356. et not. 7.

2) cf. Reiffenberg. l. c. Il n'y a aucun doute, que ce chroniqueur ne gagnat à être rectifié de nouveau sur les manuscrits en particulier sur celui qui passe pour original, et qui est la propriété de M. le Docteur Baude de Gembloux.

3) cf. ad an. 382. Notam Miraei et supra.

manifestum esse, atque ex hac etiam parte ratio nostra e Roberti fragmentis et descriptoribus locorum auctoritatem dijudicandi, defendi posse videtur. — Sin vero duos Sigiberti textus extitisse statuas, quaeri poterit, utrum auctor posteritati tanquam suum commendare voluerit, neque minus id ex universo scribendi consilio quam ex singularum linearum ductu perspici posse existimo.

Postremum, ne vel minimum quidquam quod in notitiam meam pervenit omittam, id addo, quod in Viri Ill. de Reiffenberg commentariis legi:[1])

„Le P. J. B. de Marne écrivait en 1742. qu'une note à la première page du Sigebert d'Henri Estienne, qui était à la bibliothèque du collége des Jésuites à Liège apprénait, *que le manuscrit original de Sigebert était a Stavelo.* — Note manuscrite de l'exemplaire de Sigebert de 1513, à l'université de Liège. —

2. Bibl. Reg. Paris. Nro. 4864. membr. saec. XIV. Eusebii, Hieronymi, Prosperi, Sigiberti, Anselmi chronica complectens, olim Colbertinus, haud dubie idem cum Cod. Colbertino Nro. 867. ap. Montfaucon. Bibl. Bibl. pag. 937. — cf. Catal. Bibl. Reg. Manuscr. Tom. IV. pag. 10. Archiv. I. 310. VII. 50. 534.

3. Bibl. Reg. Paris. 4994. membr. saec. XV. Sigiberti et Anselmi Chronicon — 1136. Catal. IV. 27. Archiv I. 310. VII. 54. 534.

4. Bibl. Reg. Paris 4993. memb. saec. XIII. olim Carmelitarum Parisiensium, Sigiberti, Anselmi Chronica et auctarium Gemblacense (— 1148.) Catal. et Archiv. l. c.

5. Abbatiae Hasnoniensis Ord. S. Benedicti in Hannonia, Chronicon Sigiberti, Eusebii, Hieronymi, *Anselmi* ap. ap. Sanderum Bibl. Belg. I. 313 visum adhuc Martenio et Durandio in Itinere litterario (Tom. II. pag. 97.) cf. Reiffenberg. l. c. pag. XXXVII. — Ubi nunc sit, ignoramus.

6. Cod. Duacensis Nro. 750. cf. sup. pag. 386. et loc. ibid. cit.

7. Bibl. Bernensis membr. saec. XIII. Nro. 367. cf. sup. pag. 356 — 357. et loc. ibid. cit.

8. Codex Affligemensis sive Justi Lipsii, de quo cf. sup. pag. 357 — 358. et loc. ibid. cit. — In bibliothecam Lugduno — Batavam, ubi eum Kluit inspexit, translatus est intra annos 1716. et 1741. cum in Supplemento Catalogi librorum etc. Bibl. Publ. Univ. Lugd. Bat. ab anno 1716 —

---

1) l. c. pag. XVII. Not.

1741. (Lugdun. 1741. fol.) inter libros manuscriptos et impressos emptos ex Museo Lipsiano" pag. 531. Ms pervetustum et optime conservatum in Membr. in folio magno" annotetur. In Sanderi Bibl. Belg. I. 252. inter libros Ms. bibliothecae publicae Antverpianae ex ejus primordiis publicatis ab Auberto Miraeo et Antverpiae excusis anno 1609. notatur: „Eusebii (in Supplemento Cat. Lugd. Epitome solum Chronici Eusebii distinguitur) Hieronymi, Prosperi Aquitani, Sigiberti et Anselmi Gemblacensium Chronica Ms. Beneficio haeredum Cl. Viri Justi Lipsii." — Utrum idem, an illius apographon?

C. Codices generis Continuatoris Anonymi Ursicampini.

1. Hujus generis optimum exemplar nactus esse videtur V. D. Waitz in bibl. Divionensi Nro. 322. saec. XII. cf. Archiv. VII. 215. 533—534.

2. Bibl. reg. Paris. Nro. 4863. olim Colbert. Nro 1701. ex quo Chronicon Mortui-Maris editum est, vid. sup. pag. 369. et loc. ibid. cit.

Nota. Huic iterum subjungere licet veterem illum codicem, ex cujus *apographo* Labbeus breve Chronicon usque ad an. 1162. desumpsit (cf. sup. pag. 371). Viderint alii qualis is fuerit.

3. Codex bibl. Reg. Suec. Nro. 454. 1799. Parisiensi bibliothecae invectus, e quo Nicolai Ambianensis Appendix editus est. cf. sup. pag. 372. — Num cum quibusdam Codd. bibl. reg. Suec. ap. Montfaucon. annotatis et infra citandis idem vel num anno 1815. bibl. Vaticanae redditus sit, ignoro, neque an Sigibertum ipsum contineat, liquido dicere possum. —

D. Codices generis illius, quod mixtum esse contendimus.

1. Codex Valcellensis sive Ortelianus, de quo vide sup. pag. 373. et loc ibid. cit. cf. etiam Acta Sanct. Mens. Maji Tom. VII. pag. XL.

2. Codex Aquicinctinus, nunc Duacensis, de quo cf. pag. 375. 378. et loc. ibid. cit. et ad B. Nro. 6.

In Cod. Reg. Paris. 5440. Sigibertanum Chronicon ipsum non exstat.

3. Cod. Bruxellensis de quo sup. pag. 381.

Nota. Codicem e quo Nelis Chronicon Blandiniense exscripsit, hoc loco in scrutatorum memoriam revocare liceat. (cf. pag. 382. etc.)

4. Codex Cameracensis Nro. 863. vid. pag. 385. not. 5.

E. Codices Roberti de Monte.

1. Codex monasterii S. Michaelis de Monte fortasse autographon, e quo Robertum edidit d'Acherius vid. sup. pag. 394. etc. cf. eum in catalogo librorum Ms. Monasterii S. Michaelis Nr. 198. 4to ap. Montfaucon. Bibl. Biblioth. pag. 1360. Ubi nunc extet codex gravissimus, ignoramus.

2. Bibl. publ. Cantabrig. Nro. 1153. saec. XIII. ap. Pertz. Archiv. VII. 84. 536. vid. sup. pag. 394. cum not. 6. haud dubie idem cum Codice bibl. publ. Cantabrig. inter illos, quos e dono Matth. Parker. in cista quadam intra Biblioth. inclusos custodiri auctor Catalogi bibl. publ. Cantabrig. (in Catal. Angliae et Hiberniae Oxoniae 1697. fol. Tom. I. Part. III. pag. 172.) Nro. 251. (omniumque Cantabrig. Nro. 2431.) perhibet, quemque Nro. 6. Robertum Abbatem (scil. Annales ejus). Nro. 7. Tractatum de Abbatiis in Normannia. Nro. 8. Epistolam Henrici Huntindonensis ad Warinum continere ait. unde hunc cum Parkeriano illo, qui nunc Collegii Corp. Christi est (scil. A. Nro. 1.) eundem esse statuere non potuimus. cf. Montfaucon. Bibl. Bibl. pag. 672. Vossium de Hist. Latin. lib. II. cap. XLVIII. ap. Struv. I. 685.

3. Quo cum codice affinitatem quandam prodere videtur ille Bibl. Reg. Suec. Vatic. Nro. 152. ap. Montfaucon. l. c. pag. 17. in quo post Eusebii, Prosperi et Sigiberti Chronica, Tractatus de Abbatibus et Abbatiis, Henrici Historia ad Varinum, porro et Methodii, Episcopi Patarensis liber de principio saeculi, qui et in Cod. illius Cantabrigensis notitia loco primo annotatus esse videtur, exstat. — Denique in eo legi perhibetur: Chronicon *breve* praecipue Regum Anglorum et Ducum Normannorum ab anno 1100. ad an. usque 1200, Fragmentum quoddam historicum rerum Anglicarum ab anno 1202—1220. Nomina Episcoporum Rothomagensium Ebroicensium, Abrincensium, Sagiensium, Bajocensium et Lexoviensium et Constantiensium, tum etiam „Abbatum Coenobii Fontinellensis." Liceat igitur hunc codicem, quamvis non distinctam Roberti Annalium notitiam prae se ferat, Cantabrig. subnectere. —

4. Oxon. Bodleian. in Catalog. Angliae etc. Tom. I. P. I. pag. 106. Nro. 2041. cf. Montfaucon. pag. 655. ap. Pertz: Archiv. III. 445. VII. 90. 536. Nro. 212. membr. fol. saec. XV. Eusebii et Prosperi chronicon et Roberti Tractatum de Abbatibus etc. Henrici etiam Epistolam ad Warinum (cf. sup. pag. 389. not. 2.) in eo contineri, et Roberti Annales usque ad an. 1180. perduci traditur.

5. Bibl. Reg. Paris. Nro. 4861. olim Bigotianus membr. saec. XIII. de cujus genere et vetustiorum testimonia et con-

jecturas nostras supra pag. 396 — 397. — Praemissa sunt Eusebii, Hieronymi et Prosperi Chronica. Operum quorundam quae et hoc et Codd. Nro. 6. et 7. contineri perhibentur catalogum vide ap. Catal. Bibl. Reg. Manuscr. Tom. IV. Archiv. I. 310. VII. 50. 538.

6. Bibl. Reg. Paris. Nro. 4992. membr. saec. XII. olim Bigotianus de quo ibidem vide pag. 396. pag. 402.

7. Bibl. Reg. Paris. Nro. 4862. membr. saec. XIII. olim Colbertin. Nro. 1058. (de quo vide pag. 397. et loc. ibid. cit.) cum Eusebii, Hier. et Prosperi Chronicis. —

8. Kings library Lond. 13. c. XI. 4. saec. XII. (de quo vide pag. 398. cum not. 4.) cum Euseb. Hier. et Prosperi Chronicis. —

9. Harleian Manuscripts Nro. 651. vid. pag. 398. not 4. —

10. Hoc quoque loco inserenda est notitia Cod. Bibl. Gemmeticensis (ap. Montfaucon. pag. 1214.) Partis G. (Historici sacri et profani) Nro. 23. apud quem post alia quaedam documenta et Eusebii Hieronymique Chronica exstant: Prosperi Chronicon, supplementum ad chronicon Eusebii et Hieronymi, aliud prorsus ab eo quod exstat inter opera Eusebii Sigiberti chronicon ab anno 380 ad an. 1100. Roberti de Monte historia de immutatione Ordinis Monachorum etc. porro Appendix ejus ad Sigibertum usque ad annum 1160. tantum, cetera desunt ab anno 1158. Aliud est (addit catalogi auctor) ab eo, quod impressum est cum operibus Guiberti Novigentini, sed suspicor aliqua transposita in nostro Msto." denique: „Breve Chronicon Gemmeticense, ut ex titulo recenter apposito constat incipiens a Christo ad an. 778. Desunt quae gesta sunt post hoc tempus."

His addi potest notitia *exemplaris illius* cujus recentioribus temporibus nulla mentio facta esse videtur *ex quo Antonius Rufus editionem principem edidit.* Magni momenti ad textum emendandum fore, si iterum critico ingenio conferatur, vix est, quod addam.

Neque minus liceat codices illos, quos propter annalium Roberti fragmenta vel alias continuationum Sigiberti connexiones ex incertis vetustiorum testimoniis laudavimus, hic iterum annotare:

scil. Musei Britannici Cotton. Domitianus A. VIII. (S. Michaelis de Periculo Maris) membr. 4. Archiv. VII. 75. sup. pag. 393. cf. Montfaucon. pag. 639.

Cod. S. Victoris Paris. Nro. 419. de quo pag. 398. pag. 406 — 407.

Cod. Ms. Reginae Sueciae Nro. 322. (qui quidem numerus cum Catal. ap. Montfauc. non congruit) inter Miscellanea

Durandi (Tom. II.) in Biblioth. S. German. Prat. cf. sup. pag. 405. (cf. inf. F. 25.?)

Kings library 13. E. VI. cf. pag. 407—408.

F. Codices Sigiberti nondum secundum genera distincti. —

1. Quorum primum affero „vetustum illud exemplar ex bibliotheca divi Victoris in summeniis urbis Pariseae" quod editor princeps Antonius Rufus cum exemplari a Guilelmo et Joanne Parvis accepto se contulisse fatetur, et quo nullos Galfridi locos exstare non obscure docet. Illud certe non ad genus Ursicampinum pertinere inde concludi potest et ad dijudicandam editionem principem plurimum auctoritatis habere constat. Quod quam cum compilationibus illis Cod. S. Victoris Nro. 419. verisimilius mihi est idem esse cum Codice *S. Victoris Nro.* 238. *saec. XII.* nunc in bibliothecam Parisiensem translato atque Pertzii opera (Archiv. VII. 71. 535.) nuper annotato Ceterum in veteri *codice bibl. Reg. Nro.* 10284. — catalogo scil. bibliothecae S. Victoris — ex quo excerpta edidit Montfaucon, ad literam S. pag. 1375. annotatur: „Sigiberti Chronica:"

2. Repetere liceat notitiam Tissierii Bibl. Cisterciensis (VII. 100.) de codice Sigiberti tunc in bibliotheca *Signiacensi* (dioecesos Remensis) exstante in quo locum an. 773. de concilio Romano deesse dicit, qua re ad genus Gemblacense eum pertinere erunt quibus probabile videatur. vid. sup. Ubi nunc lateat, ignoro.

3. In Catalogo Bibl. public. Universitatis Lugduno — Batav. 1716. pag. 326. annotatur:

Liber Chronicorum Eusebii latine per Hieronymum. praemittitur Ysidori collectio temporis. praefatio Hieronymi cum Prosperi Chronographia et altera Sigeberti Monachi Gemblacensis usque ad „'Eugenio substitutum Patricium *qui rei publicae curam gerat, et vices imperatoris eo absente suppleat*" (quae quidem verba, nisi fallimur, in continuatoribus editis non inveniuntur) scriptus an. 1154. olim S. Petri Corbejensis membran. sine columnis: (cf. Catalogum Bibl. publ. Lugduno — Batavae 1674. Codd. Ms. Latini Nro. 28. pag. 401.) Nro. 30. ap. Archiv. VII. 134. 535. haud dubie igitur idem cum illo quem Spanhemius notitia illa de Joanna Papissa carere dixit quemque hoc modo designans

„Codex nunc Leydensis *olim Corbejensis* in membrana post Eusebium et Prosperum, si vere in limine notatur, 1154. *scriptus*":

etiam, quae habeantur ad an. 1111. in editione Miraei minime continere, atque cum aliis Codd. praecipue cum iis quibus

usus sit Miraeus, collatum non pauca addita, mutata, omissa offerre ait.

4. Codicis Bibl. Cathedralis *Bajocensis* ap. Montfaucon. pag. 1362. notitia talis „Chronicon Eusebii, S. Hieronymi, Prosperi, *Sigeberti*, Henrici Archidiaconi Huntindonensis de Regibus Britonum et historiae ejusdem Britanniae et Normanniae" ex qua eum cum Roberti genere affinitate quadam uti probabile est. —

5. Bibl. Paris. 1793. membr. saec. XII. exeuntis olim *Tellerianus* in quo ante Eusebii (et Hiéronymi) et Sig. Chronica S. Hieronymi epistola ad Damasum Papam, et Damasi papae responsum, catalogus Pontificum a Petro ad Calixtum II., S. Hieronymi liber de viris illustribus atque alia quaedam ejusdem opera exstant (cf. Catal. III. 194. cf. Archiv. I. 310. VII. 89.). — Apud Sanderum Bibl. Belg. I. 101. (cf. Histoire littéraire IX. 542.) in Volumine 27 tertii Asseris Bibliothecae monast. *S. Martini Tornacensis eadem prorsus scripta eodem fere ordine exstare perhibentur* nisi quod „Hieronymi et Prosperi ad Chronicon Eusebii adjectiones" annotantur, atque Sigiberti Chronographia memorata „*in qua pleraque habentur*, *quae in excusis exemplaribus non inveniuntur. Sunt paucae additiones ad calcem*" additur. — Nihilominus eundem fere codicem his locis definitum vel certe alterum alterius apographum esse conjeci. —

6. Bibl. Paris. 4867. membr. saec. XV. Sigiberti Chronicon post Eusebii Chronicon cum Hieronymi et Prosperi additamentis. Qui Codex, cum „olim Colbertinus" sit, fortasse idem cum Cod. Colbertino Nro. 2542. ap. Montfaucon. l. c. pag. 1150. simili modo distincto, quamvis ibi anno „1140," in Catalogo vero IV. pag. 10. saec. XV. scriptus esse perhibeatur.[1]) Arch. I. 130. VII. 50.

7. Codex Bibliothecae Coislinianae San-Germanensis ap. Montfaucon. pag. 1121. Nro. 1337. „La Chronique de S. Jerôme continuée par Sigebert de Gemblours."

8. Bibl. reg. Paris. Notre Dame 94. Archiv. VII. 71. 535.

9. Bibl. Suessionensis. Tabula VI. Nro. 22. „Chronicon Sigiberti *saec. XII.* membr. IV. „des Prémontrés" in Haeneli Catalogis pag. 441.

10. Bibl. civitat. Atrebatensis ap. Haenel. pag. 33. „Eusebii chronica cum additionibus Sigeberti et chronica fr. Martini saec. XV. membr. fol.

---

1) Quos codices Montfaucon. pag. 755. in Bibliotheca Reg. Paris. „Nro. 5218. et duobus sequentibus" annotat, haud dubie iidem sunt cum aliis codd. in Catalogo magno aliis numeris insignitis. —

11. Montfaucon. Bibl. pag. 1197. in Catalogo Msct. Cod. Abbatiae S. Petri de Selincurte Dioec. Ambianensis: Chronographia Sigiberti Gemblacensis in cujus fine addita est Chronologia ab Adam usque ad Ludovicum pium. Item Series summorum pontificum a S. Petro ad Honorium III. et Episcoporum Morinensium usque ad an. 1160. in 4to.

12. Sanderus Bibl. Belg. I. 246. inter Codices Ms. Bibliothecae Monast. S. Gisleni in Cella, ord. S. Bened. in Hannonia: Chronicon Eusebii, Prosperi, Sigiberti *item aliud vetustissimum incerti auctoris :*

13. Sanderus I. 282. inter Mscptos. Codices, qui in Collegio Soc. Jesu Brugensi (anno 1638) „Sigiberti Monachi Chronographia in fol."

14. pag. 282. in Auctario ejusdem Catalogi an. 1641. Chronica Hieronymi Prosperi et Sigiberti.

15. Sander. II. 261. in Catal. libr. msptor. Alnensis Bibliothecae Abbatiae Ord. Cisterc. ditionis Leodiensis Class. VI. Decuria V. „Chronica Domni Sigeberti Gemblacensis Monachi." —

16. In Catal. Angliae etc. Tom. II. P. I. pag. 74. Nro. 2917. 18. catalogi librorum ms. bibliothecae Norfolcianae in Collegio Greshamensi apud Londinium: „Sigeberti Monachi Gemblacensis Chronicon:" quae librorum collectio nunc sub titulo Mscr. Arundell. in Museum Britannicum est translata. cf. Archiv. VII. 103. 142. 535. — Montfaucon. pag. 681.

17. In iisdem Catal. Tom. I. P. III. Nro. 1333. 57. inter libros Collegii S. Benedicti Cantabrigens. „Chronica Eusebii, Jeronymi Prosperi, Sigeberti et *Jordani Episcopi*" annotatur. cf. ap. Montfaucon pag. 671. e Vossii libro II. cap. XLVIII. de Hist. Latin. ap. Struv. l. c. I. pag. 685. — Repetitur quidem non in Pertzii catalogis, neque num cum illo A. 1. idem sit, explicare possum.

18. In Catal. Angliae etc. Tom. II. P. I. pag. 244. Nro. 8356. 634. in catal. librorum Msceptorum in Aedibus Jacobaeis „*Sigeberti Chronicon*" cf. Montfaucon. pag. 685.

19. Montfaucon. pag. 188. in Bibl. Cardinalis Ottoboni Romana „Sigeberti Chronicon."

20. Inter codd. manuscr. biblioth. Eugenii Principis Vindobon. Nro. 18. „Chronicon Sigeberti fol." Archiv. II. 478.

21. Johannes Chiffletius in dissertatione de Fabula Joannae Papissae pag. 4. (in Miscellaneis Chiffletianis. Tom. VI. Antverpiae 1666.) „extare in paterna Bibliotheca *Sigiberti*

Gemblacensis vetus Chronicon Ms," in quo de Joanna Papissa ne verbum quidem: [1])

22. In Cod. Harleian. Musei Britannici Nro. 4010. 4to. in Catal. l. c. Vol. III. pag. 102—103.) intitulato „Collectanea de familiis Angliae ex litteris patentibus Regum Angliae qui quidem antea possidebatur a Johanne Duce Novicastri (of Newcastle) Nro. 10. annotatur „*Chronica Sigeberti* etc. Chronica de acquisitione Regni Angliae per Willelmum ducem Normanniae etc. quae num ad nostrum pertineant, quibus occasio dabitur videant.

23. Codex Laudunensis Nro. 446. 416. membr. in fol. *saec. XII.* tantum usque ad an. 596. pergit. Rerum anni 596. a Pertzio (Archiv. VII. 533.) edita notitia Gemblacensi generi propior videtur, quippe quum locum: Agilulphus — misit: omisso illo: His diebus — deferentes (vid. sup. pag. 473.) statim sequatur: Sol etc. (vid. sup. pag. 480). —

24. In Cod. Bibl. Reg. Paris. Tom. IV. pag. 324. Nro. 7193. (saec. XIII. et XIV. olim Colb.) Nro. 8. annotantur: „Chronici Sigeberti *Gemmeticensis* fragmenta ab anno 1381 (sic) ad an. 410" quae ut alii (cf. Archiv. I. 310. VII. 67.) sic et nos hoc loco referemus. —

25. Montfaucon. Bibl. pag. 29. Bibl. Reg. Sueciae in Vatic. Nro. 700. post varia ad historiam et leges Francogalliae pertinentia *Continuatio Sigeberti ex variis auctoribus*, ibid. pag. 87. in Bibl. olim Alexandri Petavii deinde Reg. Sueciae num. 197. „*Additiones ad Sigebertum ex Fragmentis quibusdam*, idem fortasse opusculum. cf. loc. cit. pag. 61.

26. Archiv. VI. 74. Bibl. Bamberg. membr. 4. (Nro. 18.:) Chronicon breve sine historiis, *ex Sigeberto* collectum usque ad an. 1137. —

27. Bibl. Cotton. in Museo Britannico. Vitellius C. IX. (Catalogue of the Cottonian library: pag. 425.) Chartaceus, in fol. constans foliis 325. in quo triginta quinque partes, omnes ut videtur recentioris originis distinguuntur. Harum primo loco occurrunt: „Correctiones et Supplementa in Sigeberti chronicon ex manuscriptis codicibus per Johannem *Dee.* fol. 2—56." Quae in his novae Sigiberti editioni

---

1) Quod de eadem re Gilbertus Genebrardus in Chronographiae lib. IV. Colon. 1581. 12. pag. 780. „Nam, quod Sigibertus id videatur dicere, fictum est, eique inspersum *ut fidem faciunt antiqua ejus manuscripta exemplaria*" nimis vagum est, quam quod hoc loco repeti possit. vid. sup. pag. 476—77.

prodesse possint, cognovisse videtur Pertz. Archiv. VII. 74. 536. cf. etiam Archiv. II. 381.

28. Cod. Landsdown. Musei Britannici Nro. 229. In libro: Catalogue of the Landsowne manuscripts in the British Museum 1819. pag. 82. haec „A volume intitled: Miscellanea ex variis scriptoribus 1573. *These collections made by Mr. Camden ant written with his own hand* consist of various matters, historical and heraldical, extracted from chronicles etc.." Ibidem loco 1. Ex chronographia Sigiberti Gembl. Mon. 2. Additiones ad Sigisb. Rob. de Torneiro Abbatis Beccensis (*sic* cf. pag. 398. not. 4.) annotatur.

29. Le Long Bibliothèque historique ed. Fevret de Fontette II. pag. 135. Nro. 16632. Ms. Antonii Allen, Senatoris Trecensis Notae in Sigiberti Chronicon. Ces Notes étaient conservées dans la Bibliothèque de M. le Pelletier le Ministre. cf. Hist. litt. IX. 542.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Pag. 11 lin. 8 dele an.

pag. 17 lin. 4 adde: post Basileis: *et Parisiis*: de qua editione auctores Hist. litterar. IX. pag. 541 haec: Cette édition (scil. Simonis Schardii) est une volume in folio et annoncée comme faite à Francfort et à Paris chez Jacques du Puis la même année, suivant les deux divers frontispices, qu'elle porte. Mais y ayant regardé de près, nous avons reconnu que c'est la même édition faite à Francfort chez GeorgeCorvin. etc, et que le frontispice qui l'annonce de Paris est postiche. Il sera arrivé à quelques autres exemplaires ia même chose par rapport à *Basle* où divers Bibliographes annoncent qu'elle a été faite la même année. Quam Struvius editionem Sigiberti *Lugduni* anno 1566. emissam esse annotavit, nullam aliam nisi hanc esse putamus. —

pag. 19 lin. 7 inter: aliam: et: Samsonis: adde: *quam intitulabat.*

pag. 20 not. ad an. 998 lin. 4 infr. In nota vero Struvius ejus nomen addidit.

pag. 22 lin. 8 pro libri *VIII.* lege libri *VII.*

pag. 22 lin. 3 infer. pro *Paullini* lege *Ambrosii* Opp.

pag. 23 lin. 4 pro *Verona* lege Vero*nae*

pag. 24 lin. 10 pro li*ber* lege li*bri.*

pag. 24 infra pro Adrevaldi Monachi Floriacensis de Translatione S. Benedicti lege: Adrev. Monachi *Miracula S. Benedicti in Gallia patrata*, ad quem librum etiam loci citati pertinent. cum loco ad an. 651. cf. etiam Paul. Diac. VI. 2. Chron. Regin. 612. (Flor. Wig. 674).

pag. 25 lin. 6 pro 669. lege 664.

pag. 25 ad Vitam S. Leodegarii „scil. ab anonymo aequali scriptam" de qua infr. pag. 241 Not. 2.

pag. 25 lin. 14 pro 573 lege 578.

pag. 30 n. lin. 10. cum abscond*erant* lege etiam abscond*ebant.* cf. cum hoc loco etiam Fulcvinum Cap. XVI. Balder. I. 59.

pag. 30 n. lin. 12 pro tyranniza*bat* lege tyranniza*bant.*

pag. 31 lin. 14 pro *Valentis* lege *Gratiani.*

pag. 35 lin. 5 pro Nicephori lege *Joannis* (Tzimiscis)

pag. 35—36 No 3. de Fausti Vita S. Mauri. Sigibertum Fausti Vitam S. Mauri ab Odone Glannafoliensi auctam et interpolatam legisse et pro raritate codicum Vitae antiquae (de qua cf. Mabill. l. c. pag. 274) et quod etiam historiam translationis S. Mauri, haud dubie

in eodem cum illa codice inventam adhibuisse videtur (cf. sup. pag. 483. ad an. 869.) etiam nunc persuasum habeo, neque possum quin prooemium certe illud ap. Mabill. Nro. 7. (Postquam Divinitas-eruditione) et fortasse etiam capp. illa (Nro. 10—14.) e Gregorii M. Dialogo excerpta ab Odone interpolata esse conjiciam, addendum tamen est, locum Mabill. Cap. 33. quo Greg. M. Dial. lib. II. Cap. 37. his verbis citatur (in Actis SS. Boll. Jan. I. pag. 1045. Cap. V.). „Hanc visionem unus ex illis duobus Fratribus nostris, qui eam simul cum beato Mauro viderat, in nostro versabatur coenobio alter vero, *ut scripsit beatus Gregorius*, longius positus vidit" etiam in textu Surii l. c. pag. 343 reperiri.

Faustus, quamvis Benedicto aequalis et ejus cura educatus se vitam tamen extrema demum senectute scripsisse et Bonifacio Papae (scil. III. cf. Leonem Ostiensem. I. 3. ap. *Acta* SS. l. c. pag. 1038) porrexisse confitetur, itaque et ipse Gregorii Dialogo uti potuit. Mabillonius porro jam dubitasse videtur, num Fausti Vita genuina unquam edita sit, et omnia quae ibi dicta chronologicae arti adversantur, Odoni interpolatori imputat. Longius progressus Cointius, qui (Ann. eccl. Franc. ad an. 543. Tom. I. pag. 625) mendis Vitae editae gravissimis commotus, non solum Faustum ab Odone, sed Odonem a recentioribus depravatum esse censet, opinionis vero illius certius argumentum non affert. Num Surius capita illa e Gregorio desumpta tantum ex arbitrio suo detruncaverit, quod ab ejus modo non alienum est, codicum ope distinguendum erit. Nonnihil momenti in re dijudicanda fortasse excerpto ab Adrevaldo in Miraculis S. Benedicti (vid. sup. pag. 24 et pag. 498) e Vita S. Mauri dato (cf. ap. Mabill. II. pag. 370) tribuendum erit quod tamen cum in Boscii tantum Bibliotheca Floriacensi nobis inaccessa extet (cf. Acta SS. Mart. III. pag. 305) legere non potuimus.

Quod ad notitias chronologicas attinet, Sigibertus aliis (de quibus vide Mabill. Praef. ad Acta Bened. Saec. I. pag. XVII.) praesertim Mariano Scoto (qui ex lege illa, quam sup. ap. librum Decennale exposuimus, Benedicti obitum an. 604. esse conjecit. cf. text. edit. et Florent. perperam ad an. 603.) praeeuntibus dubitationes suas de Fausti dicto Benedictum mortuum esse XII. Cal. April. vigilia Paschatis (in omnibus editionibus. cf. ap. Mabill. Cap. 32. pag. 287) an. 509. annexuit, quia hoc anno, scil. cujus littera Dominicalis *D.* et numerus aureus 16 erat, vigilia Paschae in XII Cal. April. incidere potuit, talis vero annus non nisi an. 604. p. Chr. rediit. cf. quas ad hoc dilemma diluendum attulerunt conjecturas minus probabiles Mabill. l. c. pag. XVIII. Bollandistae Acta SS. Mart. III. pag. 276. — Vitae dicta et hoc valde infirmantur, quod tota itineris Mauri sociorumque chronotaxis falsa est. cf. Cap. 20. 23. 26. 31. Notavit eam jam Mabill. not. d. ad pag. 283 quo acrior Cointius. l. c. pag. 631. De Romani Monachi profectione in Galliam ne verbum quidem legi in vita S. Benedicti, idem recte notavit: utrum vero in loco Vitae S. Mauri (ap. Mabill. Cap. 31. ap. Sur. l. c. pag. 342). „Audiens autem beatus Maurus opinionem sancti Romani monachi, qui beatissimo patri nostro Benedicto in initio adjutor et cooperator extitit, *ut in historia vite ejus plenissime invenitur*" hoc postuletur, an Vita e Benedicti Cap. I. citetur, mihi quidem dubium videtur. Vita a Romani (Gisleberti) quae apud Mabill. Acta I. pag. 82. Acta SS. Maji V. pag. 157 extat, longe serioris est originis, ejusque auctor jam Vitam S. Mauri (ut videtur Odonis) citat. —

pag. 38 lin. 8 pro 3 lege 1.

— 39 lin. 13 quippe-referat. pro hoc loco a typographo plane

corrupto: lege quippe qui Burchardum Wormaciensem in congerendo magno volumine canonum ab Olberto praeceptore suo adjutum esse referat.

pag. 41 lin. 9 pro 382 leg. 384.
lin. 12 pro *allis* lege *aliis*.

pag. 43 n. lin. 11 ante memoriter adde „.

pag. 44 n. 1 Adriani decretum etiam extat in Historia Pontificum Romanorum e Cod. Zvetlensi edita, de qua supra pag. 51. pag. 77—79 ap. Pez Thesaur. I. 3. col. 369—370. in quo etiam decretum Leonis col. 378. —

pag. 44 n. lin. 9 post: narratione: adde *Chronici.*

pag. 45 n. lin. 12 pro *et* lege *A.*

pag. 47 n. lin. 2 pro *Teissier* lege *Tissier.*

pag. 47—48 Ad disquirendam decreti Adriani l. historiam addatur locus libelli de imperatoria potestate in urbe Roma (nunc apud Monum. V. pag. 720 de cujus aetate et auctore vide sententias controversas ap. Pertz l. c. pag. 696 et Wilmans: Otto III. pag. 235—239). „Accipiente autem Carolo hoc regnum, profectus est Romam deditque ibi donaria multa, quae usque hodie Romanum tenet dominium, de regni hujus confinibus; fecitque pactum cum Romanis eorumque pontifice *et de ordinatione pontificis ut interesset quis legatus et ut contentiosas lites ipse deliberaret.*"

pag. 48 lin. 8 pro per quod lege per *quos.*
lin. 12 pro *ec.* l. *eo.*
n. lin. 8 pro quae*v*isimus l. quae*s*ivimus.

pag. 54 N. 3. locus Florentii Wigorniensis ad an. 676. ad fontem, Bedae librum de sex aetat. mundi adhuc propius accedit.

pag. 55 n. 2 cf. cum Mar. Scot. ad an. 440. Flor. 439.

pag. 65 n. lin. 1 pro *Vitae* lege *Virtutum* l. c. pag. 471.

pag. 66 lin. 17 commuta locos numerorum IX et XIV. Ceterum in textu Mariani edito Theodoro sex, Vitaliano quatuordecim anni adscribuntur, annique p. Chr. iniquo modo electi. Ap. Florent. Wigorn. Theodorus. 639—644. Vitalianus (ap. quem annorum numerus non annotatus est) 653—668.

pag. 69 lin. 23 Confirmare videtur hanc nostram conjecturam Gruteri textus libri Jordanis de regnorum successione, in quo cap. CXXII. cecideruntque ex utraque parte amplius *sexaginta* millia:

pag. 71 lin. 10 pro 450 lege 481.

pag. 74 n. 1 Non e Continuatore Reginonis, sed ex Annalibus Augiensibus, ipso Continuatoris fonte, locos illos plerumque in Marianum Scotum transiisse, Waitz jam demonstravit (Heinrich I. pag. 164. Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik. 1837. pag. 718—719). —

pag. 75 lin. 7 pro frat*ribus* lege fratre

pag. 75 n. 4 locus Ruotgeri Cap. 30. ap. Fulcvinum Cap. 25. descriptus est.

pag. 77 lin. 4 post Auxilium vocem: *Nolanum* ansulis include.

pag. 78 n. lin. 8 adde post pap. 291 „cf." —

pag. 81 lin. 14 pro conson*a* lege conson*ae.*

pag. 82 n. lin. 7—8 pro proba-rus lege proba*turus.*

Ad pag. 82 et seqq. Ex permultis, quae me hanc commentationem demum editurum triste afficiunt, atque quot quantaque impedimenta obstent, quominus id quod probo animo aggressus sis satis feliciter etiam exsequaris, me docuerint nihil me gravius commovit quam rationis ejus quae inter hos studiorum meorum fructus atque insigne illud *Monumen-*

lorum Germaniae opus quod mihi quidem pro duce fidissimo fuisse confiteor, intercedat diligens cogitatio. Illo enim etiamsi ut in commentatione ipsa (pag. 353) commemoravi, omnia quae de continuatoribus et textibus Sigiberti congessi, conjunctis tot doctissimorum virorum clarissimorum ejus editorum studiis plenissimisque copiis per multa itinera collectis per breve vel longum spatium superatum vel omni pretio exutum iri laeter magis quam querar, doleo tamen, Volumen Monumentorum quintum quo scriptores aetatis Saxonicae vel nova forma eduntur vel prorsus adhuc inediti primum lucem viderunt, in publicum demum emissum esse, cum prima meae commentationis pars atque ea quidem, cui illius usus fructuosissimus fuisset, jam praelo commissa esset, eo vero hoc sincerius doleo, quo serius typographus negotium suum absolvit, et quo certius aliquis opes illas antiquitati Germanicae hoc ipso volumine partas mihi jam usui fuisse exspectare possit, praesertim cum jam sextum Monumentorum Volumen et ipsum multos quos attigi fontes et ipsam Sigiberti Vitam Theoderici exhibens proxime sit in lucem proditurum. — Quare querelis pectore occlusis lectores volo monitos nonnulla eorum, de quibus in hac parte exposui, si Volumen V. ab initio in manibus meis fuisset, accuratius et distinctius dici, plura vero iis addi potuisse, quibus nunc quidem locus deest, sed alia data occasione suum tempus veniet. —

Id primum moneo, loco Benedicti monachi S. Andreae quamvis pro barbaro hujus scriptoris more satis obscuro (Cap. 37. Mon. V. pag. 718) „*de accidentia illius et morte in libellum episcopalem repperitur*" opinionem nostram, libri pontificalis continuationem extitisse quodammodo confirmari.

pag. 84 lin. 12 pro mirae ... dignae ... confusa.
lege mira digna confus*ae*.

pag. 89 n. lin. 4 signum ; deme post 1042. et adde post *legitur*.

pag. 89 lin. 14 pro *puplices* lege *publice*.

pag. 90—91 Porro e Monumentis V. retracto quaestionem de Richero, cujus fragmenta tantum supra citare licuit. *Neque eum inter fontes Sigiberti esse satis firme contendere possum.* — Nam si singulos quos supra cum excerptis Hoeflerianis contulimus locos vel ad idem genus pertinere diximus, iterum excutimus, nusquam fere habitus narrationis vel verborum ipsorum structura Sigiberto similis videbitur, quin etiam plura semper discrepant in utroque, scil narratio Richeri IV. 21. „Interea rigore hiemali elapso, cum aere mitiori ver rebus arrideret et prata atque campos virescere faceret, reges exercitu collecto urbem praedictam cum octo milibus aggressi sunt. Castra inprimis aggere et fossa muniunt .... Cap. 23. pag. 636. Posthaec cum per dies plurimos in obsidione urbis vigiliis et curis pugnisque frequentibus laboravissent, die quadam custodibus castrorum *vino somnoque aggravatis* urbani viro exhilarati cum armis ad castra pedestres venerunt: Equites vero consequenter armati subsecuti sunt, rei eventum praestolantes, ut si pugnae locus adesset, prosperaque fortuna felicem annueret eventum, cum hoste comminus confligerent. Cum ergo pedites jam castris propinquassent, custodesque consopitos intellexissent faces castris immisere. Quorum incendii fumo aer densatus non solum intuentium visibus tetra nigredine obstabat, et gravi vapore narium et faucium meatus intercludebat. Pedites vero vociferari, clangere milites cepere. Rex et qui cum eo erant elementorum confusione multoque virorum clamore et turbarum clangore turbati ab urbe sedes mutavere. *Nam castra cum cibis et rebus omnibus*

absumpta videbat. Unde exercitum ad tempus reducere disposuit, ut reditum amplioribus copiis post appararet. Quae omnia *Augusti tempore* patrata sunt." — de obsidione Lauduni iterata satis conspicua ad Gerbertum magis (scil. in epist. CXXI. occupatis militibus regiis *vino et somno*. . . . a mendicis cremata sunt castra, quo incendio omnis apparatus obsidionis *absumptus est.* cf. pag. 90 not. 5), quam ad Sigibertum accedit atque Sigiberti notitiis (scil. de altero mense) aeque atque excerptum caret. — De re ipsa V. D. Wilmans, cujus disquisitio de Gerberti epistolis et Richeri auctoritate laude mea major nuperrime prodiit, Richerum in chronotaxi quam maxime errasse ostendit atque obsidionem Lauduni haud dubie in an. 987. incidisse docuit (Otto III. in Ranke Jahrbücher etc. II. 2. pag. 161—162. pag. 179—182) idemque unam tantum Lauduni obsidionem fuisse nescio an satis probabiliter conjecerit. cf. loc. cit. Wilmans praeterea — quod ad supplendas observationes nostras de Sig. ad an. 984 et 985. (pag. 90) monemus — e Gerberti epistolis et Richeri testimonio (lib. III. cap. 108. l. c. pag. 630), demonstravit, Godefridum comitem et urbem Virdunensium in regis Lotharii potestate usque ad ipsius obitum fuisse cf. pag. 41 pag. 156. Sigibertum vero nostrum, cujus fontes nullum Christi annum in fronte gererent et quem diplomata non adjuvarent, in utroque loco atque pro vitio, quod pag. 92 not. 4 notavimus, justo acrius reprehendisse videtur. — Locus Richeri de Remis captis et Arnulfo Archiepiscopo Laudunum abducto (cf. pag. 92 not. 2) est talis IV. 35. pag. 638 „Karolus Arnulfum perquirens nec reperiens, ubinam lateret scrutabatur. Cui cum proderetur in turris cacumine latere, ostio mox custodes adhibuit. Et quoniam nec cibum nec arma ante congesserant, Karolo cedunt atque a turri egressi sunt. 36. Comprehensique et *Laudunum ducti custodibus deputati sunt.* cf. Wilmans. pag. 52 et 170 cum not. 4 eodemque cap. (coll. cum Sig. 989 cf. pag. 92) „Karolus ergo felici successu insignis Remorum metropolim cum Lauduno ac Suessionis earumque oppidis optinuit" quem locum, quamvis Sigibertus de Suessionibus occupatis ante Remos captos agat, ab hoc descriptum esse conjicit Wilmans. pag. 52 not. 3 cui tamen adstipulari non possum. Quae in Actis Concilii Remensis de Adalgeri confessione poenisque ei inflictis leguntur (cf. pag. 92 not. 5), satis libere pro suo more vertit lib. IV. cap. 73. pag. 648.

Transeo ad res comitum Hannoniae, domus scil. Ragineri, de quibus si quis locis ab Ekkehardo excerptis atque a Waitzio primum nostro auctori satis acute vindicatis commotus certiora quaedam ex eo discere posse exspectaverit, admodum se deceptum intelliget. Nam etsi auctoris pater an. 956. Gerbergae reginae vindex Montem Castri-loci Hannoniae caput noctu expugnavit et Raginerum, qui reginae injurias intulerat uxore et liberis inde ablatis ad satisfaciendum reginae coegit (cf. Pertz. l. c. pag. 562. Richer. III. 6. 10. pag. 611) ipse tamen in expeditionis illius causis enarrandis Flodoardum secutus est, atque si quis dictum cap. 6. „Ragenerus quidem quem Otto rex ob custodiam in Belgica dimiserat, multa quae illicita erant *praesumebat.* Inter quae aedes regias et praedia regalia Gerbergae reginae, quae in Belgica erant tirannica temeritate pervadit" in nonnullis ad Sigib. propius accedere existimet, notitiam, dotalia fuisse Gerbergae praedia illa, quae apud ipsum Flodoardum legitur, ei deesse reputet. Apud Richerum Raginerus, pater Gisleberti et Ragineri (de quo ap. Sigib. ad an. 959) cognomento „*Collo longus* vocatur (I. 34. pag. 579) idemque epitheto: *Longicollus* insigniri videtur ap. Fulcvin. Cap. XVII. In vita vero Gerardi Bronien-

sis (ap. Mabill. V. Cap. 19. pag. 264), quae ibi quidem vetustioris et aequalis biographi vestigia pressisse videtur (cf. Comm. praev. pag. 249) Raginerus a Brunone in exilium missus hoc nomen fert. — De rebus a comitibus Hannoniae Ottone II. regnante gestis, in quibus critice distinguendis cum V. D. Giesebrecht, eleganti rerum Ottonis scriptore plane convenire gaudeo (cf. ad an. 973. pag. 10—11 ad an. 976. pag. 29—30 an. 977. pag. 38. cf. tamen etiam Wilmans. l. c. pag. 6 cum not. 5 pag. 24) nihil fere singulare tradit Richerus. Neque tamen nego, eum in enarranda pace quae inter Lotharium et Ottonem an. 980 facta est, atque in exponendo rerum Germanicarum statu post Ottonis II. obitum Sigiberto in verbis interdum congruere. Sunt enim III. 80. pag. 624; Constituitur tempus colloquendi. Locus utrique commodus deputatur. Et quia circa fluvium Mosam regna amborum conlimitabant, in locum qui Margolius dicitur, eis sibi occurrere placuit. 81. *Convenerunt ergo. Datisque* dextris osculum sibi sine aliqua disceptatione benignissime dederunt, amiciciam altrinsecus *sacramento* stabilierunt. Belgicae pars, quae in lite fuerat, in jus Ottonis transiit. Otto regni sui pace facta, *Italiam petiit.* (Trithemii vero locus non e Richero haustus est, neque ullam auctoritatem mereri videtur. cf. Giesebrecht pag. 62—63) 97. Cui defuncto (scil. Ottoni II.) filius quinquennis Otto superstes erat. Quem patri succedere in regnum, *cum aliquot primates voluissent, id ab aliquibus contradictum est* etc. Cap. 99. Hac tempestate Germania nullo regis imperio tenebatur, quippe cum et Ottonem infantem aetatis infirmitas regnare prohiberet, et Heziloni, regnandi cupido, a potioribus regnum contradiceretur (cf. Bald. I. 103.).

pag. 91 not. pro 4) lege 1), pro 1) lege 2).

pag. 97 n. lin. 8 pro *Lobiensi* quod etiam ap. Fabric. l. c. lege *Leodiensi* cf. sup. pag. 3 et Continuationem Gest. Abb. Lobiens. l. c. pag. 744.

pag. 98 lin. 19 pro *Henricus* lege *Rudolfus.*

pag. 99 lin. 17 post pugna adde „plusquam."

pag. 99 lin. 1 infer. pro adverba lege ad-verba.

pag. 100 lin. 15 verba: in insula Leodiensi: ansulis include.

pag. 100 lin. 17 etc. Ne Sigiberto quid arrogemus, quod ipsi non debeatur, annotamus, Durandi sepulcrum *a Stephano primo S. Laurentii abbate* (de cujus aetate vide sup. pag. 88 not. 2.). *Epitaphio* esse decoratum, in quo haec legebantur:

Pauperis in nido patrimonii natus et altus
Ingenio, summos evolat ad proceres.
Quos tulerat Dominos hisdem famulantibus usus
In theatro mundi fabula quanta fuit.

cf. Reneri Vitam S. Wolbodonis ap. Mabill. VI. 1. pag. 284. Historiam S. Laurent. Leod. l. c. col. 1055—56. Aegidium Cap. LXXI. pag. 260.

pag. 101 n. lin. 9. pro 6. lege 1.

pag. 103 In Chronico (Annalibus) S. Vincentii in Pertzii Monum. V. pag. 157 legitur notitia ad an. 1005: *Deodericus* secundus, quae in textu Labbei deest: in Annalibus Mett. breviss. (de quibus sup. pag. 224 not.) ad. an. 1006. Adalbero secundus episcopus obiit. quod quidem haud dubie falsum est.

pag. 107 n. lin. 10 pro *eodem* l. *eosdem.*

pag. 109 n. lin. 12 et 13 pro *Wip.* leg. *Wib.*

pag. 111 lin. 13 adde locum Flor. Wig. (Mar. Scot.?) ad an. 1049. pag. 625 „Henricus imperator innumerabilem congregavit exercitum contra Flandrensen comitem Balduinum maxime eo quod apud *Neomagum*

suum palatium combussisset atque fregisset pulcherrimum: In qua expeditione fuit Leo Papa . . .

pag. 111 n. lin. 5 pro *Felicis* lege *Paullini.*
n. ibid. pro *Frisia* l. *Phrygia.*
n. lin. 8. pro Cap. LVII. l. pag. 57.

pag. 112 n. lin. 8 pro 1067 l. 1066.

pag. 113 n. lin. 10 locus Ussermanni II. 9. citatus est Bernoldi; Bertholdi, cui ille hunc debuit, iisdem fere verbis legitur ap. Userm. I. pag. 258. —

pag. 116 n. lin. 2 pro 853 l. 854.
n. lin. 8 pro Nota 1. l. Nota 4.

pag. 121 lin. 5 pro *Bruxellensi* l. *Leodiensi.*

pag. 128 Not. 1. annum depositionis Nicolai fortasse cognovit e Mariano Scoto, quum ap. Florentium ad an. 362 legatur: *S. Nicolaus Mirreorum episcopus migravit ad Dominum.*

pag. 131 lin. 11 pro V. l. IV.
lin. 19 pro 1091. l. 1090.
lin. 21 pro dicordias l. discordias.

pag. 132 lin. 10—11 dele signa „ " quia non sunt ipsa Sigiberti verba, quae afferuntur. —

pag. 135 lin. 17 pro pa*ti*fieret l. pa*te*fieret.
— 140 lin. 9 pro *cum* l. *eum.*
— 143 n. lin. 17 pro pro*b*. l. pro*bb*.
— 144 n. lin. 1 pro pag. 7 l. pag. 9.
— 148 n. lin. 9 post *receptus* adde *esse.*
— 151 n. lin. 4 pro pag. 103 lege 100.
— 154 n. lin. 17 pro adnex*us* l. adnex*as*.
— 155—156 Ad explicandam Henrici Ep. Leodiensis condicionem gravissimum est, quod Bertholdus Constantiensis ap. Userm. II. pag. 36 enarrat, episcopum *Leodiensem* inter eos fuisse, qui an. 1076 cum Papa reconciliati atque in ejus communionem recepti sunt. —

pag. 160 lin. 2 pro *posset* l. *potuisset.*
— 161 lin. 13 pro quidam l. quosdam.
— 163 lin. 18 pro proclam*abat* l. proclam*avit*.
— 164 lin. 13 dele comma post *electionem.*
— 167 lin. 10 pro adju*vasse* l. adju*visse*.
— 167 lin. 2 infr. pro exerc*itus* l. exerc*itatus* est.
— 168 n. lin. 7 pro *epistolam* l. *legationem.*
— 169 n. lin. 4 pro Gre*gori* l. Gre*gorii*.
— 175 n. lin. 16 eum, *scil. Robertum.*
— 185 lin. 26 dele comma post: liberet.
— 195 n. lin. 8 dele signum „ante litteras et adde idem lin. 9 ante litteras.
— 197 n. lin. 9 pro Bernrie*di*ensis l. Bernriedensis.
— 197 n. lin. 4 infer. pro praecipien*d* l. praecipien*do*.
— 202 lin. 11 pro *dici* l. *nunc.*
— 209 lin. 4 dele post essent: Punctum et scribe: Iterum: litera minuscula.
— 210 lin. 23 pro accers*i*ens l. accersens.
— 212 lin. 8 pro disten*dun*tur l. disten*dan*tur.
— 215 n. lin. 19 pro refell*it* l. refell*at*.
— 220 n. lin. 14—15 pro „e veteri codice, in quo Flodoardi poemata" lege „*ex schedis Andreae Duchesnii.*"

— 223 not. 3 cf. etiam Giesebrecht Regesta Ottonis II. Nro. 229. l. c. pag. 123.
— 228 lin. 1 adde comma post: spatium: et pro conscrip*ta* l. conscrip*tam*.
lin. 5 pro *o*ccidenti l. *a*ccidenti.
— 229 n. lin. 17 pro a sec l. *saec.*
— 232 n. lin. 3 infer. pro *inscriptae* lege *in cryptae.*
— 234 lin. 21 adde comma post: spiraret.
— 236 n. lin. 8 adde post: cf.: *Mabil.*
pap. 239 lin. 13 et 14 adde signum — post ait et dele post *posse.*

pag. 280 Acta Sanctorum Belgii ed. Ghesquiere, nuperrime demum in Bibliothecam Regiam nostram invecta ideoque in ipsa Commentatione nostra fere nusquam adhibita exspectationes nostras fefellerunt; nam si quasdam Vitas, quae in alteram mensis Octobris partem, in mens. Novbr. et Dcbr. incidunt, ideoque nondum apud Bollandistas editae sunt — (sic cf. Vitam S. Foillani XXXI. Octobris culti. A. SS. Belg. III. pag. 7 et 21. de *Hillino* ad nostram pag. 10 not. 2. et infr. pag. 508, cf. etiam sup. pag. 481) fere omnia ex horum collectione sunt recusa, paucisque tantum in commentariis ditata. Sic cf. pleraque, quae in Actis SS. ad diem I. Februarii de S. Sigiberto rege leguntur cum Vita pleniori reimpressa Acta SS. Belg. III. pag. 26 — pag. 98.

pag. 240 n. lin. 8 post Molanum adde signum ;
n. lin. 10 post quamvis dele *a.*
— 246 lin. 18 post scriptori adde *magis.*
— 248 n. lin. 5 post interitum del. verbum *sequitur* et substitue post *Thuringicum.*
pag. 252 n. lin. 3 l. post illi „1048."
— 253 lin. 6 pro *mille* l. *millia.*
— 254 lin. 17 pro *l*orum l. *h*orum.
— 256 lin. 3 pro *per*secutus l. *pro*secutus.
n. lin. 6 pro *lar* l. *Kollar.*
n. lin. 21 adde *punctum* post exstat.

pag. 261 Nota 2: Chapeavilla in notis ad scriptores rerum Leodiensium citat Chronicon Gemblacense ms. quod ipse usque ad an. 1402. pergere tradit (cf. Tom. II. pag. 438) quodque quantum video primum Tom. II. pag. 5 not. 6 citat quo loco enarratur, in Synodo a Leone IX. et Henrico III. Moguntiae celebrata Henricum quaestionem proposuisse de legenda S. Servatii Leodiensis Episcopi, de gestis ejus, ac supputatione annorum „quae omnia facta diligenti discussione, ut pie credenda synodali sunt robore confirmata." — Id cum Sigiberto ad an. 1110. consentire (cf. II. pag. 56) memorat, cum Aegidio eadem referre confirmat. (cf. Tom. II. pag. 128. Not. 1.) innumeris vero locis cum Joanne Presbytero seriori rerum Leodiensium scriptore (cf. de eo Tom. II. pag. 438) concinere ait vel eum sequi contendit (cf. loc. cit. Tom. II. pag. 5. cf. pag. 130. 258. 261. pag. 282; pag. 315 ad an. 1285. etc.) tum nonnullis locis cum ipso Hocsemio ad verbum congruere ex eoque descriptum esse ait (cf. Tom. II. pag. 400 not. 3. pag. 405 not. 2) denique cum Radulpho de Rivo Cornelio Zantfliet et Johanne Stabulao, scriptoribus saec. XIV. exeuntis et saec. XV. consentire memorat (cf. Tom. III. pag. 3. 15. not. 1. pag. 24 — 25. pag. 58) permultisque aliis locis vel cum fontibus vel absque eis ejus mentionem facit, neque paucis verba ejus nobiscum communicavit, inter quae haud dubie plura sunt, quae historiae regionum illarum saec. XII. XIII. XIV. co-

gnoscendae prodesse possunt. cf. Tom. II. pag. 25. pag. 45. pag. 73. 85. 111. 113. pag. 279. 280. 292. 297. duobus locis. pag. 309 ad an. 1275. pag. 310 not. 5 aliquot versus inde excerptos pag. 322 not. 4. pag. 330 not. 1. pag. 331. pag. 334. pag. 355. pag. 365. 1. 2. pag. 373. 377. 380. 386. Nota 1. 3. 4. 392. pag. 401. pag. 405. Nota 1. 3. pag. 406. 411. Nota 2 et 3. pag. 413—414. pag. 418—420. pag. 429. pag. 440. pag. 451. Nota 2. pag. 456. pag. 486. 493. — Tom. III. pag. 4. pag. 6. not. 1. pag. 9. not. 1. pag. 17. pag. 18, not. 4. pag. 43. 45. 48. pag. 54. not. 5. pag. 61. not. 3. 63. 67. lectionem ad an. 1389. — Haenel in Catalogis bibl. Bruxellensis pag. 765. libellum de gestis Abbatum Gemblacensium saec. XVI. 4. chart. citat.

pag. 272 lin. 4 infer. post judices adde punctum
— 274 lin. 16 pro *uter* l. uterque.
— 278 lin. 1 infer. pro obi*tum* l. obi*tus*.
pro an*no* l. an*num*.
— 279 lin. 3 pro In l. in.
— 279 In Actis SS. Belgii. Tom. III. pag. 379—417. Acta SS. Theodardi qualia a Limpenio collecta sunt, reimpressa. — In Actorum Vol. VI. Constantini Suyskeni Commentario praevio Godeschalci tantum Vita S. Lantberti subnectitur. —
pag. 280 lin. 9 pro lau*dium* l. laudum.
— 287 lin. 10 pro Godechalcus l. Godeschalcus.
n. lin. 17 pro genus scribendi Godeschalci l. Godeschalci genus scribendi.
pag. 292 lin. 10 pro infelic iilla l. infelici illa.
— 293 lin. 9 pro suae l. illius.
lin. 12 pro ejus*que* l. *ejus*.

pag. 317—318. Quae dum scripsimus, ignoravimus, ante aliquot annos jam quodammodo votis nostris satisfactum esse. Prodiit enim 1836 liber inscriptus: *La légende latine de S. Brandaines avec une traduction inédite en prose et en poésie romanes publiée par Achille Jubinal*, d'après les manuscripts de la Bibliotheque du Roi, remontant aux XI., XII. et XIII. siècles. — Vita tamen, quam e codd. saec. XI. Bibl. Reg. Paris. Nro. 5572. et 3784. (cf. Praef. pag. IV.) edidit, minime ad fragmenta illa vetustae fabulae, quae e Glabro Rodulfo aliisque congessimus, accedit. Consentit potius omnino cum fabellis quales jam Germanica lingua vulgatae sunt in libro: Passionael este Dat levent der hyllighen to düde: uth dem latino: Mit velen nyen historien un leren: etc. fol. CCXL—XLIX. etc. (vidimus tantum partem aestivalem — Samerdele — cui annus et locus editionis minime additus est; videtur tamen esse conforme illi Lubecae. 1507. fol. emisso de quo Jubinal. Praf. pag. IX. Hac vel simili fabula usus est Kosegarten Legenden Tom. II. pag. 433—475) atque quod jam editor conjecit, haud dubie eadem est cum codice manuscripto Peregrinationis S. Brendani, Helmstadiensi, anno 1453. latine scripto (de quo cf. Brun Romantische und andere Gedichte etc. pag. 1798. pag. 163). — Pro nostro vero consilio gravissimum est, quod V. D. Jubinal locum de S. Maclovio. pag. 5—6. inter quos (socios scil. itineris) fuit preclarissimus ac Deo dignus adolescens Macutus, qui a Deo ab infantia sua est electus et usque ad finem vite sue permansit in Dei laudibus. Quod si quis nosse voluerit *perlegens ejus venerabilia gesta* inveniet ejus opera prima et novissima que preclara habentur — esse interpolatum, neque in duobus saec. XI. codd. inveniri memorat, quamvis Sigib. saeculo XI. Maclovii et Brandani socie-

tatem firma quadam traditione acceptam iterum tradiderit. — Porro iidem codices saec. XI. cf. pag. 1 not., pag. 2 not. pag. 3 not. 2. etc. ad legendam germanicam in nonnullis propius accedunt. — Alius generis est legenda a nobis e libello populari Erfordiae excuso enarrata Libellus huic ut videtur plane conformis nullo loco et anno insignitus, memoratur in Catalogo bibl. Schwarzianae. Tom. II. pag. 128; simillimus. Argentorati. an. 1510. emissus excerpitur in Hummel. Neue Bibliothek von seltenen und sehr seltenen Büchern. Tom. I. pag. 8—14. — Ad hoc genus pertinet poema a Paulo Jacobo Bruns editum l. c. Enarrationem latinam quae in *Joannis Capgravii Nova legenda Angliae* extat (cf. Jubinal Praef. pag. XII.) hucusque nobis incognitam esse eo magis dolemus, quo major nunc, copiis traditionum jam auctis fabulam etiam per totum medium aevum comitandi cupido animum incessit. —

pag. 329 lin. 19 pro 3779. l. 3979.
— 342 lin. 14 pro adju*vasse* l. adju*visse*.
— 344 lin. 3 pro monastic*as* l. monastic*os*.
— 359 lin. 3 pro *detruxit* l. *destruxit*.
— 360 lin. 28 dele verbum *cum*.
pag, 364 n. lin. 5 adde post potest ansulam).
— 365 lin. 5 et 9 pro 1210 l. 1211.
lin. 7 pro 2) lege 3).
lin. 13 pro 3) l. 4).
— 368 lin. 20 pro epi*so*patum l. epi*sco*patum.
n. lin. 19 pro receptae l. recepta.
n. lin. 20 pro *Herr*mann l. *Her*mann.
et dele ansulam).
— 369 lin. 1 pro 8) lege 1)
— 372 n. lin. 4 post Not. a. adde *et praecipue* Tom. XVIII. pag. 701 Not. a.
— 373 lin. 5 in fine dele signum —
lin. 26 adde: post: infr. ansulam)
— 375 lin. 31 pro 1218 l. 1288.
— 376 lin. 17 pro textu l. tex*tus*.
n. lin. ult. pro 1105 l. 1109.
— 378 lin. 15 pro adnexa l. adnexa*que*.
— 379 laev. post ap. Mart. et Dur. l. c. ad an. 1151.
adde: cf. not. ad pag. 588 ap. de Smet.
— 380 lin. 10 adde post Cardinalium signum:
lin. 16 post: patet: adde *collatis vero locis*.
n. lin. ult. post manus adde)
— 381 lin. 17 pro alla*ta* l. alla*to*.
— 382 ap. locum Chron. Bland. ad an. 1149. dext.
lin. 9 pro quibus*dem* l. quibus*dam*.
— 384 dext. ap. Chron. Bland. ad an. 1150. pro Laudunen*si* lege Laudunen*sis*.
n. lin. 10 pro *his* l. *hic*.
— 386 lin. 22 ante 1119 adde † (signum obitus).
n. lin. 2 pro qui*bas* l. qui*bus*.
— 387 n. lin. 6 pro res*ip*ravit l. res*pi*ravit.
n. lin. 18 adde post tertia *plerumque*.
n. lin. 24 pro Gaufirdus l. Gaufridus.
— 389 lin. 9. adde post 1100 (ex Roberti prooemio) „similiter et de regibus Angliae." cf. pag. 390. not. 1.

— 391 lin. 13 dele verbum „eas"
— 392 n. lin. ult. adde comma post Eligii.
— 395 lin. 8 adde sunt post adscriptae.
— 399 n. lin. 5 pro Raimund l. Raimundi.
— 400 n. lin. 11 pro *id* l. *sed*.
— 406 lin. 28 pro Robert*i* l. Robert*o*.
— 412 lin. 7 pro acc*ersi*mo l. ac*cerri*mo.
lin. 12 pro *anias* l. *annis*.
— 413 lin. 16 adde post Hic signum —
lin. 20 pro conscrip*tae* l. conscrip*ti*.
— 421 n. lin. 4 adde 3).
— 426 n. lin. 14 pro *quae* l. *quod*.
— 427 lin. 5 infer. pro Hel. l. Helinandus (scil. episcopus, auctori homonymus).
— 428 lin. 1 post novisse adde testatus.
lin. 22 pro nostr*i* l. nostro.
— 430 lin. 2 lege in homonymo.
lin. 16 lege Sigiberti sunt.
— 432 lin. 2 pro illlis l. illis.
— 436 n. lin. 10 pro 1021 l. 1201.
— 442 n. lin. 4 infer. deleatur prima ansula.).
— 446 lin. 2 infer. pro no*stri* l. no*stro*.
— 447 n. lin. 10 adde punctum post subscriptorum.
— 448 n. lin. ult. lege interpretatione
— 451 n. lin. 7 pro cum vel l. vel cum
— 450—451 not. addi potest lectionum diversitas in primis Chronici verbis (cf. pag. 15—16) cum apud Miraeum legatur: Ponemus... in quarta (scil. linea) Vandalorum, in quinta Anglorum, in edit. princ. vero: in quarta Anglorum, in quinta Vandalorum. Lectio editionis principis hoc loco melior est, quia rubricarum ordo re vera secundum eam digestus est eodemque modo apud Robertum de Monte citatur. (cf. pag. 486).
pag. 452 lin. 17 pro 687 l. 688.
lin. 7 infer. pro 274—276. l. 275—77.
— 458 n. lin. 3 pro 275 l. 274.
— 461 n. lin. 23 pro lib. l. li*ber*.
— 463 n. lin. 5 dele signum " post addere et adde post Guilelmi."
— 464 lin. 15 seqq. cf. etiam Vitam S. Medardi auctore Fortunato Presbytero ap. d'Acherii Spicileg. II. pag. 71.
pag. 464 n. lin. 5 pro *ab* l. *a*.
— 475 n. lin. 1 pro li*br*. l. li*brorum*.
— 480 lin. 16 cf. ad loc. an. 593. ad loc. 648. ex quibus — quiescit. ap. utrumque litteris majusculis. loc. 654. pag. 481 lin. 22. Vitam S. Foillani e Ms. Rubeae-Vallis in Actis SS. Belgii III. Cap. 1. pag. 16. Cap. 5. 6. 7. et cum ea Vitam prolixiorem (Arnulfi Abbatis Latiniacensis saec. XI.?) S. Furei Cap. I. ap. Acta SS. Jan. Tom. II. pag. 44—45.
pag. 484 lin. 14 pro anachro*niss*mum l. anachro*nis*mum.
— 485 dextra ap. Sinnerum l, c. II. 609. adde ad an. 1113.
— 488 lin. 14 post incipiat dele signum ; post quaerit. vero adde signum ;
— 489 lin. 1 post nostra adde comm*a*.
— 491 ad Nro. 1. Prodidit locum, ubi nunc extet, V. D. *Ra-*

vaisson hoc anno (Rapports au ministre de l'instruction publique sur les Bibliothèques des Départements de l'ouest suivis des pièces inédites par M. Félix Ravaisson inspecteur général des bibliothéques du Royaume. Paris. 1841.) scil. in bibliotheca publica Abrincensi „l'héritière de l'abbaye du Mont-Saint-Michel pendant la révolution." Nro. 1942. in fol. qui et ipse ejus partes satis accurate et cum vetustioribus congrue distinxit. Ex nota quadam marginali (l. c. pag. 163—164.) textum non Roberti ipsius, sed copistae cujusdam manu scriptum esse conjicere posse sibi visus est. Primo loco codicis inveniuntur „*Tituli librorum*, *quos dedit Philippus episcopus Bajocensis ecclesiae Becci. Tituli librorum Beccensis almarii*" (qui jam ap. Montfauc. l. c. memorantur). Edidit Ravaisson hoc vetustatis cimelion, et in titulis *librorum Beccensis almarii* invenitur inter libros Cassiodori. l. c. pag. 385. „In vol. quodam chronica Eusebii, et chronica Jeronimi, et Prosperi et chronica *Sigisberti.*"

pag. 493 lin. 16 adde post annotato *punctum*.
lin. 22 pro dioec*esos* l. dioec*esis*.